201
58 K
11

ACA 190

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI CANCELLIERI
DE SECRETARIIS
BASILICAE VATICANAE

Veteris, ac Novae

LIBRI II.

Praemittitur Syntagma

De Secretariis Ethnicorum, ac veterum Christianorum

apud Graecos, et Latinos.

ACCEDUNT DISQUISITIONES

I. De Cellis Gregorianis. II. De Bibliotheca Basilicae Vaticanae

III. De Circo Caii, et Neronis. IIII. De Aedibus Rotundis


S. Petronillae, et D. N. Mariae Febrifugiae

V. De Monasteriis Vaticanis, et Lateranensibus

SEQUITUR SYLLOGE

Veterum Monumentorum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMAE ANNO CIƆIƆCCLXXXVI

EX OFFICINA SALVIONIANA AD LYCEUM SAPIENTIAE

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

p I. n 3



Digitized by Google

PIO · VI. PONTIFICI · MAXIMO
OPTIMO · ET · PROVIDENTISSIMO
PRINCIPI

CVIVS · MVNIFICENTIA

SACRARII · VATICANI · MIRANDA · MOLES

CELERRIMA · MOLITIONE

CONSTITVTA · EST

ORDO · CANONICORVM

CVM · BENEFICIARIIS . VNIVERSIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

STATVA · POSITA

HISTORIAM · OPERIS · EIVS · PRAECLARISSIMI

VTILI · EXEMPLORVM · VETERVM

SERIE · AVCTAM

PRISCORVMQVE · RITVVM · DESCRIPTIONIBVS

ET · MAGNORVM · VIRORVM · MONVMENTIS

EXORNATAM

IN · SVBSECIVI . TEMPORIS · SOLATIVM

DEDICAVIMVS

ACCEPTI · BENEFICII · NVNCIAM

GRATAE · MEMORIAE · TESTEM

Digitized by Google

FRANCISCVS CANCELLIERIVS

LECTORI

M*Vlta sunt, quae Te ab ipso Operis exordio scire, et tua, et mea maxime arbitror interesse, Lector benevole. Ex iis enim fiet, ut ad ipsam operis lectionem, cum minore tuo toedio, tum non ita magna Auctoris reprehensione aggrediaris. Sed priusquam de ejus consilio, atque instituto edisseram, de caussis unde ortum, candide, ac breviter dicam.*

Vix dum vetus Basilicae Vaticanae Sacrarium *solo aequari coeptum erat, quum illud subiit, rem fore non alienam temporibus, si sapientissimi, et munificentissimi* PONTIFICIS *consilium, quod cum per se ipsum, tum ob meum, quo erga Apostolorum Principem affectus sum studium, mihi, supra quam dici possit, probabatur, latinis versibus celebrarem. Quare, qui poeticis exercitationibus jam inde ab ineunte aetate mirifice essem delectatus* [1], *statim Elegiam conscripsi, qua in primis tam magni, tamque exspectati operis inceptori, atque auctori* PIO VI. PONT. MAX. OPTIMO PRINCIPI *pro mea tenui, infirmaque parte gratulabar.*

1 Vide, si lubet, inter cetera *de Stanislao I. Poloniae Rege, Lotharingiae, ac Barri Duce, inter Arcadas Euthymio* Elegiam, anno MDCCLXX. Josepho Albano Praesuli praestantissimo inscriptam, alteramque *de redintegrata Concordia inter Romanam Aulam, ac Portugalliae, et Algarbiorum Regem Fidelissimum*, Andreae Corsinio Card. amplissimo, eodem anno nuncupatam.

Hanc autem quum forte Leonardo Antonellio Cardinali, *quicum, animi relaxandi caussa, in Palatino inambulabam, ostendissem, is, qua est humanitate, sive etiam erga me, utinam profecto merentem! benevolentia, valde illos versus probavit. Sed quid ni tu, inquit, majora audeas? Amplius hoc enim certe est, uberiusque argumentum, cum ad tanti* PONTIFICIS *commendationem, tum ad vetera monumenta illustranda, quam ut poeticae unius laudationis finibus includi debeat. Itaque auctor tibi sim, ut dejecti* Sacrarii *monumenta colligenda, novique descriptionem faciendam suscipias. Querebatur, nosti, tot ante seculis Franciscus Petrarca* 1, *nusquam minus Romam, quam Romae cognosci, neque Romanarum rerum magis ignaros alios esse, quam Romanos Cives. Cui accusationi, (quanti eam ceteri faciant, non quaero) sed tibi certe, et Civi Patriae amantissimo, et adolescenti, qui quaerendi, et commentandi laborem ferre possis, obviam eundum est. Quod si te rei difficultas, et magnitudo deterrent, at meminisse illud debes, quoniam in Poetis nunc quum maxime es,* Audentes Fortuna juvat, *aut illud certe,* Et in magnis voluisse sat est.

Quae suavissimae cohortationis verba etsi multum mihi ruboris adsperserunt, quod de me tam prolixe sentire videretur Vir omnibus virtutis laudibus ornatissimus, praesidium, ac dulce decus meum, *stimulos tamen admoverunt, jam meo studio currenti, Heroque meo beneficentissimo, non minus otii, quam negotii rationem reddere, et approbare cupienti. Quare ejus voluntati continuo obsequendum mihi esse statui, manumque operi admovi. Quod eo lubentius facere aggressus sum, quod videbam, multum ad hanc rem mihi in instructissima, ac splendidissima Viri amplissimi Bibliotheca,*

1 in Epistola ad Jac. Card. Columnam.

Digitized by Google

quae meae curae, ac diligentiae credita erat, praesidii, plurimum in ejus doctrina adjumenti esse futurum.

Sed tamen, ut ingenue fatear, quod est, partim operis difficultate, partim virium mearum tenuitate, vel inopia prorsus deterritus, partim aliis curis distentus, rem ab initio, molli, ut ita dicam, brachio tractare coepi; idque unum egi, ut, si quae in Scriptorum libris evolvendis, quae quidem ad rem facerent, occurrebant, ea in adversaria referrem. Interim vero circumspiciebam, num in tanta litteratissimorum Hominum frequentia, qui in hujusce Vrbis celebritate, ac luce versantur, aliquis exstaret, qui hanc sibi Spartam exornandam susciperet. Verum quum diu expectassem, nec quisquam in scenam prodiisset, totam hanc provinciam in me recipere decrevi. Itaque, quaecumque antea congesseram, ea suo quaeque loco disponere ita coepi, ut jam opus, non quidem omnibus partibus perfectum, quod longe ab ingenii mei tenuitate abest, sed certe adumbratum, et absolutum, quantum in me esset, videri posset.

Sed quum omnia ad unguem redacta, praeloque parata percuperem, quum a PONTIFICE MAXIMO novum Sacrarium *sollemni ritu expiandum esset*, Syntagma de Secretariis Ethnicorum, ac veterum Christianorum, *quod ab initio Operi universo praemittendum statueram, satius duxi in aliud tempus, quod commodius, magisque idoneum videretur, differre. Secus enim Operis molem nimis excrescere, ejusque edendi difficultatem augeri, animadverteram; eaque tractatio ejusmodi erat, ut nec paucis verbis absolvi posset, nec multis tunc pro tempore, reliquaque occupatione mea deberet.*

Itaque primum Secretaria Bas. Vat. veteris, ac novae *tribus Voluminibus illustranda suscepi, eaque, quanta maxi-*

Digitized by Google

ma fieri potuit diligentia, atque accuratione ad umbilicum perducta, PONTIFICI *sapientissimo subjeci, haud dubia spe confisus, lecturum se libenter eo de* Sacrario, *ubi toties vestibus Sacerdotalibus indutus fuerat, ubi cum Collegis de re communi deliberaverat, ubi demum amplissimum hoc pietatatis, et munificentiae suae monumentum excitaverat. Et sane* MAXIMI PONTIFICIS *mentem non ex vano interpretari visus sum, qui pro sua singulari benignitate hoc specimen studiorum meorum probavit. Ceterum, qua est sacrarum antiquitatum peritia, omnique doctrinae genere versatus, statim agnovit, momentosiorem Operis mei partem adhuc deesse. Itaque vernacula* novi Sacrarii, *ad tempus accomodata, descriptione* [1] *contentus, ubi etiam totius latini operis lineamenta quaedam exprimerem,* Syntagmati *manum admovere jussit, quod deinde, etsi ortu postremum, tribus aliis Voluminibus principe loco socium darem, ac veluti ducem praemitterem. Atque, ut alacrius reliquum hoc itineris spatium conficerem, plura mihi, summae benignitatis exemplo, quantivis pretii monumenta suppeditavit, ac veluti manus adjutrices extendit.*

Statim igitur in eam curam me totum abdidi, conjecique, ut nova haec Operis mei pars ea prodire posset ratione perfecta, quae doctissimi, ac beneficentissimi PONTIFICIS *voluntati, cujus jussu, et auspiciis agebatur, responderet. Ac proinde, quidquid de gravissimo, atque intacto hujusmodi argumento commentatus fueram, formandum iterum, ac veluti recoquendum suscepi, totumque* Syntagma *quadrifariam dispertiendum esse statui. Ac primo* de Secretariis Judicum Ethnicorum *disceptandum mihi esse vidi, ut vo-*

1 Sagrestia Vaticana eretta dal Regnante Pontefice PIO VI, e descritta da F. C. Roma 1784. 8.

cis hujusce originem patefacerem . Quocirca singulas eorum partes ob oculos posui , eaque ex Actis Martyrum , et Conciliorum testimoniis , Cancellis munita , Velis cooperta , Vexillis ornata , Gradibus , Tribunali , atque Ara instructa , ibique Caussas praesertim criminales diremptas fuisse demonstravi . Quae quidem omnia in Secretario amplissimi Senatus , *contra Fornicem Severi , quod* Templum fatale *dictum fuit , ab incendio , quo misere combustum interiit , exstitisse putandum est* [1] .

Deinde vero affinem , cognatamque Sacrarii *vocem expendere aggressus sum , atque eadem Ethnicos promiscue usos esse comperi , ut non modo generatim Templa , ac frequentius penitiorem , sanctioremque eorum partem designarent , verum etiam Aedes continentes , ubi supellectilem ad sacrificia necessariam , Thensas in pompis Circensibus gestandas , ac Tabularia servare solebant . Propterea primum de* XXVII. Sacrariis Argeorum , *ac de pluribus aliis* in Vrbe *inanium Deorum honori dicatis ; secundo de iis etiam* extra Vrbem *constructis sermonem habui* [2] .

Quumque etiam eodem vocabulo saepenumero uterentur , ut Lararia *indicarent , iccirco de* Sacrariis privatis , *ac* de Sacrariis Principum *disserui ; itemque nonnulla adjeci de eadem voce translate , et in aliarum rerum similitudinem usurpata , quas inter praecipue eminet* Signum caeleste , *etsi aliis quoque nominibus* Arae , Nectaris , Caeluli , Turibuli , Laris *quandoque designatum fuerit* [3] .

Binas hasce Syntagmatis *mei partes absolvit* Appendix de Ministris , et Custodibus Aedium sacrarum apud Ethnicos , *quorum nomina , diversaque ministeria accurate percensui . Ex his , peculiari mentione digna visa est cura ,*

1 p. 1805. 2 p. 1806. 3 ibid.

Digitized by Google

qua in Favissis, *quidquid ad Relligionis usum spectaverat, vetustate attritum, tamquam in sepulcro, recondebant* [1].

Haec autem, quae nonnullam similitudinem cum descriptis Judicum Secretariis *praeseferre videntur, quamdam veluti viam sternunt ad ea, quae in aliis duabus partibus* de veterum Christianorum Secretariis, *seu* Sacrariis apud Graecos, et Latinos *pertractanda suscipio. Nam videre est, Templorum Altare princeps, quod utroque vocabulo promiscue denotabant, Cancellis septum, Velis contectum, Gradibus, Tribunali, atque Ara instructum; Clericos* Cancellariorum *vices referre, qui* in Secretariis Judicum, *fores Cancellorum tuebantur, ac Vela reducebant; Presbyteros,* Honoratorum *instar, ibidem considendi privilegio donatos; Episcopos demum eodem loco, seu concionantes, seu rei divinae adstantes,* Judicum *veluti personam sustinere* [2].

Quumque idem profecto Secretarii, *aut* Sacrarii *nomen tribui soleret Exedrae, ubi sacra Ministeria servabantur,* majoris *tantum adjecto titulo, ut ab altero* Sacrario, *quod* minus *vocabant, secerneretur, hunc etiam locum* Judicum Secretariis *consimilem fuisse, et ex Ethnicorum imitatione, a Christianis in suos usus translatum ostendo* [3]; *quod ibidem praesertim Carceres adjecti essent, quò Clerici immorigeri, ac sontes detrudebantur, quodque ibidem persaepe Concilia, aut alia quaevis negotia ad Ecclesias spectantia agerentur. Qui tamen usus ut alii plures operis decursu explanati, promiscuus etiam fuit* Secretario minori, *ubi itidem plerumque Concilia habebantur. Vtrumque vero* Secretarium *pluribus aliis nominibus, quae singulatim explicantur* [4], *tum apud Graecos, tum apud Latinos indicatum, Piscinis instructum fuisse apparet, quae* Favissis Ethnicorum *recte sunt subrogatae. Cete-*

1 1807. 2 p. 1807. 3 Ibid. 4 p. 1808. 1809.

Digitized by Google

ros deinde usus hujusmodi locorum ad nostrae Relligionis ritus accomodatos accurate persequimur. Nam minorum Ordinum collatio, Sacerdotum ordinationes, Viduarum professio, Virginum consecratio, Nuptiarum benedictio, Oblationum depositio, Oblatarum confectio, ac sollemnes Caeremoniae totius anni cursu a Pontifice ibidem servatae exponuntur. Praecipue vero illustrandum esse duxi ritum vetustissimum ibidem adservandi Sacramentum augustum, quod Pontifici sacris operaturo praelatum, deinde, sacro absoluto, eódem reportabatur. Id enim in caussa potissimum fuisse videtur, ut Sacrarii *titulus huic etiam loco, aeque ac Altari principi, affigeretur. Quo vero haec omnia ordine relata sint, videre licet in Capitum, et Articulorum Synopsi, operi universo subjecta* [1].

Praeterea, quum constet, aeneum Servatoris nostri, et Haemorrhoissae Simulacrum [2], *Paneade, seu Caesareae Philippi, in* Diaconicum, *quod idem est, ac* Sacrarium, *post varias vices translatum fuisse, ejus historiam libuit pertexere, ac a nonnullorum calumniis vindicare. Denique, quum ob multiplices curas, quae hujusmodi locorum Custodibus incumbebant, varia iisdem nomina tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia fuerint adsignata, icciroo eorum singula diligenter expendimus* [3]. *Quae quidem si cum iis, quae* de Ministris, et Custodibus Aedium sacrarum apud Ethnicos *superius attulimus* [4], *conferantur, eorum similitudo, ac profanorum rituum expiatio hinc etiam aperte constabunt. Verumtamen quum multo ceteris insigniores sint ritus a* Sacrista Pontificis Maximi *obeundi, de iis fusius disserere, operae pretium putavi* [5].

Quae res, dici non potest, quantum mihi curae, ac laboris objecerint. Omnia enim ab ipsis paene Relligionis

1 p. 1807. 1808. 2 p. 1810. 3 p. 1809. 4 p. 1806. 5 1810.

**

incunabulis arcessere, densissimasque antiquitatis tenebras, quibus offundebantur, removere, veteris Instrumenti Codicem, Acta Sanctorum, Patrum editiones, Pontificum vitas, Annales Ecclesiasticos, Libros Liturgicos, amplissimas Conciliorum, Anecdotorum, atque Inscriptionum collectiones, graecos, et latinos Scriptores, eorumque Interpretes, et Scholiastas, Leges Romanas, Corpus Historiae Byzantinae, Thesauros Hebraicarum, Graecarum, et Latinarum Antiquitatum, Glossaria mediae, atque infimae latinitatis, Bibliothecas demum integras, ac Tabularia Vrbis excutere, quanti, quaeso, studii esse debuit?

Verum haec satis manifeste probant, Secretaria *apud Veteres ex praecipuis Aedium sacrarum partibus, ac summo in honore habita fuisse. Quod quidem exemplo* Secretariorum veteris Bas. Vat. *a* Constantini *principatu usque ad* Paulli IV, *aut* Pii V. *aetatem, confirmandum aggredior; quippe quae iisdem privilegiis instructa, ac sacris usibus obnoxia fuisse liquet, quae in praestantioribus aliarum Ecclesiarum antea perspeximus.*

Atque ut omnia, quae instituti mei ratio poscebat, persequerer, de Cellis Gregorianis, *quas in* Sacrarii *usum cessisse eruditissimi Scriptores perperam affirmarunt, deque earum numero, positu, atque usu disputandum fuit* [1]. *Ibi autem si fortasse longius, quam par erat, progressus sum, tamen non omnino dictorum poenitebit; ex quibus praeter usum vetustissimum in* Secretariorum Vestibulis, *Pontificum, atque Imperatorum exsuvias recondendi, plurium Librorum ritualium haud satis, ut arbitror, intellecta loca illustramus; ac praecipue, quae ad Pontificum, et Imperatorum Coronationem* [2], *quae magnam partem in* Cellis Gre-

1 p. 1811. 1812. 2 p. 1812.

gorianis *peragebatur, pertinebant, suo in lumine collocamus.*

Praeterea in earum descriptionis decursu, Inscriptiones omnes libuit interserere, quas in earum singulis olim collocatas fuisse deprehendi. Siquidem singularem hunc, ac proprium locum desiderabant, eaeque praesertim, quae in Oratorio Gregoriano, *quod item* D. N. M. Febrifugiae *sacrum aliquamdiu fuit, exstiterunt, ne cum aliis temere commiscerentur, quae in dejecto Sacrario,* S. M. a Febribus *itidem dicato visebantur; sed eodem modo, quo hoc Oratorium a Templo* B. M. a febribus *sedulo distinguendum esse, loco suo demonstravimus* [1], *ab iis, quae ad* Sacrarium *pertinebant, accurate secernerentur.*

Post haec, ut huic libro coronidem velut imponerem, de Canonicorum Bibliotheca, *quae ex Veterum instituto, in Syntagmate luculenter exposito* [2], *ab antiquissimis temporibus* Sacrario *fuit adjuncta, pauca delibavi; ac demum publici juris feci binos praestantissimae* Bibliothecae Indices, *alterum ineditum Iordani Vrsini Cardinalis, qui eam Basilicae legavit, ejusque custodiam duobus Beneficiariis addixit; alterum ab Holstenio digestum, et a Montfauconio prolatum* [3].

Habes ad omnia, L. B. quae de veteris Bas. Vat. Secretariis *complexus sum. Ad altera novae Bas. quod spectat, antequam de iis sermonem instituo, totius disputationis fundamenta veluti quaedam jacienda,* deque Circo Neroniano, Hortis, ac Naumachia *disserendum mihi esse vidi* [4].

Deinde, quum Templum rotundum S. Petronillae, *Sacrario plane geminum, in eodem Circo exstitisset, ejus illustrationem hinc sejunctam esse noluimus. Sed quum illud*

1 1812. 2 p. 1808. 3 p. 1813. 4 p. 1813.

Apollini *sacrum fuiſſe, communior eruditorum ſit opinio, quo vere loco* Apollinis *Templum, ubi primum* Petri *cineres collocatos, ex Anaſtaſio fuiſſe diſcimus, ſtatuendum ſit, agnoſces*[1]. *Praeterea non modo veram rotundae hujuſce Aedis originem aſſequi, ſingulas ejus Cellas deſcribere, atque Inſcriptiones, ac ſingula monumenta ibidem poſita afferre ſtudui, verum etiam quaecumque potui memorabilia ibidem peracta, ex Annalium monumentis colligenda, atque in Commentarium congerenda ſuſcepi*[2]. *Ita enim, ne quis eamdem funditus everſam doleat, nec ullum ejus veſtigium supereſſe conqueratur, ejus forma aere inſculpta lectorum oculis ſubjecta*[3], *non tam deſtructa, quam alium in locum tranſlata quodammodo videri poterit, ejusque recordatio in omnem poſteritatem propagabitur.*

Plura quidem ex his, nec ſcitu indigna, nec cuiquam, ut puto, ingrata obverſantur. Inſignem tamen ſibi locum vindicat, omne genus Cimeliorum, in Mariae, et Thermantiae Auguſtarum, Honorii Vxorum ſepulcro ibidem detecto, accurata deſcriptio[4]. *Enimvero haec inter reperta fuit aurea laminula, ubi* Vrielis *nomen, una cum aliis trium Archangelorum, inſculptum viſebatur. Quare haud abs re eſſe duxi, de* VII. *Archangelorum nominibus, cultuque diſputare, ac praeſertim inquirere, poſſit ne* Vrielis *nomen aliquo modo retineri, etſi pluries a Conciliis diſerte vetitum fuerit, ne ulla Archangelorum nomina admitterentur, praeter illa* Michaelis, Gabrielis, et Raphaelis? *Porro idem, quod in altera laminula Henrici, et Cunegundae Augg. in encolpiis, carneolis, gemmiſque*[5] *inſculptum occurrit, non modo in libris apocryphis veteris Inſtrumenti, atque inter carmina Sibyllae Erythraeae, verum etiam ab Ambroſio, Iſidoro, Beda, Bo-*

1 p. 1813. 2 p. 1814. 3 p. 627. 4 p. 1814. 5 p. 1800.

Digitized by Google

naventura , Alberto M. , B. Amadaeo , et in publicarum laudum , ac precum Fratrum Franciscalium consuetudine memoratur , ut Basilidianos , aliosque praeteream , qui itidem ejus nomen frequenter usurparunt . Sed quamvis , singulis fere aetatibus , atque apud Hebraeos , Aethiopes , Graecos , ac Latinos Vriel , *Sociique culti fuerint , tamen Sec.* XVI. *studium* VII. *Archangelos nominatim colendi , velut novo subjecto igne, incaluisse constat ex eorum imaginibus iconicis in Aede sacra Panormi detectis , atque ex pii cujusdam Sacerdotis conatibus , qui continenti* XXXIV. *annorum spatio omnem lapidem movere non destitit , ut in Vrbe* VII. *Archangelorum cultum statueret . Quod tandem aliquando consequutus est , Thermis Diocletianis in eorum honorem conversis* [1] .

Post Templi hujusce descriptionem , de duplici aditu *verba facimus , quorum unus dextrorsum ex eodem Templo ad Bas. Vat. , alter sinistrorsum ad Aedem rotundam* S. M. a febribus *transitum praebebat . Ita enim haec duo inter se Templa arcto , ac sororio quasi vinculo connectebantur , ac Templum Vaticanum Templo S. Petronillae cohaerebat* [2] .

Quae quidem praeter rem a me adscripta fuisse , nemo jure criminabitur . Mirifice enim ad alteram de Martis Templo *aeque commentitiam opinionem rejiciendam , quod idem esse , atque eversum* Sacrarium , *Scriptores ferme omnes acriter contendunt , conducere mihi visa sunt . Quam meam sententiam omne genus argumentis confirmare , ab adversariorum difficultatibus tueri , observationibus illustrare studui . Dejecti enim Templi vetustissimum conditorem , atque* Andreae *Apostoli , cui sacrum primitus fuit , nomen , cultumque ab aetatis injuriis , hominumque oblivione vindicavi . Quod a nemine adhuc factum fuisse comperi* [3] .

1 p. 1814. 2 ibid. 3 1815.

Digitized by Google

Deinde omnes ejus vices amplexus, praeter adsidentis Obelisci, in Aream Vaticanam deinde translati [1], *illustrationem, singulorum Altarium, tum quae antiquitus ibidem fuerunt, tum quae postremis hisce temporibus adhuc supererant, accuratam, quoad fieri potuit, descriptionem adornavi. Verum paullo diutius immoratus sum in duabus Cellis, ubi culta fuit imago* D. N. M. Febrifugiae, *ex qua postremis temporibus Templo nomen adhaesit; ac nonnulla quoque de cognominibus aliis imaginibus adjeci, quae multis Scriptoribus fraudi fuerunt, ita ut unam pro altera saepe acciperent* [2].

Cetera itidem monumenta, quae in eodem Templo aliquando exstiterunt, vel usque ad ejus interitum exstitisse compertum est, exceptis Inscriptionibus aliò reservatis, hoc loco congesta reperire, minime pigebit [3].

Quumque haec inter Gallus aeneus *antiquissimus commemorandus esset, quem omnes Scriptores in Turri Campanaria Bas. Vat. a Leone IV. excitata, stetisse affirmant, equidem probare adnisus sum, ad Turris Campanariae ornamentum, prope hoc Templum ab eodem Pontifice erectae constitisse. Ac propterea, ne forte, si minus ad Leonianam Turrim, ad alias tamen prope Bas. Vat. ab aliis Pontificibus excitatas,* Gallum *hunc aliquando spectasse, dubitatio oriri posset,* de Turribus Campanariis Bas. Vat. *fuse disserui* [4]. *Plura quoque* de Galli symbolo, *tum apud Ethnicos, tum apud Christianos libuit attexere, et caussas inquirere, cur eum, aeque ac* Stellas, *ac* Crucem, *Turribus Campanariis frequenter imponerent?*

Denique ne diligentiam, quantum quidem in me erat, Lector ulla in re desideraret, de antiquioribus Sacrarii Sacerdotiis,

1 p. 1815. 2 p. 1816. 3 p. 1817. 4 ibid. V. p. 1991.

ac de Cleri Vaticani Ordinibus *nonnihil attigi, ac beneficia iisdem a Pontificibus Maximis collata percensui* [1]. *Quae si qui legent, non in tenui, ac nullius pretii opere, laborem meum fuisse versatum, facile, opinor, consentient.*

Postquam vero quidquid ad Sacrarium *spectabat, prosequutus sum, ad ejusdem demolitionem transitum est. Sed primum brevem historiam proposuimus de aliorum Pontificum consiliis, et Architectorum modulis ad* novum *exstruendum* Sacrarium [2]. *Ac demum singulas partes magnificentissimae molis, munificentia* D. N. PII VI. *a fundamentis excitatae, diligenter perlustramus, novis allatis Inscriptionibus, quae sparsim ibidem sitae sunt* [3].

Iam vero quum Majorum aetate, ministrantibus Vat. Bas. tot fuerint Domicilia, quot circa eamdem exstiterunt Monasteria, *ubi Deo, et sibi impensius vacabant, ab aliorum frequentia, et consortio semoti, quorum unum fuit Aedes* S. Stephani Hungarorum, *quae eodem tempore, quo* Sacrarium *dejectum fuit, ad aream explicandam, solo aequata fuit, iccirco de eorum etiam* Monasteriorum ortu, numero, situ, vicibus, Inquilinis, atque occasu *disseruimus; huncque locum de hujusmodi* Monasteriis, *quanta maxima fieri potuit diligentia, accuravimus, ac perpolivimus. Nam eadem cum* Monasteriis Lateranensibus *diligenter contulimus, quorum historia neque plane ab instituto abludens, neque a loco aliena visa est. Inscriptionibus vero latinis, Aethiopicis, Copticis, et Arabicis, quae in descriptione* Monasterii S. Stephani Majoris, *sive* Abyssinorum *afferentur, locum, quem heic occupant, maxime convenire, per se patet* [4]. *Eas enim nolui a Cellis, ubi sitae sunt, quodammodo divellere, ac cum aliis, quae ad* Sacrarium *pertinent, congregare.*

1 p. 1817. 2 p. 1818. 3 ibid. 4 1819.

Digitized by Google

Absolvunt tandem tertium hoc Volumen Tabulae Ichnographicae, *ac* Scenographicae veteris, ac novi Sacrarii [1], *ut eorum adspectum, ac formam cum exteris communicemus, totumque Opus typographicis, atque iconicis ornamentis comptum, ac ditatum appareat.*

Ad eam modo partem, quae postremo veteres sistit Inscriptiones, et marmorum fragmenta, quaecumque in dejecto Sacrario *exstiterunt, vel in fundamentis eruendis in apricum aetas protulit, progrediendum esset. Sed ordinem in illis digerendis a me servatum, in* Prooemio *iis praefixo, quô Lectores ablegamus, libuit explicare* [2].

Quum vero subinde partim a me ipso, partim a Typographis peccatum esse vidi, aliorum doctissimorum Virorum exemplo, praeter Analecta [3], *errorum Operis universi* Emendationes *adjicere non dubitavi, quos in opus tam vastum, variumque, confectum, editumque absque ullius ope, ab uno homine, eodemque diurnis sui muneris interpellationibus obnoxio, ac familiae negotiis distento, irrepsisse, nemo mirabitur.*

Denique, ut totum Opus, quoad ejus fieri posset, in manus hominum quam accuratissimum, et quam absolutissimum perveniret, rerum Indices *copiosissimos adjungendos curavi* [4]. *Verum de ratione in iis concinnandis adhibita nihil modo attinet dicere, quam* Praemonitum *postremi Voluminis explicabit* [5].

Quis autem jure me reprehendat, si versus, quos velut primum, ut ita dicam, chartacei hujus quadripartiti aedificii lapidem jeci, operi praefigendos esse censui? Habebis eos igitur L. B. initio, ut dixi, operis [6]; *qui si placebunt, erit, ut mihi gratuler; sin aliter, iis praeteritis, quod una, alte-*

1 p. 1616. 2 p. 1820. 3 p. 1820. 4 p. 1805. 5 p. 1820. 6 p. 111.

raque pertransita pagina facile fiet, ad ipsam Operis lctionem aggredi poteris.

Verum non dubito, quin multi futuri sint, qui nimiam ejusdem Operis prolixitatem accusent: qui quidem, quaeso, animadvertant, quam multa pertractata sint, quae pro sua amplitudine, ac varietate absolvi omnino paucis non possent. Praeterea equidem puto, eamdem rationem esse Librorum, atque epularum, quas copiose, atque exquisite apparare, splendidi, ac liberalis est hospitis; etsi ii, qui invitantur, atque accipiuntur, singulas stomacho nequeant ingerere. Quapropter caussam meam agere videtur Plinius, ubi apposite in hanc rem scriptum reliquit [1]. Sicut veremur, ne quibusdam pars aliqua, secundum cujusque naturam, non probetur, ita videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet. Nam et in ratione conviviorum, quamvis a plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen Coenam laudare omnes solemus, nec ea, quae stomachus noster recusat, adimunt gratiam illis, a quibus capitur.

Contra vero non deerit, qui me nonnulla majoris momenti praetermisisse contendat. Huic igitur praeclaris Columellae verbis satisfaciam [2]. Non adseveraveram, quae vastitas ejus scientiae contineret, cuncta me dicturum, sed plurima. Nam illud in unius hominis prudentiam cadere non poterat. Neque enim est ulla disciplina, aut ars, quae singulari consumata sit ingenio. Quapropter ut in magna Silva boni Venatoris est, indagantem Feras, quamplurimas capere, nec cuiquam culpae fuit, non omnes coepisse, ita nobis satis, abundeque est, tam diffusae materiae, quam suscepimus, maximam partem tradidisse.

1 in lib. II. epist. v.

2 de re Rust. lib. v. cap. I.

Praeterea, si quis mihi vitio vertat, me, praeter loca inedita, in operis calce subjecta, MSS. Necrologii Bas. Panvinii, Grimaldi, *et* Alpharani, *qui in veterem Bas. veluti manuducunt, nosseque docent Altaria, Monasteria, et Monumenta memoratu digna, adnotationum vice, ubi locus admonuit, notitiam Scriptorum, qui fusius de rebus obiter a me in operis recessu pertractatis disseruerunt, addidisse, atque e* Sacrariis *ad alia identidem Lectores avocasse, non iniquo animo feram. Nam Bibliographiae studiosis haud ingratum fore autumo, si varietate eorum fastidio occurrere, atque hujusmodi veluti saporibus, conditionibusque totum Opus adspergere curaverim.*

At ne in aliorum offensionem, multo magis acrem, et molestam incurram, quod nonnullas Virorum ceteroqui doctissimorum opiniones, non tecte, ac dissimulanter, sed aperte reprehenderim, ac multus quandoque fuerim in horum fide elevanda, ii sciant, velim, me id uno, atque unico veritatis studio praestitisse, non ut ullam doctissimis VV. labem adspergam, quorum auctoritatem si non servili obsequio sequutus sum, multum tamen, quoad licuit, eidem detuli. Absit enim, ut quidquam de merita laude, atque existimatione, cuiquam detraham, iisque praesertim, quos communis fama in Magistrorum Concilio jamdiu collocavit.

Restat nunc, ut de stilo dicam, quo in opere conscribendo usus sum; de quo non dubito, quin exquisitioris Latinitatis amatores, flosculorumque aucupes, identidem me, tamquam proletario, ac sordido, reprehensuri sint. Quod certe nec ipse diffitebor, ultroque etiam, si opus est, imperitiam, et infantiam meam accusabo. Verum quis, oro, venuste, ornate, eleganter persequi res possit, quales ipsi tractavimus, a veterum Latinorum consuetudine, atque institutis longe

Digitized by Google

abhorrentes, ac remotissimas? Rursus quis tot barbarorum Scriptorum, et MSS. colluvie, ut ait Petavius rem ipsam expertus, stilum non inquinaverit? Sed tamen ne hac quidem in re industriae peperci, summaque diligentia res omnes perpolire studui, in verborum perinde, atque in rerum cura anxie occupatus, ut legentium morositati, quantum labore, atque ingenio assequi potui, satisfacerem.

En tibi, amice Lector, tamquam in speculo, totius Operis decennali labore confecti imaginem: quo in Opere, si, ut in magna segete, nullum spicum nequam inesse dixero, nimis mihi blandiar, et tibi fucum fortasse faciam. Imo, quod modestum hominem decet, ultro profiteor, multa imprudenti mihi excidere potuisse, quae in doctorum Virorum animadversionem, reprehensionemque jure incurrant: eo magis, quod de rebus ab aetate nostra remotissimis, et majorem adhuc partem incompertis disseruimus. Quae quidem in antecessum praefanda esse duximus, non laudis, sed veniae promerendae caussa; quam si impetraverimus, nihil erit, quod nos non consequutos putemus.

Quapropter si qua erunt, vel potius quaecumque erunt non ita ad unguem, atque ad criticam amussim exacta, peritiorum judicio, ultro libenterque submitto. Cupio enim meliora doceri; ac si quid temere, aut inconsiderate excidit, revocare, et vertere potius, quam defendere. Interim Te valere jubeo, mi Lector, utque mihi sacrae, et profanae eruditionis Stadium haud satis firmo gradu currenti favere velis, etiam, atque etiam rogo.

Digitized by Google

DE SACRARIO NOVO
BASILICAE VATICANAE
IVSSV
D. N. PII VI. PONT. MAX.
INCHOATO
E L E G I A

Si quis in humanis quam sint fluxa omnia rebus ;
    Quasque ferant Anni perpetuo orbe vices ,
Scire aveat , quantosque tulit , referatque triumphos
    De saeva omnivori temporis ingluvie
Incluta Relligio, victrix infrangere , et omnes
    Victrix sueta hostes perdomuisse suos ,
Romam adeat ; Capitoli e vertice Roma docebit ,
    Seu veterem malit cernere , sive novam .
Prima Palatinae species sese exhibet Arcis ,
    Heu quantum a prisco tempore dissimilis !
Heic , ubi nascentem sulco descripserat Vrbem
    Romulus ; exstruxit post ubi tecta Nero ,
Aurea tecta , quibus veriti ne forte Quirites
    Quaesitum Vejos cogeret ire Lares ,
Molibus insanis totam angustantibus Vrbem ,
    Vnius ut fieret Caesaris una domus ;
Heic , ubi sydereus radiabat in aere Colossus ,
    Vivaque Phidiaca marmora sculpta manu ,
Ingentesque Arcus , immani et mole Columnae ,
    Vectaque longinquis Flumina verticibus ,
Ac miram in speciem stellis fulgentibus Aulae ,
    Quidquid et in toto ditius Orbe fuit ,
Nunc opere ex tanto quid restat ? grandia tantum
    Rudera , vesani Principis indicia .
Semiruti pendent muri , magnisque ruinis
    Huc illuc cernis serpere fronde hederas ;

Digitized by Google

Atque , ubi fulgebant auro Laquearia , diri
Bubones tuta de statione canunt .
Per Podium virides repunt impune Colubri ,
Vnde agiles Caesar prospiciebat Equos
Lato currentes Circo , plausuque frementem
Marmoreis Pubem Romuleam e Cuneis .
Squallida vix restant de tanto Corpore membra ,
Hirsutos inter semisepulta rubos .
Saeve Nero , e tetro , si fas , caput exsere Busto ;
Testem ignominiae te decet esse tuae .
Haeccine prisca domus , quae sumptu , et divite gaza
Italiae totas una voravit opes ?
Perge modo , et mecum , fac , Vaticana revisas
Rura , tuis quondam splendida deliciis .
Heic tibi regales Horti , ac peramoena Vireta ;
Heic liquidi Fontes ; heic tibi Circus erat
Bigarum in cursus ; ludis navalibus apta
Heic quoque regifice moenia condideras ,
Aequore ubi vasto commissae in praelia Naves
Per ludum ruerent mutua in exitia .
Sed quota pars superest de tanto denique luxu ?
Nuda humus : absumsit cetera tempus edax .
Illa autem contra , celso quae culmine in astra
Tollitur , immenso ac jugera demit agro ,
Quid velit illa , stupes , secto de marmore moles ,
Cui Crux in summo vertice conspicua ,
Mille Columnarum cui sese Porticus ante
Porrigit in gyrum , littore Pyramidem
Advectam phario amplectens , Fontesque fluentes
Marmoreo exceptos nocte dieque lacu ?
Templum augustum ingens est id , cui tota vetustas
Par nullum adspexit ; quale nec ipsa Iovi
Vrbs Capitolino posuit , licet Orbis onustum
Auro , atque omnigenis fulgeret exsuviis .
Templo , si nescis , Piscator condidit ille ,
Ille miser , te olim praecipiente , Cruci

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EM.

Digitized by Google

Suffixus : tali nimirum dignus honore
    Visus homo , talem condidit huic tumulum ;
Quam tu suppliciis studuisti , ac sanguine tanto
    Delere omnimode , Gens pia Christiadum .
Nec tamen id satis . En triplicis qui maxima Regni
    Heres nunc magno frena tenet solio ,
Qui Petri suprema est sede locatus , eodem
    Spectandus titulo , et relligione PIVS ,
Augustum laxare novo molimine Templum ,
    Ceu spatii nondum sat foret , adgreditur ;
Aedesque ingentes addit . Viden , omnia circum
    Proruta , quae exstabant Tecta habitata prius ,
Iamque aequata solo ? Viden , ut magno agmine anhelant,
    Festinantque Operae ? Talia dum memoro ,
Fallor ? an horrendum stridens circumvolat Vmbra ?
    Non fallor ; praesens Vmbra Neronis adest ,
Hirta comas , frendensque , et nobile Fundamentum
    Torva tuens , diri fulguris in speciem ,
Ilicet ex oculis elabitur ocyor Euro ,
    Ad Stygios , credo , jussa redire lacus .
Hoc magis , alme Pater , magnis Te insistere coeptis ,
    Surgentem et Molem continuare decet ;
Tota Sacerdotum cui committenda Supellex ,
    Appendix operi quae modo deerat adhuc
Terrarum primo , multos optata per annos ,
    Ac servata tuis denique temporibus .
Petri hoc poscit honos , cujus tibi summa potestas
    Tradita , praecipua quem pietate colis ,
Cujus quotidie ad cineres Te vota ferentem ,
    Tendentemque manus maxima Roma videt .
Perge , uti jam coepsti , PIE , magnum in vota vocare
    Clavigerum , atque ejus fide patrocinio .
Omnia succedent feliciter , auspice Petro ;
    Concutiatque licet dira procella ratem ,
Per vada , per tumidas ventis stridentibus undas
    Ibit , et optatum salva tenebit iter .

Digitized by Google

DE
SECRETARIIS
ETHNICORVM
AC
VETERVM CHRISTIANORVM
APVD GRAECOS ET LATINOS
SYNTAGMA

Digitized by Google

DE SECRETARIIS

ETHNICORVM

AC VETERVM CHRISTIANORVM

APVD GRAECOS ET LATINOS

SYNTAGMA



ROMAE ANNO CIƆIƆCCLXXXVI

EX OFFICINA SALVIONIANA AD LYCEVM SAPIENTIAE

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SECRETARIIS
ETHNICORVM
AC VETERVM CHRISTIANORVM
APVD GRAECOS ET LATINOS
SYNTAGMA

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ

DIcturus de *Basilicae Vaticanae* superiorum, ac recentiorum temporum *Secretariis*, operae pretium me facturum duco, si prius universe de iis, quae tum apud Ethnicos, tum apud veteres Christianos obtinuerunt, sermonem instituam; quotuplexque fuerit hujuscemodi *Secretariorum* apud antiquos profanarum, et ecclesiasticarum rerum Scriptores appellatio; quo ea loco, quemque in usum constituta; ac demum quanto in honore, omni aetate, ac gente, habita fuerint, praesertim ex Conciliorum, et SS. Patrum dictis, atque auctoritate diligenter edisseram. Inde enim quum illustriora omnia, quae ad suscepti operis rationem pertinent, facilius utique fient, tum illud inprimis constabit, quam recte sapienterque providentissimus, idemque munificentissimus Pontifex PIVS, jam inde a primis initi Pontificatus diebus statuerit, *Vaticanae Ba-*

Digitized by Google

silicae Sacrarium, quod humile hactenus, ac rude fuerat, numerosius, magnificentiusque a fundamentis excitare; tum etiam quantopere laetandum nobis sit, quicumque Apostolorum Principis cultum, ejusque amplificationem amamus, dum, quod frustra fuerat ab aliis diu expetitum, nostra demum aetate, sacrarum aedium, quae ubicumque terrarum sunt, Reginam, multo cultiore, ac pulcriore tamquam Ancilla auctam, honestatamque admiramur.

§. I.

Num Scriptores de Templis Christianorum peculiariter de Secretariis pertractaverint?

Nemo certe est, qui ignoret, modo is vel primoribus labiis sacram eruditionem attigerit, magnam esse Scriptorum copiam, qui in sacris *veterum Christianorum Templis* illustrandis, operam suam egregie collocarunt. Cui enim nota non sunt nomina Caesaris Baronii, Heriberti Rosweidi, Francisci Pagii, Joannis Baptistae Casalii, Bollandianorum, Julii Caesaris Bulengeri, Johannis Mabillonii, Edmundi Martenii, Johannis Morini, Francisci Mariae Magii, Martini Gerberti, Johannis Dartesii, Tobiae Coronae, Jacobi Lobbetii, Natalis Alexandri, Johannis Ciampinii, Johannis Bonae, Ludovici Antonii Muratorii, Johannis Marangonii, Petri Pompilii Rodotà, Josephi Aloysii Assemanni, Goudeai, Tillemontii, Fleurii, Orsii, Benedicti XIV, et alia sexcenta? Quid vero haec, si cum longe majori haereticorum, qui in hoc argumenti genere versati sunt, numero comparentur? Nam, ut praeteream Centuriatores Magdeburgenses, Isaacum Casaubonum, Johannem Henricum Ottium, Adamum Baribecho-

vium, Fridericum Spanhemium, Johannem Henichium, Johannem Hottingerum, Georgium Hornium, Thomam Ittigium, Christianum Kortholtum, Hieronymum Kromayerum, Samuelem, et Jacobum Basnagios, Johannem Clericum, Johannem Laurentium Moshemium, occurrunt opera Richardi Montacutii, Balthasaris Bebelii, Eduardi Watherusii, Guillelmi Cavei, Georgii Walchii, Conradi Samuelis Schurztfleuschii, Georgii Whelerii, Jacobi Lobbetii, Antonii Vandalen, Hadriani Valesii, Johannis Launoii, Joachimi Hildebrandi, Rodulphi Hospiniani, Josephi Medii, Aubani Godfridi Siberii, Johannis Gasparis Hardmayeri, aliorumque, quae apud eruditissimos Viros, Josephum Binghamum, Johannem Albertum Fabricium, Thomam Mariam Mamachium, et Franciscum Antonium Zacchariam recensentur.

Neque vero in tanta scriptorum segete defuerunt, qui nonnullas etiam sacrarum aedium partes peculiaribus disquisitionibus illustrandas susceperint; quos inter Michaël Larroquanus [1], et Leo Allatius [2] memorandi sunt, qui de *Solea*, ac de *Narthece* singillatim pertractarunt. Quis tamen crederet, nemini adhuc in mentem venisse, de *Secretariis veterum Christianorum* speciatim disserere? Quod quidem qua de caussa factum sit, plane non video. Nihil enim reliquis Templi partibus hujusmodi locus dignitate, ac praestantia concedebat; ut ex iis, quae mox allaturi sumus, perspicuum fiet.

Ceterum etsi nemo hactenus, quantum equidem sciam,

1 De Narthece veteris Ecclesiae. *Exst. inter ejus* Adversaria sacre. Lugd. Batav. 1688. p. 427.

2 De Templis Graecorum recentioribus, de Narthece Ecclesiae veteris, et de Graecorum quorumdam Ordinationibus. Coloniae per Jac. Kalcovium 1645. 8. —Dissertatio de Solea veteris Ecclesiae. *Exst. in ejus* Symmictis. *ibid. editis* 1653. 8. p. 153.

Digitized by Google

de hujusmodi argumento peculiarem dissertationem exaravit, quamplurimi tamen fuerunt ii, qui de *veterum Secretariis* leviter, ac perfunctorie pertractarunt. Verum tantam inter eos animorum, ac sententiarum disparitatem fuisse comperi, ut non modo de eorum positu, atque usu, sed etiam de nomine, ac de ipsa quoque re inter se acerrime digladientur. Itaque divina quadam virgula mihi contigisse videtur, ut ego primum intactam hanc integramque provinciam, oppido salebrosam, multaque obductam caligine, susciperem; quod dum praestare aggredior, *de Ethnicorum, ac veterum Christianorum Secretariis* primo generatim, deinde vero de singulis *Basilicae Vaticanae veteris, ac novae* copiose, et accurate sermonem instituam.

§. II.

De variis Secretariorum, eorumque Custodum appellationibus.

Atque ut, quantum quidem in nobis esset, ordini, ac perspicuitati consuleretur, primo de *Secretariorum* appellationibus, quae in usu, et consuetudine *Graecae Ecclesiae* fuerint, (quae certe antiquiores, et a nostris temporibus remotiores quum sint, plusculum habiturae esse difficultatis videbantur), tum de iis, quae nostratium *Latinorum*, non modo apud Christianos, quam apud Ethnicos, tritae sermonibus fuerunt, verba facere in animo erat. Verum inter scribendum, re melius perpensa, ne pluries eadem recoquere lectorum fastidio cogeremur, primo de *latinis* quibuscumque *Secretarii* significationibus disputare, satius esse duximus.

Digitized by Google

Itaque *Secretarium* a Latinis, *Sacrarium*, *Salutatorium*, *Vestiarium*, *Revestiarium*, *Revesticorium*, *Revestitorium*, *Revestorium*, *Vestibulum*, *Revestibulum*, *Paratorium*, *Receptorium*, *Armarium*, *Armariolum*, *Donarium*, *Promptuarium*, *Sacristaneam*, *Sacristaniam*, *Sacristerium*, *Sagristiam*, *Sagrestiam*, *Segrestiam*, *Sacristariam*, et *Sacristiam* promiscue appellatum esse reperimus. A Graecis vero *Diaconicon*, *Decanicum*, *Egumenarchium*, *Mesatorium*, *Metatorium*, *Mitatorium*, *Mitatoricium*, *Scevophylacium*, *Cimeliarchium*, *Pastophorium*, *Gazophylacium*, *Hierophylacium*, *Canstrion*, pro locorum, ac temporum varietate.

Quid vero dicam de variis eorum nominibus, qui hujusmodi locorum custodiae praefecti erant? Modo enim apud Latinos, *Secretarios*, *Vestararios*, *Vestarios*, *Vestiarios*, *Aedituos*, *Aediles*, *Aedilitios*, dictos invenies; modo *Altararios*, *Altarerios*, *Altarienses*, *Altaristas*, *Altaristros*, *Apocrisarios*, *Armarios*, *Archiclavos*, *Archiclaves*, *Archiclavigeros*, *Clavigeros*, *Clavigerios*, *Clavicularios*, *Claverios*, *Capellanos*, *Costurarios*, *Vasorum Ecclesiae Custodes*, *Magistros Custodes*, *Gislerios*, *Judices Capellae*, *Capicerios*, *Capiciarios*, *Capitiarios*, *Cicendelarios*, *Mansionarios*, *Matricularios*, *Martyrarios*, *Martyrum Custodes*, *Ostiarios*, *Marrelarios*, *Meragularios*, *Paramonarios*, *Pridianos*; ac demum *Archisacristas*, *Sacristas*, *Sacellanos*, *Sacriscriniarios*, *Sacriscrinios*, *Sanctuarios*, *Sacristianos*, *Sacristanos*, *Secristes*, *Segrestanos*, *Segrestarios*, *Sarcitectos*, *Superistas*, *Superstantes*, *et Thesaurarios*. Apud Graecos autem *Scevophylacis*, *Carthophylacis*, *Cimeliarchae*, *Chimeliarchi*, *Cimeliophylacis*, *Crisonphylacis*, *Naophylacis*, *Hierophylacis*, *et Canstrisii* titulis promiscue decorabantur.

Quorum quidem nominum caussas, et origines sin-

Digitized by Google

gillatim, accurateque discutiendas esse censeo; ne quis earum vi, ac proprietate haud satis perspecta, cetera difficilius assequatur. Scitum est enim, qui verba, verborumque caussas, atque etymologias probe callent, eis non magnopere de sententia, quae verbis subjicitur, rerumque ab iisdem significatarum intelligentia laborandum esse.

Quod si nonnemini fortasse multus fuisse videar in hac enumeratione persequenda, is sciat, velim, me de industria id praestitisse, ut quisquam, uno veluti obtutu, usque ab ipso operis exordio, singularum denominationum seriem posset adspicere, quae pro *Secretariis*, eorumque *Custodibus* indicandis, tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia, fuerunt identidem usurpatae.

V. p. 136.



Digitized by Google

SYNTAGMATIS

PARS I.

DE SECRETARIIS

ETHNICORVM

Digitized by Google

PARS I.

DE SECRETARIIS ETHNICORVM

CAPVT I.

De Secretarii significatione, atque usu apud Latinos.

Plura apud *Latinos* nomina in usu fuisse vidimus, quibus *Sacraria* designabant; frequentius tamen, remotioribus praesertim temporibus, *Secretarii* titulo indigitari consuevisse, deprehendemus. Verum, quae fuerit apud Christianos hujuscemodi denominationis origo, in antecessum sedulo inquirendum.

Etsi multimode *Secretarii* vox, ut jam innuimus, fuerit usurpata, tamen si jura consulas, et jurisperitos, pro loco, ubi judices caussas dirimebant, ac seorsim tum partes, tum testes audiebantur, acceptam videbis. Hoc certe sensu occurrit in *l. lecta D. de rebus credit.*, *ult. Cod. de Officio divers. Judicum*, *ult. Cod. ubi Senat. vel Clariss.*, *et Constitut.* 1I. *in appendice Codicis Theodosiani*. Item *Glossae Basilic.* [1] reddunt Σήκρετον Δικαςήριον, Βασιλικὸν Σήκρετον, et Hesychius [2] Σήκρετον veitic Συνέδριον. Adde quamplures alios Scriptores apud Graecos, qui, ut ad rem de his etiam obiter heic moneam, *Secretarium* pro *Judicum Tribunali* habuerunt; nempe Suidam, Balsamonem [3], Ducangium, tum in *Glossario*, tum in notis

1 lib. vII. art. xcII.
2 in Lexico.
3 ad Nomocanonem Photii pag. 131. edit. Christoph. Justelli.

ad *Alexiadem* [1], ubi agit de *actis S. Maximi Confessoris*, et ad *Paullum Silentiarium* [2], Diploma Andronici Junioris pro *Monembasiotis* [3], Bullam auream Alexii Comneni apud Annam filiam [4], Synaxarium Maximi Cyther. [5], Vitam S. Theodori Syceotae [6], Martyrium S. Petri Arch. Alexandrini [7], Mich. Cerularium Patriar. Constantinopolitanum [8], Perdiccam Ephesium [9], Eusebium [10], et Cotelerium [11]. Eadem notione explicarunt, Macri in *Hierolexico*, Vossius [12], Pancirolus [13], Brissonius [14], Heinnecius [15], Pithaeus [16], Polletus [17], Gutherus [18], Kirchmannus [19], Joh. Columbus [20], et Pitiscus [21]. Iis vero plane consonant S. Ambrosius [22], S. Augustinus [23], Symmachus [24], Ammianus Marcellinus [25], Juretus [26], Lindebrogius [27], Valesius [28], Gundlingius [29], Frid. Spanhemius [30], Baronius [31], Gretserus [32], Balutius [33], Donatus [34], Georgius [35], Balle-

1 p. 262. 269.
2 in descript. S. Sophiae. p. 593.
3 sub finem.
4 l. iiI. p. 84.
5 xxiiI. Novembr.
6 n. xiI. p. 38. 39.
7 p. 218.
8 in ep. ad Petr. Antioch. Pat. n. vI.
9 in Themate Hierosolym.
10 lib. vI. Hist. Eccl. c. xxx. de Paullo Samosateno.
11 T. I. Monum. Eccl. Graec. p. 192.
12 de vitiis Serm. lib. iiI. c. XLVIII.
13 lib. I. Thes. var. Lect. c. LXXVII. et in Notitia dignit. Imper. Orient. c. 100.
14 de verborum significatione.
15 Tom. iiI. edit. Neap. tit. xviI. de Officio Judicis §. x. p. 477.
16 Adversar. lib. xI. c. iiI.
17 in For. Rom. lib. v. cap. xiI. in T. I. Thes. Poleni p. 365. 636.
18 de Offic. Dom. Aug. lib. iiI. c. viI.
19 de annul. c. ix.
20 in Lactant. de mortibus persecutor. cap. xv.
21 in Lexico T. iI. p. 716.
22 Serm. iv.
23 lib. iiI. contra Cresconium cap. LVI. de Sermone Domini in Monte cap. xxI. de Miraculis S. Stephani lib. iI. cap. ult.
24 l. x. ep. xxxvI.
25 l. xv. c. viI. p. 69.
26 in notis ad Symmachum.
27 in notis ad Ammian. loc. cit.
28 in notis ad Amm. et Euseb. loc. cit.
29 in Gundlingianis Observ. iv. p. 9.
30 T. I. Hist. Eccl. p. 868.
31 ad annum cccxxxI.
32 ad Codinum lib. iI. c. v.
33 in notis ad Caesarium Arelatensem. pag. 226.
34 lib. iv. Romae vet. c. iiI.
35 de Liturgia Romani Pontif. Tom. I. c. viI. p. 61.

rinii [1], Hieronymus de Prato [2], Galliciolius [3], Antonius Maria Lupus [4], aliique.

Verum *Secretarii* nomen pro loco, in quo *Judices* jus reddebant, accipiendum esse, nemo disertius explicavit eruditissimo Jacobo de la Landio, qui peculiarem dissertationem *de ingressu in Secretaria Judicum, et cum his considendi societate viris honoratis competente* [5] lucubravit. Nam Claudii Salmasii [6], et Jacobi Wenckeri [7] dissertationes, de eorum dumtaxat munere pertractant, qui a Principum *secretis*, sive ab epistulis, ita nuncupantur, etsi pauca ibidem de *Judicum Secretariis* etiam subnectant. Praeterea de iis plura in medium protulit Antonius Zirardinius in explanationibus *ad Theodosii Junioris, et Valentiniani* III. *novellas leges* [8], quas etiam quum ederet Cl. Joh. Christophorus Amadutius [9], nonnihil de iisdem *Secretariis* adjecit.

Ceterum haud quemlibet judiciorum locum *Secretarium* appellatum fuisse animadvertit Nardinius [10], sed eum praesertim, in quo de rebus criminalibus, et capitalibus agebatur. Nam Cassiodorus, ubi de *Secretario* mentionem facit, de caussis tantum criminalibus agit, inquiens [11]. *Quid enim prius facerent inter servos jura publica, qui personam legibus non habebant? Non ibi advocatus aderat; non se partes sollemni actione pulsabant. Erat SECRE-*

1 in notis ad S. Zenonis Opera p. 106.

2 in notis ad Sulpit. Sever. p. 369.

3 in notis ad Opera S. Gregorii Magni T. VII. p. 25.

4 In diss. de Baptisteriis p. 32. fra le dissertazioni, lettere, ed altre operette del medesimo, poste in luce da Franc. Ant. Zaccaria. Faenza 1785. 4.

5 in T. IV. novi Thesauri Juris Civilis, et Canonici, Gerardi Meermanni. p. 451.

6 de Secretariis. in Tom. III. Thesaur. Sallengr.

7 Jura Archivi, et Cancellariae, quibus accedunt VV. CC. Commentationes, de Archicancellariis, Vicecancellariis, Cancellariis, ac Secretariis. Argentor. 1715. 4.

8 Faventiae 1766. p. 798, et 445.

9 Romae 1767. fol. p. 14.

10 Roma Ant. p. 694. edit. 1771.

11 lib. VI. epist. VIII. p. 105.

TARIVM impolita seditione confusum, et appellabatur abusive judicium, ubi non allegabantur a partibus dicta prudentum. Itemque Symmachus ait [1], *quum ad examinandos actus Bassi Praefecti urbis potestas vicaria ad SECRETARIVM commune prodiisset.* Itaque, ut recte notat Vignolius [2], caussarum civilium judicia in Foris, in Basilicis, in Curiis, exercebantur; contra vero pro criminalium disceptatione, in quibus testes, reique clam interrogandi, ac saepe veritas per tormenta, et quaestiones elicienda, opportuna aedificata fuisse loca censendum est, quibus novum iccirco *Secretarii* nomen inditum sit.

CAPVT II.

Secretaria Judicum, eorumque partes describuntur.

Hactenus Scriptores recensuimus, qui nonnihil de *Judicum Secretariis*, eorumque usibus commentati sunt; nunc etiam juvabit singulos eorum aditus, ac penetralia seorsim introspicere. Verum in primis audiendus est Cassiodorus, qui postquam de Aponi fonte plura narravit, ita pergit [3]. *Sed non his tantum beneficiis Antenorea terra foecunda est: infert et alia, quae multo grandius obstupescas. Corda illa, ut ita dixerim, montium in vicem SECRETARII negotia contentiosa distinguunt; nam si quis forte pecus furatum pilis nativis solito more spoliare praesumpserit, undis ardentibus frequenter immersum necesse est, ut antea decoquat, quam emundare praevaleat. O vere SECRETARIVM jure reverendum, quando in his aquis non solum sensum, sed etiam verum constat esse judicium, et quod humana nequit alterca-*

1 Lib. x. epist. XLIII.
2 De Columna Imperatoris Antonini Pii, Romae 1705. 4. pag. 18.
3 Variar. lib. II. ep. XXXIX.

tione diſsolvi, fontium datum eſt aequitate definiri. Loquitur illic tacita natura, dum JVDICAT, ET SENTENTIAM QVODAMMODO DICIT, quae perfidiam negantis excludit. Ex his, quae nobis quamdam *Secretariorum* formam adumbrare videntur, jure colligit doctiſsimus Zirardinius [1], in *Secretariis* negotia contentioſa discingui, (ita enim pro *diſtingui* legendum eſse monuit Juretus [2], Theodoſiani Codicis exemplo, et auctoritate, ubi eadem vox paſsim occurrit), et a judicibus ſuper iis ſententiam ferri conſuevisse.

Plura quidem certe, in tam nobili, auguſtoque loco, ſpectatu digna obverſabantur. Prae ceteris tamen quum quattuor ibidem eminerent, nimirum *Cancelli*, *Vela*, *Tribunal Judicis*, atque *Ara*, de ſingulis nonnulla heic adnotare lubet, ut liquido poſthac appareat ſimilitudo, quae inter profana *Ethnicorum*, et ſacra *Chriſtianorum Secretaria*, non modo nomine, ſed etiam re, quoad formam, intercedebat.

C A P V T III.

De Secretariorum Cancellis.

Secretarium Judicis undequaque *Cancellis* munitum erat, qui turbas ſubmoverent, ac populo aditum intercluderent, quosque *judiciales* iccirco vocat Baſilius [3]. Iidem etiam *Septa*, et *Caulae*, ut ex notis Servii [4], Ciceronis [5], et Marcellini [6] locis compertum eſt, ſeu *januae feneſtratae*, aut *cancellatae fores* dicebantur, ut docet Caſsiodorus [7].

1 loc. cit. p. 80.
2 In not. ad Symmachum p. 177.
3 in vita S. Theclae l. 1. p. 28.
4 ad Vergilium.
5 in Orat. pro Sextio. III. in Verrem, et lib. 1. de Oratore.
6 lib. xxx. c. iv. de Advocatis.
7 lib. xI. Variar. epiſtol. vI.

Plerumque lignei erant; quandoque etiam ferrei, plumbei, aut marmorei, ut discimus ex Augustino [1].

Intra caulas Cancellorum Tribunalis Salmasius [2], et Fabrottus, veterum glossarum [3], et Marcellini [4] testimonio, Advocatos, qui ad caussam perorandam intererant, ob judicis reverentiam stare consuevisse docent. Sed tamen concione absoluta, eos etiam, una cum Rectore Provinciae, sedendi potestatem habuisse demonstrat de la Landius [5]. Id etiam aliis, ipsisque reis aliquando permissum fuisse, manifeste probant nonnullae legum formulae. Ait enim Zeno [6]; *eo, qui in crimen vocatus erit, ne quas ante probationes injurias patiatur, sedendi quoque in aliqua SECRETARII parte, quae judicibus inferior, altercantibus vero superior esse videatur, habituro licentiam*; atque alibi [7], *sedendi, quum celebratur cognitio, in SECRETARIIS Judicum jus consequantur*. Praeterea, ut Gutherus [8] adnotavit, *in caussis illustrium reorum statuit Imperator, ut in aliqua SECRETARII parte sederent Cornicularii, qui aderant cornibus SECRETARII*.

In ejusmodi *Secretaria* populo praeclusus erat ingressus, ut Valesius [9], et cumulatius Jac. [10] de la Landius animadvertunt, ex Const. II. in appendice Codicis Theodosiani, ubi praescribitur; *sit hujusmodi personis tenore hujus legis inlicitum sacra nostra adire SECRETA, et impetrare praescripta*. Sic enim promiscue *Secretarium* appellabatur, quod *judiciale secretum* vocavit Ammianus [11]. Id etiam ex Salviano licet deprehendere [12], qui ait, *intra januas non modo*

1 in lib. vI. Confessionum c. IX.

2 ad Hist. Aug. Script. p. 482.

3 ad Jac. Cujacii Parat. Codicis de adsessorib.

4 loc. cit.

5 loc. cit. c. I. de Honoratis p. 454.

6 ex Cod. lib. III. tit. XXIV. leg. III.

7 in l. ult. Cod. ubi Senat. vel Clariss.

8 de Offic. dom. Augustae p. 473, et in T. III. Thes. Sallengre p. 511.

9 ad Marcellin. loc. cit.

10 loc. cit. p. 450.

11 lib. XV. c. VII.

12 lib. III. de gubernat. Dei.

illustrium Potestatum, sed etiam Praesidum, aut Praepositorum, non omnes passim intrare praesumunt, nisi quos aut Judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas intrare permiserit. Quamobrem Plinius Trajani facilitatem in admissionibus [1] summis laudibus commendavit.

Verum ne ipsi quidem Judicum Ministri indiscriminatim *Secretarii* penetralia ingrediebantur, sed tantum in limine consistebant. Audi Servium, qui rem ita declarat [2]; *ducuntur Judices usque ad SECRETARII fores; ibi denique OFFICIVM remanet; illi velo ingressi solium conscendunt, et sedent*. Eô enim dumtaxat iis, quorum necessaria esset opera, patebat accessus, praeter *Honoratos*, quibus liberum semper ingressum leges [3] concesserant, ut liquet ex ea praesertim Valentiniani, quae ita jussit [4]; *sciant principes, cornicularii, et primates officiorum, ternas libras auri e suis facultatibus eruendas, si Honoratis viris SECRETARII in judicium non patuerit accessus*. Quod vero ad Ministros pertinet, Sidonii Apollinaris auctoritatem praestat in medium afferre, qui ita habet [5]. *Circumsistit sellam comes armiger, pellitorum turba satellitum ne abiit, admittitur, ne obstrepat, eliminatur; sicque pro foribus immurmurat exclusa velis, inclusa cancellis*. Item Corippus Justini Minoris *Secretarium*, seu *Consistorium* describens, protectores extra velum collocat hujusmodi versibus [6]

Nobilitat medios sedes augusta penates,
Quattuor eximiis circumvallata columnis,

et paullo infra

Vela tegunt postes; custodes ardua servant

1 In Panegyrico.
2 ad lib. I. Aeneidos.
3 lib. VII. Cod. Theodos. de proxim. Consist. disposit. Lib. XVI. Cod. de accusat.
4 in lege ultima Codicis de Officiis diversorum.
5 in lib. I. Epistolar.
6 lib. III.

Limina, et indignis intrare volentibus obstant,
Condensi numeris, fastu, nutuque tremendi.

Recte igitur Sirmondus [1] omnium judicum *Secretaria*, circumsepta, et clausa fuisse scribit, intra quae Comites, et Consilii participes admittebantur.

Quare mihi non convenit cum Zirardinio, viro ceteroqui pereruđito, qui [2] *in Secretaria Judicum PLERVMQVE populo ingressum patuisse* pronunciat, *etiamsi judex in iis cognoscens sederet*. Nam etsi quandoque ingressum in *Secretaria* populo permissum fuisse concedam, tamen abnuo, liberum ei accessum patuisse, vel quum judex ibidem de rebus gravioribus, et capitalibus deliberaturus erat. Nec moror allatum ab eodem Zirardinio [3] locum Marcellini Tribuni, et Notarii, Judicis extra ordinem inter Catholicos, et Donatistas ab Imperatore constituti, quo monet futurum *collationi aptissimum locum Thermarum Gargilianarum*, *Secretarium* scilicet, initio I, II, et III. collationis diserte nominatum, *in quem die Kalendarum Juniarum eosdem Episcopos solos, qui designati sunt, oporteat convenire. Ex quo illud profecto perspicuum est, eô nullum penitus populi fieri debere conventum, quo nec ipsos universos confluere sinatur Episcopos*. Id enim, ne quid dicam de diversa, planeque singulari illius conventus caussa, probat, Marcellinum alias, publici favoris excipiendi gratia, Populum in *Secretarium* admittere consuevisse; quin tamen id ipsum alios etiam Judices, ac Magistratus fecisse constet. Porro Patres Ecclesiae Africanae [4], ut Valesius [5] etiam, et Hieronymus de Prato [6] animadver-

1 in T. I. Opp. p. 842, et in Tom. I. Conc. Galliae p. 616.
2 p. 446.
3 p. 447.
4 in Cod. Canonum Ecclesiae Africanae c. XCVII.
5 ad Marcellin. p. 87.
6 in notis ad Sulpic. Sever. p. 369.

tunt, ab Imperatore enixe deposcunt, *ut defensoribus Ecclesiarum liceat ingredi Judicum SECRETARIA*, quod certe iis licuisset, si eò vel populo patuisset accessus. Id enim dumtaxat permissum videtur, quum judices, postquam omnia caussarum momenta perpenderant, sententiam pronunciabant, ut patet ex hoc Valentiniani praescripto [1]: *Judex sibi hanc praecipuam curam in audiendis, ac discingendis litibus impositam esse non ambigat, ita ut non in secessu domus de statu hominum, vel patrimoniorum sententiam referat, sed apertis SECRETARII foribus, intra vocatis omnibus.*

Praeterea cautum fuit, ne caussae Rectoris provinciae cognitione indignae in *Secretarium* introducerentur, hac poenà inflicta ab Impp. Arcadio, et Honorio [2]: *quum igitur de his rebus parvis, ac minimis, tuae sit injuria potestatis judicare, decretum est, eas tantum caussas criminales a sinceritate tua audiri, quas dignus, et meritus horror inscriptionis impleverit, quae magnitudinem videlicet criminis, tempusque designat, ut alterutram partem digna legum tenere possit austeritas. Quod statutum si fuerit forte contemptum, hi, qui ex Officio ingrediuntur SECRETARIVM, quinque librarum auri condemnatione feriantur.*

Qui vero forensibus Judicum *Cancellis* praefecti erant, eorum jussa capessebant, supplicesque coram iis sistebant, vulgo dicebantur *Cancellarii* [3], *a cancellis, ministri a cancellis, accensi, ab admissionibus, admissionales* [4], qui-

1 in T. I. Cod. Theod. cum not. Goth. p. 97.

2 in l. 1I. Cod. Theod. de Offic. Rect. Prov.

3 Gaspar Sagittarius de Januis Veterum cap. xxxvI. de admissione, et exclusione in T. vI. Thes. Graevii p. 538. Salmatius de Secretariis in T. 1I. Thes. Sallengre. pag. 671. Polletus in cap. x1I. Histor. Fori Rom. in T. I. Thes. Poleni pag. 636.

4 Gutherus de Off. dom. Aug. p. 506. et in T. 11I. Thes. Sallengre p. 526. 527. 431. 469. Pancirolus in Notitia dignitatum Imp. Orient. in T. v1I. Thes. Graevii pag. 1506. Bianchini Sepolcro de' Servi della Casa d'Augusto p. 172. Gorius de Libertorum Columbario. in T. III. Thes. Poleni p. 91. 92.

bus praeerat *Magister admissionum* [1], cujus officium memorant Suetonius [2], Vopiscus [3], et Ammianus [4]. De iis, praeter Petrum Pithaeum [5], Isaacum Casaubonum [6], Claudium Salmasium [7], Ezechielem Spanhemium [8], Jacobum Gothofredum [9], Carolum Ducangium [10], aliosque [11], copiose agunt Phil. a Turre [12], et Antonius Zirardinius [13]. Sed quum hujusmodi admissionum gratia, nonnulli ex iis pecuniam indebite a litigatoribus identidem extorquerent, id Constantinum M. permovit, ut hanc, ad eorum rapacitatem coercendam, legem conderet [14]; *non sit venale Judicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus SECRETARIVM, non visio ipsa Judicis cum pretio. Absit ab inducendo ejus, qui Officii Princeps dicitur, depraedatio. Centurionum, aliorumque Officialium magna, parvaque poscentium impetus oblidantur.*

Jam vero ego ipse, reseratis *cancellis*, te ad *vela*, quibus *Secretarii* fores operiebantur, adspicienda, veluti manuducam.

1 Pignorius de Servis in T. III. Thes. Poleni p. 1210. 1279, et Titius Popma de Operis Servorum. ibid. p. 1356.
2 in Vespasiano c. XIV. n. 2.
3 in Aureliano cap. XII.
4 lib. XV. c. V.
5 in lib. II. adversar. c. XII.
6 in Alex. Lamprid. c. IV. et in Vopisci Carinum cap. XVI.
7 in Dissert. de Secretariis. in T. II. Thes. Sallengr.
8 ad Julian. Caesar. p. 433.
9 ad leg. I. Cod. Theodos. de Officiis Rectorum Provinciarum, ad legem III. Codic. Theodos. de adsessoribus, et ad lib. ult. ejus. de Cancellariis.
10 in Lex. med. et inf. Latin.
11 Christ. Waechtlerus de Cancellariis Veterum. Dresdae 1705. 4. Joh. Mich. Weinrichius de Cancellariis. Jac. Wenckerus in op. cit.
12 Monumenta vet. Antii p. 39. 40. 41.
13 de Antiq. Ravennae Aedificiis p. 134, et ad novell. Theod. Junior. p. 85.
14 in lib. I. Cod. de Off. Rect. Provinc. et lib. I. Cod. Theod. tit. VI.

Digitized by Google

CAPVT IIII.

De Velis Secretariorum.

Interiorem *Praetorii* [1] locum, quô Magistratus secedebant ad reorum caussas cognoscendas, Valesius [2], et Perizonius [3] *Secretarium*, Christoph. Adam Pukelius [4], et Johannes Strauchius [5], *Secretum* appellari consuevisse putant, quod non solum *Cancellis* munitus, sed etiam *velis* obpansis inclusus esset. Et sane Ludovicus Cresollius [6] *Secretarii* nomen hujusmodi *Consistoriis* inditum fuisse existimavit a *secernendo*; siquidem *Judicum Praetoria*, sive *Secretaria Praetorii*, ut loquitur Augustinus [7], aut *Secretaria Praetoriana*, ut Cassiodorus [8], in Basilicarum recessu plerumque statuebantur, ut *secreta* essent loca a turbis, et vulgi frequentia. Hinc etiam ipsis *Secretarii* foribus *velamina* obducebantur, quae judicum adspectum removerent. Qua de re dubitare nemo potest, quum praeter allatam Constantini legem, *Judex Veli* subscripserit decreto Alexii Comneni in ejus Rationario a Maurinis in lucem edito [9], et Gregorius Nyssaenus [10], ubi judicialem cognitionem describit, quam Praefectus Praetorio

1 M. Ant. Surgens de Praefecto Praetorio in Neapoli illustrata. 1597, et 1602, et in T. IX. Thes. Ital. par. III. Gutherus de Offic. dom. Aug. lib. II. c. I. Bulengerus de Imperio Rom. lib. III. c. II. Torrentius, et Casaubonus in not. ad Sueton. T. II. p. 147, et 276. Boeclerus ad Herodianum lib. I. c. IX. p. 374. Petr. Faber Semestrium lib. I. Petr. Wesselingius lib. II. var. Observ. cap. XI. Joh. Joh. Krebsius de usu, et praestantia Rom. Hist. in N. T. interpretatione. Lipsiae 1744. 8. pag. 14. et Joh. Dan. Ritteri Historia Praefecturae Praetorianae. Witteb. 1745. 4.

2 Ad Hist. Eccl. Eusebii lib. VII. p. 167.

3 Disq. de Praetorio, et de Augustea Orbis terrarum descriptione. Lugd. Bat. 1696. 8, et Franequerae 1760. 8.

4 De Precario. Jenae 1674.

5 De Precario. ibid. 4.

6 in Mystagogo. lib. III. cap. VIII. pag. 458. Lut. Paris. 1629.

7 III. LVI. contra Cresconium.

8 Variar. lib. XI. c. 36.

9 in Analect. Graec. p. 380.

10 in lib. I. contra Eunomium T. II. p. 315.

tulit adversus M. Basilium, ob oculos ponat *Praecones*, *Introductores*, *Lictores*, *Cancellos*, *VELA*, quae illius *Secretarii* vestibulum occludebant. Qui vero ea observabant, ac diducebant, ut pateret aditus introeuntibus, *janitores*, *ministri ad fores*, *statores a velis*, *velarii*, *praepositi velariorum*, *supra velarios* [1] appellabantur. Praeterea *Secretariorum vela* a Clemente [2], Basilio [3], Sidonio Apollinari [4], et Chrysostomo memorantur, cujus verba haec sunt [5]; *Mos autem est Judicibus, ut haec non clam faciant, sed ut in excelso Tribunali sedentes, omnibus adstantibus, et contractis VELIS hoc faciant*. Haec enim, etsi frequentius, praesertim in caussis gravioribus, quae ampliori deliberatione indigebant, manerent oppansa, donec totius controversiae disceptatio absolveretur, tamen interdum recludebantur, si Judici liberet palam judicium ferre.

Id constat ex Querulo Plauti judicem collaudante, qui *tam pie jus PATENTE VELO dixit*; ac praecipue fieri solebat, quum caussae vulgares agebantur, quae leviorem indaginem, curamque requirebant, quasque ipsae leges Theodosianae [6], *levato velo*, palam scilicet, atque omnibus admissis, discutiendas esse praecipiebant; cujusmodi erant cognitiones de *bonis naufragorum*. Hoc enim modo Kirchmannus [7], Magius [8], Nardinius [9], Pancirolus [10] intelligenda esse pronuntiant illa Honorii, et Theo-

1 Gruter. pag. DLXXXIX. n. 5. n. 7. Vignolius de Columna Antonini p. 272. Gutherus de Officiis domus Augustae pag. 508, et in T. III. Thes. Sallengre p. 527. Laur. Pignorius de Servis T. III. Thes. Poleni pag. 1280. Jan. Guilielmus de Magistrat. Rom. cap. xxx. Gasp. Sagittarius de Januis Veterum c. xvI.

2 in lib. II. Const. Apostol. c. xII.

3 In Epist. LXXXIX. ad Eustachium Sebast. Episc.

4 lib. xI. ep. 1I.

5 T. vI. Opp. edit. Ven. p. 65.

6 in lib. vI. de Naufrag.

7 de Annul. c. Ix.

8 Misc. lib. I. c. III.

9 Rom. Vet. c. vIII.

10 Notit. dignit. Imper. Orient. cap. c.

dosii verba, *de submersis navibus decernimus, ut* **LEVATO VELO** *caussae istae cognoscantur*. Quae quidem verba nonnulli in proverbium trahere voluerunt, ut *levato velo cognoscere*, sit summatim caussam inquirere, et judicare. Quod etsi Magius [1], Alciati auctoritate subnixus; improbandum ducat, tuetur tamen Gasp. Sagittarius [2]. Contra vero fieri solebat in facinorosorum judiciis, quae *obducto velo* agebantur, ut Basilius testatur [3]. *Si principes hujus mundi, quum facinorosum aliquem ad mortem condemnare volunt, adducunt VELA, et multum temporis insumunt.* Hoc idem a Clemente acceptum habemus. *Contemplamini*, inquit [4], *judicia saecularia; hi enim statim ut ab iis, qui reos in judicium sistunt, quaestiones de eis habitas acceperunt, quaerunt ex malefico ipso, an ita se res habeat: ille vero si ait, non statim mittitur ad supplicium; imo pluribus diebus cum multa deliberatione, ac consultatione, et INTERIECTO VELO, inquiritur in eum*. Praeterea *ad velum sisti* idem erat, ac coram judice in judicio sisti, ut probant Chrysostomi verba [5]; *latrones quamdiu custodia detinentur, securi vivunt: ubi vero PERDVCTOS AD VELVM quis stiterit, tum jam metu dissolvuntur, quippe jam morti propius admoti*: atque alibi de ritu diducendi velamina per publicum Statorem, quum sententia publice esset proferenda, *quemadmodum*, inquit [6], *quum publice sententiam judices prolaturi sunt, VELAMINA statores CONTRAHVNT, ut ab omnibus videantur*.

Duplex vero hujusmodi *VELVM* fuisse demonstrat Alamannus [7]. Alterum *exterius*, in primis cubiculi foribus,

1 Miscell. lib. XI. c. XIII.
2 de Januis Veterum cap. XXIV. de Velis Januarum in T. VI. Thes. Graevii p. 490.
3 in Epist. 69. ad Eustath.
4 in lib. II. Const. Apost. cap. LII.
5 in epist. II. ad Timoth. homil. V.
6 in Matth. c. XVII. homil. LVI.
7 in notis ad Procopium p. 103.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quod *Consistorium* fortasse dictum fuit a multitudine ibidem consistente, quae *Secretaria publica*, nimirum judicis adloquium, et cognitionem *praestolabatur* [1]. Alterum *interius*, quod ipsum Judicis cubiculum vestiebat. Hinc Κριταὶ τῦ βήλυ apud Byzantios *Judices* vocabantur, de quibus fuse egit Ducangius [2]. Id autem praesertim ex pluribus actis Martyrum, qui pro *Christi* relligione, ejusque perseverantia, sanguinem suum vitamque fundere inter acerbissimos cruciatus non dubitarunt, manifesto adparet; ubi quum saepe nominatim utriusque *veli* mentio fiat, iccirco minime supervacaneum, puto, erit, insigniora eorum loca ad rem illustrandam recitare.

§. I.

Acta Martyrum, in quibus duplex Secretariorum velum memoratur.

Atque ut ab actis *S. Euplii*, quae apud Cotelerium [3], Surium [4], Bollandianos [5], Baronium [6], et Ruinartium [7] occurrunt, exordiamur, haec ibidem legimus. *Dn. Nr. Diocletiano novies, et Maximiano octies Coss. pridie Id. Aug. in Catanensi Civitate quum esset EXTRA VELVM SECRETARII Euplius Diaconus, proclamavit dicens: Christianus sum, et pro Christi nomine mori desidero. Audiens Calvisianus Consularis dixit: ingrediatur, qui clamavit. Et quum ingressus fuisset* Euplius *SECRETARIVM Judicis, Calvisianus Consu-*

1 L. ult. Cod. Theod. inf. de denuntiat. l. v. de pactis. l. v, et vii. inf. de proximis. l. xx. inf. de exactionibus.

2 in Glossar. Graeco.

3 in Tom. I. Mon. Eccles. Graec. Paris. 1677. 4. p. 192, et ex Symeone Metaphraste, graece, et latine. ibid. p. 194.

4 in vitis SS. d. xii. Aug. p. 104.

5 Acta cum Commentario praevio, et notis Johannis Pinii. Tom. ii. Augusti pag. 721.

6 in Martyr. die xii. Augusti.

7 in Actis primor. MM. Amst. 1713. fol. p. 406. 409.

laris interlocutus dixit . . . . *Calvisianus* INTRA VELVM INTERIVS *ingrediens*, *sententiam dictavit*, *et foras egressus*, *afferens tabellam legit*, *Euplium Christianum* . . . *gladio animadverti jubeo*. Famianum Nardinium [1], qui ex hoc loco Iudicis Tribunal *uno* dumtaxat *velo* praecingi, imperite existimavit, Molossius nuperus eius editor castigavit. *Duplex* enim *velum* ibidem diserte describitur. Alterum, *extra* quod *Euplius* sese Christianum esse impavida voce professus est; alterum, *intra* quod Calvisianus se contulit, ut sententiam proferret. Cujus quidem *interioris veli*, quod judicem plane occultabat, rationem reddit Augustinus praeclaris hujusmodi verbis [2]; *ultimam sententiam*, *quam dicturus est Judex*, *in Tabella descripturus manu sua*, *ultra quam sententiam nihil jam judicaturus est*, *Partes non audiunt*, *illis foras exeuntibus scribitur : attonitae sunt ambae partes*, *atque suspensae*, *contra quam*, *vel pro qua sententia illius procedat*. *Magnum* SECRETVM *Judicis*; *unde* SECRETARIVM *nominatur*. Et sane Antoninus Caesar, ut habemus in lege III [3], postquam utramque partem audierat, sententiam laturus, *remotis omnibus quum deliberasset*, *et admitti rursus eosdem jussisset*, *dixit*. Quod enim heic Judices, dimissis partibus, fecisse constat, alii per *veli* interpositionem praestabant, ut supra vidimus, ne quum de sententia cogitabant, ab aliis cerni, audirique possent.

Id etiam luculenter evincitur ex illo actorum loco SS. Claudii, Asterii, et Neonis MM. Aegis in Cilicia, apud Surium [4], Baronium [5], Bollandianos [6], et Rui-

1 Roma antica, e moderna. 1771. T. II. pag. 697.

2 lib. de Ovibus c. III. T. v. edit. Maur. Ser. XLVII.

3 de his, quae in testamento delentur.

4 in Vitis SS. die XXIII. Aug. p. 253.

5 ad ann. CCLXXXV.

6 Acta cum commentario praevio, et annotationibus Guil. Cuperi. T. IV. Augusti p. 571.

nartium [1], *Lysias Proconsul introgressus obduxit VELVM, et post exiens, ex tabella recitavit sententiam dicens*. Nam licet in ea *Secretarii* parte, in qua Christianos interrogabant, *contracto velo*, juxta legum praescripta [2] sententiam pronunciarent, tamen iis auditis, una cum suis adsessoribus colloquuturi, in penitiori *Secretarii* loco eam concipiebant, ac de Christianorum sorte deliberabant. Huc certe respicit Augustinus, ubi rectum, ac probum judicem conferens cum eo, qui contra juris ordinem, formamque cognoscit, *attendite*, inquit [3], *venientem judicem; bene est, deo gratias; non tacuit sententiam definitivam, non misit foras reos, et duxit VELVM*. Itaque perspicuum est, vel *duplex* in *Secretariis* conclave pro foribus *vela* protendens fuisse, quae adduci, reducique possent; vel idem *Secretarium* duas in partes, exteriorem, et interiorem, quodammodo a *velis* divisum.

§. II.

Conciliorum de Velis testimonia.

Praeterea passim in Conciliorum monumentis, ut Cotelerius [4] etiam observavit, *de velis Judicum*, et *Judicibus veli* fit mentio. Sed ne singula proferamus exempla, quae in medium adduci possent, satis erit Collationem Carthaginensem evolvere, quam inter Catholicos, et Donatistas, in *Secretario* Thermarum Gargilianarum habitam fuisse, supra notavimus. Nam initio ejusdem collationis, cujus acta quotannis per dies quadragesimalis jejunii in Ecclesia Hipponensi lecta fuisse testatur Augustinus [5],

1 in Actis MM. p. 233.

2 in l. II. Cod. de Off. Rector. Provinc. l. VI. Cod. de sentent. interloquutor.

3 ad Psalm. LXXX.

4 Tom. I. Monum. Eccles. Graec. p. 160.

5 epist. CLVIII.

Digitized by Google

quaeque Papirius Massonus primum, deinde Franc. Balduinus [1], Petrus Pithaeus [2], Steph. Balutius [3], et Joh. Corradus Dannhaverus [4] ediderunt, Libosus Ducenarius Marcellinum Tribunum Notarium, Judicem extra ordinem inter Catholicos, et Donatistas ab Imperatore constitutum, hujusmodi verbis adloquitur [5]. *Quoniam in hodiernum diem comperendinata cognitio est, et pro VELO sunt utriusque partis Episcopi, si jubet sublimitas tua, intromittentur*. Pro *exteriore Velo*, quod heic nominatur, in Collatione III. [6] *fores* ita memorantur, e quibus nempe *velum*, aliorum instar *Secretariorum* pendebat; *nunc utraeque partes pro foribus sunt, si praecipis, intromittentur*. Nam pro iis indicandis, qui vela observabant, utraque vox promiscue usurpabatur, ut liquet ex Synodi Romanae verbis, sub Zacharia sessione II. *Deneardus religiosissimus Presbyter adest pro velo; quid praecipitis? dictum est, ingrediatur*; aliisque in sessione tertia, quibus idem Deneardus adesse nuntiatur, altero hoc modo, *praesto est pro foribus*.

§. III.

Aliorum Scriptorum exempla, quibus vela indicantur.

Theodosius, et Valentinianus legem tulerunt [7], *ne quis VELA REGIA suspendere, vel titulum* auderet, inflicta poe-

1 Historia Carthaginensis Collationis, sive disputationis de ecclesia, olim habitae inter Catholicos, et Donatistas, ex rerum Ecclesiasticarum Commentariis. Paris. 1566. 8.

2 Gesta Collationis Carthagine habitae, Honorii Caesaris jussu, inter Catholicos, et Donatistas . . . Papirii Massoni studio, atque opera primum in lucem edita, a P. P. cum mss. collata, et emendata. ex typographia Commelini 1596. 8, et inter Opera S. Optati Paris. 1679. fol.

3 ad calcem S. Optati de schism. Donatist. Antuarp. 1702. fol p. 225. 235.

4 Disputatio ad Collationem Carthaginensem inter Catholicos, et Donatistas scripta ann. 1651. *Ext.* inter ejus Disputationes Theologicas. Lips. 1707. 4. P. II. p. 782. 836.

5 Cap. I. p. 218.

6 Cap. I. p. 249.

7 L. II. C. ut nemo privatus.

na, ut cujuslibet conditionis hominibus liceret *deponendi, vel frangendi titulos, et conscindendi VELA, sine metu calumniae, et accusatione criminis.* Haec erant purpurea, auro, pretiosisque lapillis, et gemmis praetexta, quibus Imperatores, aliique Reges, ac Tetrarchae in suis aedibus utebantur. Per *vela regia* haud dubie purpurea indicari testis est Plinius, ubi ait [1], *velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit; hoc fuit Imperatoriae navis insigne.* Eorum vero usus apud summos Principes luculenter a Tertulliano declaratur, qui scriptum reliquit [2]; *Parietes, tyriis, et hyacinthinis, et istis REGIIS VELIS, quae vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur; vilior apud eos est purpura, quam rubrica.* De *regiis* hujusmodi *velis*, ac titulis pererudite disseruit Cl. Petrus Laurentius del Signore [3], qui veterem Inscriptionem a M. Vlpio Maximo, Praeposito Tabellariorum SOLI INBICTO MITRE positam, et a Grutero [4], et Gorio [5] prolatam, ubi Ara cum suis ornamentis, et BELA DOMINI INSIGNIA HABENTES memorantur, a Scipionis Maffeii censuris vindicavit. Lipsius [6] enim adnotavit, imaginibus, et statuis Deorum *vela oppansa*, ac die festo, ut eaedem conspici possent, iterum *remota*. Hujusce usus meminit Apulejus, qui haec de se narrat [7], *Attonitus Templi matutinas apertiones operiebar, ac dum VELIS CANDENTIBVS REDVCTIS in diversum Deae venerabilem conspectum apprecamur;* ac paullo infra, in eodem Templo sibi, tamquam Numini, *ad instar Solis adornato, et*

1 lib. xix. c. I.

2 de habitu Mulier. c. vII.

3 Marmi Riccerdiani difesi dalle censure del March. Scipione Maffei. Firenze 1781. in 4. p. 89.

4 p. xxxv. n. 1.

5 Inscript. Hetrur. T. I. p. 112.

6 lib. I. elector. c. 29.

7 Metamorph. lib. xI. edit. Elmenorstii.

in vicem simulacri constituto, repente VELIS REDVCTIS in adspectum populus errabat. Hoc idem a Sulpicio Severo confirmatur, qui a Gallis [1] *simulacra Daemonum CANDIDO VELAMINE OBDVCTA* fuisse testatur.

Sed ut a Templis Deorum ad Regias Principum revertamur, mea quidem sententia, *duplicis veli* usus nullibi clarius apparet, quam apud Anastasium in *vita Silverii*, ubi de Belisario, qui tum Romae degebat, haec literis consignavit [2]. *Tunc fecit eum* (Silverium) *venire ad se in Palatium Pincis, et ad primum, et secundum velum retinuit omnem clerum*, nimirum, ut apposite notat Vignolius, *extra primas, et secundas interioris Palatii fores, vela dictas, quia velis claudi solebant*. Id etiam graphice depictum cernimus in tabula, quam exhibet *Consularis Campaniae Notitia* [3], quamque in prima Syntagmatis hujusce litera delineandam curavimus, ubi Tribunal, cui Mulier Campaniam referens insidet, post *vela* conspicitur.

Nam, *vela* non modo *Secretarii*, sed *Consistorii*, et *Palatii Imperatorum foribus* appensa fuisse, docent Athanasius [4], Cyrillus Scythopolitanus [5], et Lucifer Calaritanus [6]; atque iccirco *vela cubicularia* dicebantur. Eorum obtectu sese abdidisse Helagabalum tradit Lampridius, ubi ait [7]; *subito militum strepitu exterritus, in angulum se condidit, objectuque VELI CVBICVLARIS, quod in introitu cubiculi erat, se texit*. Iisdem velis prae metu

1 lib. I. de vita S. Martini.

2 T. I. §. VIII, et apud Samuelem Schelgrigium in dissertione historica de Belisario. Witemb. 1665. 4.

3 apud Pancirolum in notit. dignit. Imp. Orient. c. 6, et in T. VII. Thes. Graev. p. 180.

4 in sui Apologia ad Constantium.

5 in vita S. Sabae apud Cotelerium T. III. Monum. Eccl. Graec. cap. II, et CLXXII.

6 in lib. moriendum esse pro Dei filio.

7 c. XIV.

mortis se Claudius contexit; verum ex illis evolutus, repente Imperator salutatus fuit, ut narrat Suetonius [1]. *Neque multo post rumore caedis exterritus, prorepsit ad solarium proximum, interque PRAETENTA FORIBVS VELA se abdidit*. Regii quoque coenaculi januae apud Persas *obditum* fuisse *velum* memorat Athenaeus [2]. Atque hinc Pollux praescripsit [3], *prae foribus cubiculi tibi sint VELA*; et Tacitus inquit [4], *ut adstaret abditis a tergo foribus VELO discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret*. Quae quidem Sagittarius [5], Lipsius [6], Pignorius [7], Kobierzyckius [8], Dempsterus [9], Schillius [10], pluribus illustrant. Haec eadem *vela* in admissionibus levabantur, ut ex Seneca colligimus [11], *non crepuit subinde ostium, non allevabatur VELVM*. Quocirca Lampridius Alexandrum Severum laude exornavit, qui [12] *cum amicis tam familiariter vixit, ut salutaretur quasi unus de Senatoribus, PATENTE VELO, admissionalibus remotis, aut solis iis, qui ministri ad fores fuerant*.

Sed tandem *velis* posthabitis, de quibus, si plura cupis, consule Laurentium Pignorium [13], ac praesertim Joseph. Lanzonium, qui [14] *de velorum usu apud veteres* eruditam dissertationem concinnavit, ad ipsum *Tribunal* modo memoratum, propius accedamus.

1 c. x. n. iii. edit. Pitiscl.
2 lib. iv. c. x. p. 145.
3 lib. x. c. vii.
4 Annal. xiii. c. v.
5 de Ian. Vet. c. xxiv.
6 in Tac. lib. xiii. n. xiv.
7 de Serv. p. 468.
8 de Lusu Romanor. c. xxi.
9 Paralipom. ad Rosin. antiq. Rom. v. x.
10 Nomencl. Philol. p. 1104.
11 epist. LXXXI.
12 c. iv.
13 de Servis in T. iii. Thes. Poleni. p. 1180.
14 Lettera intorno l'uso antico delle Portiere, Cortine, etc. Nella Galleria di Minerva. Venezia 1696. fol. Tom. I. pag. 353.

CAPVT V.

De Tribunali Secretariorum, ejusque gradibus, atque altitudine,

Tribunalis descriptionem, ac mensuram nobis exhibet latinae architecturae praeceptor, ubi ait [1]; *TRIBVNAL est in aede hemicyclii, in fronte est intervallum pedum quadraginta sex, introrsus curvaturae pedum quindecim*. Sella curulis Magistratuum, una cum aliis ad ministerium opportunis, ibidem exstabat, ut numi veteres Augusti apud Goltzium [2], Vitellii apud Arschotanum [3], Schefferus [4], Manutius [5], et Polletus [6] ostendunt. Rem quoque confirmant Tullius, et Tacitus. Alter enim inquit [7], *palam de sella, atque tribunali pronuntiavit*. Alter vero haec habet [8], *assidebat mixtim, aut in cornu Tribunalis, ne praetorem curuli deperderet*. Plures vero erant gradus, quibus ad hunc editiorem suggestum Judex ascendebat. Porro in descriptione Vrbis Constantinopolitanae, regione secunda describitur *tribunal purpureis gradibus exstructum*, ut Schefferus [9], Chimentellius [10], Noodtius [11] animadvertunt. Hac de caussa *superiorem locum* Tullius [12] appellavit; et Claudianus cecinit [13], *scandat sublime TRIBVNAL*, quod *celsum* vocat Juvenalis; itemque Martialis [14],

Sedeas in alto tu licet TRIBVNALI,
Et e curuli jura gentibus reddas.

1 lib. v. cap. I. de Basilica Julia.
2 p. 57.
3 p. 23.
4 de re Vehicul. l. II., c. xvI. et in T. v. Thes. Poleni p. 1375.
5 Quaest. Epist. III. 4.
6 For. Rom. lib. I. c. vI.
7 Verr. II. n. 38.
8 Annal. I. c. LXXV. n. I.
9 loc. cit.
10 de Honore Bisellii c. xv.
11 de Jurisdictione, et Imperio lib. I. cap. x.
12 lib. III. famil. epist. vIII.
13 in Rufin. lib. II. v. 382.
14 lib. XI. 99. 17.

Quo vero major, atque illustrior ejus dignitas, eo altius, excelsiusque *Tribunal* fuisse videtur, ut prolatis exemplis probant Fabius Toernerus [1], Joh. Sam. Frid. Boehmerus [2], et Joh. Christ. Haynischius [3]. Hinc Cassiodorus Praefectum Praetorio sic admonet [4]; *TRIBVNAL tuum ideo tam excelsum factum esse noveris, ut locatus ibi, nihil humile, abjectumque cogitares*. Item Asterius in historia *Martyrii S. Euphemiae* [5], *Judicem in solio sublimem* ob oculos ponit. Sed *Tribunalium altitudinem*, et *gradus* praecipue demonstrat Theodori Episcopi epistola, de *Martyrio SS. Quirici, et Julittae* [6], ubi Praesidem Lycaoniae ex *gradibus excelsi Tribunalis*, in quo sedebat, *Quiricum* immaniter deturbasse, atque ad eorum angulos pueri caput misere allisum fuisse narrat.

CAPVT VI.

De Vexillis, quae circum Tribunalia Judicum in Secretariis pendebant.

Tribunalium decus, ac majestatem insigniter augebant Imperatoria *Vexilla*, quae, quum Judices sententiam ferebant, saltem in gravioribus caussis, et sollemnioribus judiciis circum explicabantur. Hujusce usus testem habemus locupletissimum auctorem operis imperfecti, quem laudat Joh. Bapt. Cotelerius [7], et Montfauconius exhi-

1 de Judiciis publicis veterum Romanorum. Vpsal. 1727. 8.
2 Programma Academicum de Auditorio judiciali. Halae Magdeb. 1726. 4.
3 de Tribunali Romanorum Commentatio. Schleizae 1739. 4.
4 lib. VI. ep. III.
5 T. I. Auctar. nov. Bibl. Graeco-Lat. Combefis. pag. 210, et in vitis SS. Surii d. 16. Sept. p. 162.
6 in Franc. Combefisii illustr. Christi Martyr. lectis triumphis. Paris. 1660. 8. p. 231. in Theod. Ruinart. Act. primor. Martyr. Amst. 1713. fol. pag. 477, et in T. III. Junii Bolland. p. 27.
7 T. II. Const. Apostolic. col. 175.

Digitized by Google

bet in editione operum Johannis Chrysostomi [1]. *Criminosas*, inquit, *personas Judex auditurus in publico, Tribunal collocat in excelso; circa se constituit VEXILLA REGALIA; ante conspectum suum ponit super mensam calliculam, unde tribus digitis mortem hominum scribat, aut vitam; hinc inde Officiales ordinate consistunt; in medio SECRETARIO ponuntur genera horrenda poenarum, quae non solum pati, sed et videre tormentum est*. Ex quibus colligere licet, mensam scriptoriam ante se Judices habere consuevisse, et in ea *Calliculam*, seu *Caliculum*, ut placet Carolo Macrio [2], et ex editione passionis Perpetuae, et Felicitatis Cotelerius [3] retineri posse profitetur; quae vox, etsi apud doctissimum Martorellium, qui de *Theca calamaria* [4] nihil intactum reliquit, quantum equidem legere memini, minime occurrat, tamen vas, seu calicem atramentarium significat; uti patet ex altero Cassiodori [5] loco, quem Accursius [6], Valesius [7], et Zirardinius [8] illustrant. Eadem mensa scriptoria Judices utebantur, ut prolata sententia, qua die *allegatum* esset rescriptum [9], adjicerent. Id enim probat hujusmodi exemplum. *Allegat.* IIII. *Kalendas Maii Flavia Fenestri in Secretario, ipsis AA. Coss.* Quae quidem lex, ut Gutherus [10], et Jonsius [11] adnotarunt, scripta fuit ad Consularem Piceni [12]; ibique uxor Fenestri dicitur *Flavia Fenestri*, ut *Livia Augusti*.

1 T. vI.
2 in Hierolexico.
3 in Tomo I. Monumentorum Ecclesiae Graecae p. 192.
4 Neapoli 1756. T. II. 4.
5 in lib. xI. variar. c. xxxvI.
6 In Cassiodori editione Augustae Vindelicorum 1533.
7 Emendat. lib. v. c. xix.
8 p. 84. Nov. Theod.
9 l. 2. c. de div. rescript.
10 de Officiis domus Augustae p. 177, et in Tomo III. Thesauri Sallengriani. pag. 375.
11 lib. II. c. v. p. 136.
12 l. 5. c. Theod. de pact. et transact.

Vtrum vero *vexilla regalia* [1], quae in hoc egregio loco commemorantur, eadem essent, ac *Praesidalia*, quae *Fabius* M. Caesareae in Mauritania, a Zirardinio [2] *Fabianus* perperam appellatus, ferre constantissime recusavit, certo statui nequit. De fortissimo Christi athleta haec habet Martyrologium [3]. *Prid. Kal. Aug. Caesareae Passio B. Fabii Martyris, qui quum ferre VEXILLA PRAESIDALIA recusasset, primum diebus aliquot in carcerem trusus, deinde interrogatus semel, et iterum, quum in confessione Christiani perduraret, mox a Judice capitali sententia condemnatur*. Res iisdem fere verbis narratur in Martyrologiis Vsuardi, et Adonis, apud Bollandum [4], Sollerium [5], et Georgium [6].

Equidem haud inficior, Christianos etiam saepenumero militiae nomen dedisse. Id enim luculenter ostendunt acta SS., quae exhibent Acacium, sive Agathium [7], Ambrosium [8], Cornelium [9], Gordionem [10], Longinum [11], Marcellum [12], Memnonem [13] *Centuriones*, Anastasium *Cornicularium* [14], Andream [15], Blassum [16], Cyrillum [17], Fer-

1 Lipsius in Tac. Annal. l. 1. c. xxxvI. Salmasius in Vopisci Prob. c. v. Mich. Ang. Causeus de Signis militaribus in T. x. Thes. Graevii p. 1526. Vldricus Olbrechtus de Vexillo Imperiali. Argentorati 1673. 4. Octavius Ferrarius in lib. I. cap. III. electorum. Gisbertus Cuperus, et Otho Sperlingius in epistolis mutuis in T. iv. Thes. Pol. p. 56. Joh. Mich. Weinrichius de Vexillis, et Vexilliferis. Jenae 1741. 4. Joh. August. Ernestus de Vexillariis. in Comment. Societ. Scientiarum Gotting. T. I. p. 291. Gottingae. 1752. 4.

2 loc. cit.

3 apud Baronium p. 371.

4 T. vII. Julii p. 179.

5 p. 243.

6 p. 366.

7 apud Surium d. 8. Maji pag. 93, et T. II. Boll. p. 291, et 762.

8 in T. III. Aug. p. 290.

9 in T. I. Febr. p. 279.

10 in S. Basilii Opp. et in Surii vitis SS. d. 3. Januarii p. 52., et in T. I. Januarii Boll. pag. 130., et in Actis select. MM. Ruinart. p. 510.

11 in T. II. Martii Bolland. p. 376, 384, et 736, et apud Surium d. 15. Mart. p. 177.

12 apud Surium d. 30. Oct. pag. 399., et Ruinart. p. 302.

13 M. Bizae in Thracia 20. Aug. p. 19.

14 T. II. Maji p. 613.

15 apud Sur. d. 19. Aug. pag. 186, et in T. III. Aug. p. 323.

16 M. Romae 10. Junii p. 285.

17 in Theophane Chronographo p. 455.

reolum [1], Johannem [2], Leonem [3], Marcellum [4], Marcellinum [5], Philoromum [6], Quirinum [7], Theodorum [8] *Tribunos*, Aetium [9], Melissenum [12], et Sabam [11] *militum ductores*, Sergium [12] *Magistrum militum*, *Praefectum militarem* M. in Phrygia [13], Christophorum [14], et Davidem [15] *Spatarios*, Constantinum *Drungarium*, Callistum *Turmarcham*, Theodorum Craterum *Protospatarium* [16], et alterum Theodorum *Tironem* [17]; ne quid modo addam de ingenti Christianorum Militum agmine, quorum nomina apud Bollandianos [18] passim occurrunt.

1 apud Sur. d. 18. Sept. p. 193, et apud Ruinart. p. 462.
2 M. in Bulgaria 22. Jan. p. 441.
3 ibid. p. 441.
4 M. in Aegypto 27. Aug. p. 12.
5 in T. I. April. p. 539.
6 M. in Aegypto 4. Febr. p. 459.
7 in T. II. Martii p. 811.
8 M. apud Ostia Tiberina 24. Aug. pag. 755.
9 3. Martii p. 457.
10 6. Martii p. 457.
11 in T. II. April. p. 261.
12 T. v. Junii p. 382.
13 7. Febr. p. 13.
14 apud Theophanem p. 368.
15 ibidem.
16 in T. I. Martii p. 457.
17 S. Gregorii Nysseni Oratio in laudem S. Theodori. *Exst.* in Greg. Opp. p. 578. edit. Paris. 1638. fol., et apud Surium d. 9. Nov. p. 238. Martyrium ejusdem ex Simeone Metaphraste ibid. pag. 230. Nectarii Arch. Constant. Oratio de festo ejusd. ibid. pag. 230. Fr. M. Torrigio Hist. del Martirio di San Teodoro Soldato, seguito nella Città d'Amasia. Roma 1643. 8. Cavalier Vettori, Culto di Cibele presso gli antichi p. 72.
18 Adalwinus, Addasta, Aderanus, Alfuinus, Hilvartus, Himulduinus Walus, Werinhartus d. 2. Febr. p. 309. Aemilianus in *Numidia* 30. Apr. p. 745. Agathius *Byzanthii* 8. Maii pag. 229. Aida I, et II. 2. Feb. p. 209. Amandinus, Herculanus, Felix, Hermes, Maurus, Maximus, Mennas, Monachius, Olippius, Storocimus, Venerius *Ostiae* 5. Sept. p. 518. Anastasius, et Socii in T. II. Januarii pag. 457. Andreas, et alii 12. Jul. p. 303. Andronicus *Alexandriae in Aegypto* 6. Septemb. p. 666. Besa T. II. Feb. p. 673. Callistratus, et Socii XLIX. *Byzantii in Thracia* 26. Sept. pag. 190. Damianus *in Africa* 12. Febr. pag. 581. Eucarpius *Amisi* 23. Jan. p. 458. Fidelis in Petri Damiani Opp., et apud Sur. d. 28. Oct. Herlembardus *Mediolani* 27. Jun. p. 279. Johannes *Constantinopoli* 30. Jul. p. 148. Johannes *in Aegypto* 12. Jun. p. 556. Leontius *Tripoli* 18. Jun. p. 553. Marinus apud Sur. die 3. Martii p. 36, et in T. I. Mart. p. 224. Mercurius apud Sur. d. 25. Nov. p. 524, et in T. vI. Collect. Veter. Scriptorum Martene, et Durandi col. 743. Minias apud Surium d. 25. Oct. pag. 383. Montanus *Tarracinae* 17. Jun. p. 278. Pamphameres, Pamphalo *Aegyptii*, Proculus in T. I. Jun. p. 50. Ercole M. Zanotti Storia di S. Procolo. 4.

Digitized by Google

Quid vero dicam de *Legione fulminatrice* [1], de qua praeter Anonymum [2], Johannem Alb. Fabricium [3], Mamachium [4], et Columnae Antoninianae *Majoris* [5], seu *Centenariae* [6] illustratores, Petr. Sanct. Bartolum [7], Joh. Petrum Bellorium [8], et Jos. Castalionem [9], certatim, et egregie scripserunt Vldericus Obrechtus [10], Hermen. Witsius [11],

Publius *Nicomediae* 25. April. pag. 361. Romanus in T. II. Augusti pag. 410. Solochon in T. IV. Maii pag. 25. Theodulus *Tripoli* 18. Jun. p. 553. Victor in T. III. Maii p. 265. Vrsicinus in T. III. Aug. p. 438. Ysicius *Dorosiae* 15. Jun. pag. 1049. Zosimus in *Pisidia* 19. Junii p. 812, et apud Sur. d. 19. Junii; praeter complures alios Milites Martyres anonymos, nimirum *in Vrbe sub Decio* T. II. Febr. pag. 380. XL. *via Lavicana* circa an. CLXII. T. I. Januar. p. 766. CXLV. Romanos sub *Aureliano* T. II. Augusti p. 534. XXX. *via Appia sub Diocletiano* T. I. Januarii p. 20. Milites *cum Meletio* 24. Maii p. 435. Mille *cum Severa* V. 29. Jan. p. 946. VII. 25. Feb. p. 290. *Cohortem integram* 8. Maii p. 299. XXVI. *militum Duces* 6. Mart. p. 457. LXX. Gothi 24. Apr. p. 261. XX. In *Aegypto* 9. Jan. p. 570. LXVII. *Apameae* 21. Feb. p. 237. XXXIII. *Interamnae* 1. Maii pag. 45. cc. *ad Pontum* 7. April. p. 662. XV. *Romae* 9. Jun. p. 171. IX. 16. Jan. pag. 3. X. 10. Febr. p. 380. *Spoleti* 14. Febr. pag. 746. in *Vasconia* 3. Maii pag. 383. aliquot *Romae* 29. Sept. p. 126. III. *cum S. Paullo passos Romae* 2. Jul. pag. 305. VII. 10. Aug. p. 533. XII. 10. Jul. p. 34. XVIII. 25. Aug. p. 138. XXV. 26. Aug. p. 812. XXX. *in Asia minori* 28. Septemb. p. 600. L. *Romae, vel in Portu Romano* 15. Julii p. 19. LXVIII. *Nicomediae* 2. Septemb. p. 360. CXLV. *Romae* 6. Aug. p. 143. totidem 10. Augusti pag. 534. DXXII. *Nicomediae* 2. Sept. p. 360. MCIV. *Melitinae in Armenia minori* 5. Sept. p. 507.

1 Tertullianus in apolog. cap. V. ad Scapul. c. IV. Eusebius in Chron., et in Hist. Eccl. lib. V. c. V. Nicephorus lib. IV. c. XVII. Paullus Orosius lib. VII. c. IX. Greg. Nyssenus in Orat. II. de SS. XL. MM. T. II. pag. 937. Julius Capitolinus in M. Aurelio. Xiphilinus in M. Ant. p. 275. Themistius in Orat. XV. ad Theod. p. 191. Baronius in T. II. ann. CLXXVI. pag. 286.

2 Diss. de Legione Fulm. Dresdae 4.

3 in Salutari Luce Evangelii.

4 in T. I. Origin., et Ant. Christ. p. 370.

5 Gio. Giacchetti Historia della Ven. Chiesa, et Monastero di S. Silvestro de Capite di Roma. 1620. p. 164, et eruditissimus Karolus Fea in dissert. *sulle rovine di Roma*, in T. III. *della Storia delle Arti del disegno* di Winkelmann pag. 332.

6 ibid. p. 349. 350.

7 Columna M. Antonini Augusti. Romae 1670. fol.

8 Colomna Cochlis Antoniniana notis illustrata. Romae 1676, et 1702. fol.

9 de Columna triumphali Imp. Antonini Commentarius. Romae 1590. 4, et in T. IV. Thes. Graevii p. 937.

10 Dissert. de Legione fulminatrice Marci Antonini Philos. Imp. Argent. 1677. 4, et inter ejusd. Dissert. acad. pag. 361. Argent. 1704. 4.

11 Diatribe de Leg. Fulm. Christianorum. Accessit ejusdem Aegyptiacis pag. 424. Amst. 1696. 4.

Digitized by Google

Johannes Frickius [1], Petrus Adolphus Boysenius [2], Johannes Guilelmus Dunckerus [3]; quibus addendi sunt Petrus Kingius [4], Guil. Wisthonus [5], Thomas Woolsthonus [6], qui Dom. Larroquanum [7], et Gualterum Moylium [8], insignis miraculi oppugnatores refellerunt, quo ejusdem Legionis precibus factum est, ut in Marcomannico M. Aur. Antonini bello, Quadis hostibus fulmine prostratis, sitiens Romanus exercitus per effusam pluviam recreatus fuerit, et conservatus; quidquid Sigismundus Jac. Baugmartenius contra Thomam Woolstonum [9] commentatus fuerit?

Percelebris item est *Legio Thebaea*, sive *Agaunensis*, quae constabat *Sebastiano*[10], *Alvero* [11], *Carpophoro*, *Fideli* [12], *Maximo* [13], *Victore*, *Vrso* [14], aliisque militibus [15], qui *Mauritium* Primicerium [16] sequebantur; quemadmodum prodit histo-

1 Dissertatio historica de Legione Fulm. Lips. 1696. 4.

2 Commentatio de Leg. Fulminatrice. Halberstad. 1719. 4.

3 Diss. de Leg. Fulm. Christianorum. Rintel. 1746. 4.

4 Disceptatio de miraculo, quod olim legio fulminatria fecisse dicitur.

5 Tractatus de Leg. Folminatrice, sive de miraculosa liberat. exercitus M. Antonini per preces Christ. Lond. 1726. 8.

6 Defensio miraculi Leg. fulminatricis. Lond. 1726. 8.

7 Diss. de miraculo legioni fulminatrici adscripto.

8 Comment. de Leg. fulmin.

9 Commentationes de miraculo Legionis Fulmin.

10 Bolland. in T. I. Jan. p. 81. Ruinart. pag. 240. Decio Memmolo della vita, Chiesa, e reliquie de' SS. Quattro Coronati. Roma 1628, ac rursus 1757. 4. l. IV. pag. 23. Giovan Pietro Lucatelli Notizie istoriche concernenti la Testa di S. Sebastiano M. Roma 1757. 4. p. 50.

11 d. 2. Januarii p. 81.

12 De' SS. MM. Carpoforo, Gratiniano, e Fedele libri due di Franc. A. Zaccaria. Milano 1750. 4, et in diss. 2. collectionis diss. Italic. Romae 1780. T. I. c. 11. p. 335.

13 God. Henschenii de S. Maximo Mil. Legionis Thebeae brevis notitia. In T. II. April. p. 212.

14 Martyrium SS. Vrsi, Victoris, et sociorum ex Thebaea legione, apud Surium d. 30. Sept. p. 350, et in T. VII. Sept. Bolland.

15 Acta translationis S. onitis militis Leg. Thebaeorum, auctore Rodulpho Abb. S. Pantaleonis Colon. ex Cod. ms. Monasterii S. Trudonis. *Exst.* in Martene, et Durandi collect. Vet. Script. et Mon. T. VI. col. 1013.

16 Passio SS. Mauritii, ac Soc. Auctore S. Eucherio Episc. Lugdun. apud Surium d. 21. Sept. p. 220, et Petr. Franciscum

ria ab Eucherio [1] conscripta, et testantur acta a Ruinartio [2] in lucem edita; quorum fidem frustra elevare conatus est Johannes du Bordieu [3], a Jos. de l'Isle [4], Bollandianis [5], Franc. Ant. Zaccaria [6], et Octavio Felice Baudisson [7] refutatus, ut egregie animadvertit PIVS VI. Pontifex Maximus, omnium literarum peritissimus, longeque princeps [8].

Et sane, etsi fatendum sit, nonnullos eorum, quos supra nominavimus, militiae munus abdicasse, statim ac ex vana illa, et perversa relligione inanium Deorum, sese ad Christianorum castra contulerunt, tamen hoc unum utriusque Legionis exemplum sufficeret, ut Christianos etiam a militia exercenda quandoque non abhorruisse teneamus. Id autem nunquam certe praestitissent, si, cum Tertulliano [9], *navigamus vobiscum, et vobiscum*

Chiffletium in Par. I. Paullini illustrat. Divione 1662. 4, et in T. vI. Septemb. Bolland. Guglielmo Baldesano la Sacra Hist. di S. Mauritio Arcid. della Legione Thebea, et de' suoi valorosi Campioni. Seconda edizione accresciuta della traslatione delle reliquie d'esso Generale Thebeo, e d'altri compagni, con miracoli, et altre cose notabili. Con l'origine, unione, e privileggi dell'Ordine militare de' SS. Mauritio, et Lazaro. Torino 1604. 4.

1 apud Surium d. xxII. Sept. p. 220.

2 in Actis primor. Mm. p. 271. edit. Amstelodam.

3 Diss. historique, et critique sur le martyre de la Legion Thebeenne. Amsterdam 1705. 12.

4 Defense de la verité du Martyre de le Legion Thebeenne, eutrement de S. Maurice, et de ses compagnons. Paris. 1742.

5 in T. vI. Septembris.

6 in diss. z. loc. cit.

7 in Actis Legionis Thebeae, adjunctis Orat. in laudem SS. Mart. Solutoris, Aventoris, et Octavii. Taur. 1778.

8 in Allocutione habita in eula Consistoriali Vaticana die xv. Febr. 1785. ad Comit. Aloysium Braschium Honestium, quum eidem solemni ritu imposuisset magnam crucem Ordinis SS. Mauritii, et Lazari e Ser. Sardiniae Rege Victorio Amedeo dono transmissam. p. 2.

9 in Apologetico ad gentes c. XLII. V. Joh. Genesium Sepulvedam de milit. disciplinae honestate. Paris. 1741. 8. Grotium in prolegem. libror. de jure belli, et pacis, et ad Matthaei vers. 40, et Lucae III. 14, et part. cI. Epist. 545. Jac. Altingium Tom. I. Opp. pag. 180. Beveregium ad Can. xII. Nicaenum. Christ. Kortholtum in diss. de Studio belli, et pacis. Kilonii 1689. 4. Heideggerum de militia Christiana, in T. IV. Dissertetionum selectar. IV. et v. Christianum Lupum de

militamus, profiteri posse, salva religione, dubitassent, aut ***militare justo non licuisset***, ut Manichaei, quos oppugnavit Augustinus [1], aliique [2] contenderunt. Praeterea aliorum quoque Militum Christianorum nomina, qui pro fide fortiter occubuerunt, proferunt veteres Inscriptiones, Theophilus Raynaudus [3], Hieronymus Spartanus [4], Sigismundus Jacobus Baugmartenius [5], et Mamachius [6].

Ceterum militiae munus Christiani ab omni superstitionis labe remoti, quandoque studiose defugiebant, ne victimarum carnibus vesci, grana turis in aras jacere [7], florum sertis in militaribus festis capita coronare, per *Genium Caesaris* [8] dejerare, (quod Asiae Pro-

veteri disciplina militiae Christianae in ejus opp. posthumis p. 227. Brux. 1690. 4. Eliam du Pinium T. xvIII. Bibl. Script. Eccles. p. 134.

1 lib. xxII. 74. contra Faustum.

2 V. Maurinorum notas ad S. Ambros. T. II. p. 46. Wetstenium ad Origenem contra Marcionitas p. 27. Zvvickeri Irenicum Irenicorum p. 130.

3 in tit. cultus Sanctorum specialibus. T. vIII. Opp. p. 570.

4 Miles Christianus. Exst. in Deliciis Poetarum Germanorum P. vI. p. 239.

5 Examen sententiae vet. Christianorum de militia. Halae Magdeb. 1741, et 1745.

6 T. III. Antiq. Christ.

7 Acta Luciani Mart. apud Baronium an. CCCXL. n. vI. Binghamus in lib. xvI. Orig. Eccl. T. vI. p. 216. de esu eorum, quae idolis immolabantur. Julianus, seu de arcanis Juliani Imp. artibus ad profligandam religionem Christianam, inter opuscula Jac. Gothofredi. Genev. 1641. 4. p. 455, et Lugd. Bat. 1733. fol. p. 315. Gottl. Friderici Gudii Commentatio de Artibus Juliani Apostatae paganam superstitionem instaurandi. Jenae 1739. 4. et post ejusdem Comment. de pagano Christianorum laudatore, et fautore. p. 207. Lips. 1741. 4.

8 Tertull. Apologet. c. xxvIII, et xxxII. Minut. Felix c. xxIx. Vegetius lib. II. c. v. Sozomenus lib. vII. c. Ix. Johan. Clericus ad Genesim XLII. 15. Cangius ad Zonaram pag. 28, et ad Cinnamum p. 483. Brissonius lib. vII. de formulis. pag. 707. Seldenus pag. 43. ad marmora Oxoniensia. Lindebrogius ad Censorinum. p. 18, et Curtii Scholiastae lib. vI. c. xI, et xvIII. Nic. Henelii Commentatio de juramento per genium Principis. Exst. in ejusd. otio Vratislav. p. 15. Jenae 1658. 8. Joh. Geor. Roeteri Diss. Witteb. 1686. 4. Joh. Guil. Jani Diss. Lipsiae 1708. 4. Joh. Hermansson diss. Vpsal. 1772. 8. Erhar. Reuschii Disquisitio. Helmst. 1735. 4. Bern. Lud. Mollenbecii Dissert. inserta syntagm. II. Dissert. philolog. Rotenrod. 1699. 8. Everhard. Ottonis Diss. de perjurio per genium Principis. in P. I. ejus Dissert. Traj. ad Rhenum 1723. 4. Theodor. Regner. de Bassenn de jurejurando veterum, inprimis Romanorum. Traj. ad Rhenum. 1728. 8.

Digitized by Google

consuli Polycarpus [1], et in Africa Speratus [2] renuerunt), aut demum *signa militaria* idolorum figuris distincta venerari, aut ferre cogerentur. Quisquam vero facile cum Bollando [3] conjiciet, signa, quae *Fabius* ferre negavit, aut Deorum effigiem praesetulisse, aut cum aliqua idololatriae actione, vel sacramenti formula [4], ab se suscipienda. *Multa* enim esse *simulacra in signis*, ex Fl. Josepho colligimus, qui de Vitellio in Aretam movente haec narrat [5]; *qumque vellet per Judaeam cum exercitu transire, ei obviam facti viri primarii deprecabantur iter per ipsorum regionem: neque enim sui moris esse, pati, simulacra per eam ferri*. Quae quidem *Vexilla*, *Praesidalia* dicta fortasse sunt, quod iis *Praesides* quandoque uterentur; eodem modo, quo *Vexilla*, quae *Regum*, aut *Imperatorum* imagines habebant, *regalia*, aut *Imperatoria* vocabantur.

Porro, ne quid dicam de *Vexillationum Ducibus*, ac *Praepositis*, de quibus adisis Pancirolum [6], Philippum a Turre [7], Gudium [8], Morcellium [9], et Cajetanum Marinium [10], haec eadem *vexilla* auro, et purpura contexta, longisque contis, quae *Cantabra* Minutius Felix [11], et Tertullianus [12] appellant, suspensa circa Principem teneban-

1 Euseb. lib. IV. c. XV. p. 131. Minuc. Felix p. 88. Tertull. Apologet. c. XXVI. Origenes contra Celsum l. VII. n. LXV. p. 421.

2 In Actis MM. Scillitan. apud Baronium ann. CC. n. II.

3 T. VII. Julii p. 180. in Commentat. posthuma.

4 V. Stevvechium de sacramento militari ad Vegetium lib. II. c. V. pag. 97, et Lipsium de militia Romana lib. I. c. VI, et lib. V. c. XV, et ad Taciti lib. II. Annalium p. 58, ubi de jurejurando per signa militaria.

5 Ant. Jud. lib. XVIII. c. V. T. I. p. 884.

6 in not. dignit. Imp. Orient. p. 1414, et 1451, in T. VII. Thes. Graevii.

7 Mon. Vet. Antii p. 124. 126. 127. 128.

8 p. XLII. CXXIII. CLXVI.

9 De stilo Inscr. Latinar. p. 77.

10 Iscrizioni Albane p. 50. 51. 52.

11 in Octav. cap. XXIX.

12 in apologetico c. XVI. Vide Salmas. de re militari cap. VI, et scriptores a

tur. Ait enim Cedrenus, *Vexillationes Romani equites appellantur, et VEXILLA, VELA PVRPVREA, ET AVRO quadrata forma facta. Haec longis hastis suspendentes circum Principem gestant, et eum protegunt.* Tota ex purpura fuisse prodit hic Capitolini locus in Gordiani vita [1], *sublata de vexillis purpura, Imperatores eos dicemus*; quum nempe nihil aliud in promptu esset, quam *vexillorum purpura*, qua Imperatoris humeros velarent. Idem confirmat Ammianus, ubi ait [2], *cultu purpureo a Draconum, et Vexillorum insignibus ad tempus abstracto ad culmen imperiale surrexit*. Atque hinc, quum colore flammeo reniderent, *flammulae* [3] quoque dicebantur. Quae vero pro praemio militibus dabantur, ea *argento insignia* erant; nam argenteus color militaribus signis familiarior dicitur a Plinio [4], et *Vexilla argentea* in vetustis inscriptionibus [5] occurrunt, *vexilla pura* a Vopisco nuncupata, quod *velum argenteum* haberent, non purpura, non auro intextum.

In illis, praeter Principis *imaginem*, ejus etiam *nomen* spectabatur, puniceis, purpureisque literis inscriptum. Testis est Dio, qui Crassum in Parthos moventem una secum tulisse narrat [6] *signum unum ex iis, quae magna sunt, et velorum similia, et puniceas literas inscriptas habent, ad indicium exercitus, et Imperatoris sui faciendum.*

Joh. Ern. Walchio citatos ad Cellarii compendium A. R. p. 293. Pancirol. in notit. Dignit. Imperii Orient. Laz. Comment. Reip. Rom. l. vII. c. v. la Chausse de Signis in Thes. Ant. Rom. Graevii T. x. p. 1530. Pitiscum in Lexico T. I. p. 94, et T. II. p. 1065.

1 c. vIII. p. 648, et Salmas. in Vopisc. Prob. c. v.

2 lib. xv. c. v.

3 apud Vegetium l. II. c. I. Cedrenum, Suidam, Lipsium de Milit. Rom. l. iv. c. v. Thys. in Rom. illustr. c. iv. pag. 93.

4 Hist. Nat. lib. xxxIII. c. III.

5 Salmas. in Vopisc. Prob. c. v. Odericus in Diss. vIII. p. 134.

6 lib. xl. p. 128.

Haud absimile est illud Suetonii [1], *nomenque ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt*. Quod ad suam usque aetatem usuvenisse aperte declarant illa Nazianzeni verba [2], *Vexilla Imperatorum imaginibus, atque expansis texturis in variis tincturis, ac literarum picturis decorantur*. Nam Imperatores ex Leonis lege [3], vel in ipsis diplomatum subscriptionibus, purpureum colorem adhibebant, quem *sacrum encaustum* vocabant [4], quique, apud Byzantios praesertim Scriptores [5], *cinnabaris* dicebatur, ut Joh. Clericus [6], Montfauconius [7], et Mabillonius [8] animadvertunt, qui de variis liquoribus, et coloribus, atramenti loco, adhibitis scite pertractant. Quod si forte Imperator adhuc pupillus esset, ac per se Imperium non administraret, tum ejus Tutor virides literas usurpabat: siquidem quum color viridis sit spei symbolum, futuram Imperatoris administrationem in virili aetate quodammodo adumbrabat.

Praeterea interdum e *Vexillis* jusjurandum suspendebatur, ut discimus ex praeclaro Joh. Cantacuzeni loco [9], ubi haec narrantur: *paucis porro diebus cum matre consumptis, ubi nuntius allatus est, exercitum occidentalem circa Dramam, et Philippos, Macedoniae oppida, castrametari, Deum, ejusque parentem castissimam comprecatus, et sacrificium laudis*

1 in Vesp. c. vI. n. 4.

2 Orat. III. in Iulianum. V. Tomasinum de donariis veterum c. xxI. pag. 829. in T. xII. Thes. Graevii, et Iac. Gronovium in diss. de imaginibus, et statuis Principum. Lugd. Batav. 1708, et 1735. 4. pag. 18.

3 l. vI. c. de div. reser.

4 Joh. Behmius de encausto Imperator. olim sacro. Argent. 1715. Hadr. Stegerus de purpura sacrae dignitatis insigni. p. 57. Kirkman. de Annul. c. vIII. Longus de annul. c. IX. Schvvarzius diss. I. de ornam. libror. §. vII, et diss. II. §. xxxIII. Pancirol. in not. dignit. Imp. Orient. c. cv. Borremans. Var. Lect. c. Iv.

5 Greg. II. epist. ad Leonem Isaurum Imp. Ioh. Cantacuzenus p. 268, et Ducang. in Annae Comnenae Alexiadem.

6 de stylis vet. in T. XII. Thes. Poleni p. 1120.

7 in Palaeographia Graeca l. I. p. 3.

8 de re diplom. l. I. c. X. p. 43, et 446.

9 p. 160. c. LII.

iisdem sacrificans, jussit jusjurandum, quod avus in foedere sanciendo jurarat, et servare se putabat, in VEXILLO SVSPENDI, et recta in hostes procedere.

Sed satis jam verborum de *Tribunalium forma, gradibus, altitudine*, atque *ornamentis*. Si quis tamen alia de iis audire vellet, adeat Raevardum [1], Bulengerum [2], Schefferum [3], Gerardum Noodtium [4], Franc. Polletum [5], Chimentellium [6], et Joh. Aug. Ernestum [7]; qui tamen *Tribunal* a Vitruvio commemoratum, diversum plane ab eo esse docet, quo Magistratus in sui muneris administratione utebantur.

CAPVT VII.

De Ara in Secretariis erecta, ac de judiciorum forma ibidem habita.

Nunc, quandoquidem singulas *Secretariorum* partes, ornatusque descripsimus, reliquum est, ut de *Ara* ibidem posita, ac de judicii, quod in eodem loco proferebatur, forma quoque disseramus.

Hujusmodi judiciorum exemplum, praeter Ruinartium [8], nobis exhibet Mabillonius in actis *Theodoriti*, quae ita habent [9]. *Audiens vero Julianus* (tempore Constantini Imperatoris) *hunc* (Theodoritum) *in Antiochia facere collectam, volens placere Imperatori, sedens in SECRETARIO*

1 in lib. singul. Protribunal. c. vII.
2 De Imperio Rom. lib. III. c. IV.
3 de re vehiculari lib. II. c. xvI.
4 de jurisdictione lib. I. cap. x.
5 in Hist. Fori Romani cum Auctario Philippi Broidei. Francof. 1676. c. vI.
6 de honore Bisellii.
7 in clavi Ciceroniana.
8 in Actis primorum MM. Amst. 1713. fol. p. 588.
9 in T. IV. Vet. Analect. Paris. 1685. 8. p. 128, et edit. Paris. 1723. fol. p. 187.

eum sibi jussit exhiberi . Introducto ergo Theodorito , ligatis de post manibus, Julianus dixit . Tu es Theodoritus, qui prohibebas Deos coli , et aras , et templa destruebas , et ecclesias aedificabas , et sepulcra mortuorum ? Ibidem praeclarissimum exstat in rem nostram fragmentum e Codice Augiensi desumptum , Actorum proconsularium *SS. Martyrum Scillitanorum* , de quorum gestis consule vetus Missale Mozarabum Leslaei [1]. En tibi illud [2]. *In diebus illis , praesidente bis Claudiano Consule ,* XVI. *Kal. Aug. Kartagine in SECRETARIO impositis Sperato , Narthalo , et Cattino , Donata , Secunda , Vestia , Saturninus Proconsul dixit . Potestis indulgentiam Dn. N. Imp. promereri , si ad bonam mentem redeatis . Speratus dixit , nunquam male fecimus .* Integra eorum acta protulit Baronius [3], quae Guil. Cuperus cum *commentario praevio , et notis* [4] recusit , ubi non sine levi discrimine legitur ; *existente Claudio Consule ,* XIV. *Kal. Aug. Carthagine Metropoli , statuto forensi conventu , praeceperunt Magistratus adstare sibi Speratum , Narzalem , Cittinum , Donatam , et Vestinam .* Verum apud Ruinartium [5], et eumdem Guil. Cuperum [6], qui alia eorum acta sincera ex Cod. ms. Bibliothecae Ecclesiae Toletanae , et collata cum ms. Colbertino ediderunt , diserte legimus , *adductis in SECRETARIO Carthaginis apparitorum officio* . Quod Luchinius [7] in italica Actorum primorum Martyrum versione ab se eleganter adornata , ac eruditis praefationibus , et commentariis locupletata , pro loco , in quo versamur , agnoscit .

Alterum hujusmodi judiciorum exemplum occurrit in Bibl. PP , ubi haec narrantur de *motione facta inter*

1 p. 300.
2 p. 153.
3 ad an. CCII.
4 T. IV. Julii p. 204. 214.
5 Acta MM. Accedunt Acta SS. Firmi, et Rustici. Veron. 1731. p. 76.
6 T. IV. Julii p. 215. 216.
7 T. I. p. 412.

domnum Maximum , et Socium ejus , coram principibus , in SECRETARIO[1]. *Post dies aliquot adducunt eos in Palatium , et introducunt Senem in locum , in quem Senatus collectus est , et alia multa turba , et exhibent eum in medium sedentium principum ....* et paullo infra [2], *super multis interrogatus quum respondisset , secundum quod largitus est Deus , educitur de SECRETARIO .*

Eadem legas apud Surium ex Simeone Metaphraste [3] in Actis *S. Agathae*, quae ex graeco ms. Regis Galliae , interprete Joh. Davide Henxtovio [4], ex Bonino Mombritio, et xvI. Latinis mss. [5], et ex ms. graeco anonymo Senatus Messanensis , [6] cum commentario praevio , et notis protulit Joh. Bollandus . Ibidem traditur in Catanensi *Secretario*, quod in Actis *S. Euplii* memoravimus , adversus *Agatham* animadversum fuisse , quam *iratus Quintianus jussit in SECRETARIVM duci , sedensque pro tribunali , ita eam compellat . Quo tu genere orta es?*

Verum , quam horribilis , ac metuendus esset *Secretariorum* adspectus , ad Martyrum constantiam debilitandam , praeter allatum auctoris operis imperfecti testimonium [7] , ex Lactantio [8] audiamus : *TORMENTORVM GENERA INAVDITA EXCOGITABANTVR ; et ne cui temere jus diceretur , ARAE in SECRETARIIS , ac pro Tribunali positae , ut litigatores prius sacrificarent , atque ita caussas suas dicerent . Sic ergo ad judices , tamquam ad Deos adiretur .*

Quem quidem usum erigendi *Aras* in locis , ubi

1 T. xiiI. p. 50. edit. Galland.
2 ibid. p. 57.
3 die v. Februarii p. 49.
4 T. I. Febr. p. 620. 624.
5 ibid. p. 595. 618.
6 ibid. p. 618. 620.
7 pag. 31.
8 in Libro ad Donatum Conf. de Mortibus Persecutorum , et in T. iI. Misc. Balutii edit. Paris. p. 13. §. xiv.

judicia ferebantur, praeter Petr. Berthaldum [1], Joh. Andream Bosium [2], Steph. Andr. Mizlerum [3], et Joh. Henr. Majum [4], peculiariter illustravit Thomas Wagnerus [5]. Tormentorum vero, quae a diris impiisque tyrannis excogitabantur, specimen exhibet historia Martyrii *Sanctorum Sergii*, et *Bacchi* [6], ubi verbis illis, *venientes ergo apparitores interposuerunt funem labiis ejus, et accipientes eum de medio, SECRETARIUM duxerunt, ut gladio perimerent*, praepositionem *in*, quae librario forte excidit, adjiciendam esse puto. Cur enim Corn. Byaeo [7] acquiescam, qui in commentario praevio, ibi *Secretarium*, veluti *separatum* significare adnotavit? Quod tamen eo sensu fortasse tueri posset, quo supra [8] vidimus, *SECRETARIIS* a *secernendo* nomen venisse, ut Lindebrogius [9] etiam animadvertit, ex Zonarae doctrina, quae est hujusmodi [10]; *est autem SECRETARIUM latinis exercendi judicii locus. Nam secernere apud illos dijudicare significat.*

Ceterum, quum [11] gloriosissimis, fortissimisque Christi Athletis *quivis locus, in quo varias aerumnas sigillatim perferebant, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi* esset; ut [12] *Deum medio in mari Moyses exoravit, Job in sterquilinio, Ezechias in lectulo ad misericordiam provocavit, Jeremias in luto, Jonas in ceto, Daniel*

1 de Ara Liber singul. Nannetis 1636. 8, et in T. VI. Thes. Graevii.

2 Diss. de Ara ignoti Dei (ubi c. I. agitur de Aris in genere). Jenae 1659. 8. et in Thes. Theol. Philol. T. II. p. 464. Amst. 1702. fol.

3 Dissertatio de Aris, et Altaribus. Vitembergae 1696. 4.

4 Diss. de Aris, et Altaribus Veterum. Gissae 1732. 4.

5 Diss. de Aris in Curiis, et pro Tribunali apud Rom. positis. Lips. 1732. 4.

6 apud Surium ex Simeone Metaphraste die VII. Oct. p. 99. 103.

7 T. III. Octobris p. 836.

8 p. 19.

9 in not. ad Amm. Marcell. p. 98.

10 in Conc. Carthag. cap. 104.

11 Dion. Alexand. apud Euseb. l. VII. c. XXII.

12 Basil. exhortat. ad Baptism., et apud Durant. de ritib. lib. I. c. II.

in lacu placuit, Pueri in camino promeruere, Latro in Cruce, Petrus, atque Paullus in carcere, ita Martyres invicti, Christi praedictiones, et promissa de Apostolis, eorumque successoribus, quum apud Praesides, et Reges sistendi essent [1], non ignorantes, vel in *Secretariis Judicum*, Deum enixe deprecabantur, ut sese contra teterrimorum hostium impetus, et incursiones muniret, ac victoria de iis data, in beatorum sedem, atque regionem, aevo sempiterno fruituros, evocaret.

CAPVT VIII.

Num Romani veteres Secretarium habuerint, ac quo Vrbis loco situm esset?

Nollem vero, quisquam existimaret, quum nusquam hactenus *Vrbis Secretarium* nominatum fuerit, etsi de pluribus aliis mentionem fecimus, *Romae* hujusmodi locum defuisse. Illud enim heic etiam antiquitus exstitisse docet Anonymus *de mirabilibus Vrbis Romae* apud Montfauconium [2], qui statuit *Secretarium Neronis*, ubi deinde fuit *Ecclesia S. Vrsi*.

Praeterea compertum probe est, ubi nunc aedem *S. Martinae* Virg. Mart., contra Fornicem Severi, sub Capitolio conspicimus, quam Mabillonius [3] vocat *eximium opus Petri Cortonensis, ad primarium exemplar novae Bas. Vat.* constructum *ex idea Mich. Angeli a Bonarota*, antiquissimum fuisse *Secretarium amplissimi Senatus*. Audi Mont-

1 Matth. v. x. 19. Marc. v. xiii. 11. Luc. xxi. 15.

2 in Diar. Italico p. 292.

3 in T. I. Musei Italici p. 59.

fauconium de ea disserentem [1]. *Ad alterum vici latus exstat Ecclesia S. Martinae, aut S. Lucae, nam utroque nomine gaudet, quo loco situm olim erat SECRETARIVM SENATVS, ut ex inscriptione isthic eruta exploratum*. Eadem, dum aedes nova, de qua vide Marsilium Honoratum apud Bollandum [2], ibidem excitaretur, detecta fuit in hemicyclo, eamque ediderunt Gruterus [3], Baronius [4], Nardinius [5], Donatus [6], Mabillonius [7], Marlianus [8], Bulengerus [9], Pitiscus [10], Riccobaldus [11], Brissonius [12], aliique. Reddo illam.

SALVIS . DOMINIS . NOSTRIS
HONORIO . ET . THEODOSIO
VICTORIOSISSIMIS. PRINCIPIBVS
SECRETARIVM . AMPLISSIMI . SENATVS
QVOD . VIR . INLVSTRIS . FLAVIANVS . INSTITVERAT
ET . FATALIS . IGNIS . ABSVMPSIT
FLAVIVS . ANNIVS . EVCHARIVS
EPIPHANIVS . VC.
PRAEF. VICE . SACRA . IVD.
REPARAVIT
ET . AD . PRISTINAM . FACIEM . REDVXIT

1 loc. cit. p. 175.
2 T. I. Januarii p. 18.
3 p. CLXX. n. 5.
4 ad a. c. cccxxxiI.
5 Roma antica ristampata dall' Abate Molossi. Roma 1771. T. iv. 8. p. 693, et in T. iv. Thes. ant. Graevii p. 1179.
6 de Vrbe Roma. p. 463.
7 in Praefat. Mus. Ital. T. iI. p. xxviiI.
8 Topogr. Vrbis Romae iiI. 3, et in T. iiI. Thes. Graevii p. 167.
9 de Imperator. Rom. iiI. 9.
10 in Lexico T. iI. p. 716.
11 in Apolog. Diarii Italici Montfauconii contra Ficoronium. Venet. p. 61.
12 in l. xviI. de Verbor. signif.

Perperam hunc locum Dempsterus [1], cum *Secretario Populi Romani* confundit, quod praepostere in regione IV. a Panvinio [2] designatum fuisse demonstrat Nardinius [3]. Nonne enim *Senatus* nomen diserte praesefert inscriptio, cujus acta a *Populi* actis diversa, ut docet Lomejerus [4]? Bulengerus [5] autem, quum Constantinopoli *Secretum privatarum* ad Vrbis instrumenta, rerumque civilium jura religiose custodienda, itemque *Secretum publicarum* ad condenda sanctiora Imperii secreta, olim fuisse animadvertisset, Romanum *amplissimi Senatus Secretarium* pro Archivo, ac Tabulario accipiendum esse conjecit; illud etiam fortasse ob oculos habens, quod Lambecius animadvertit [6], graecos nimirum Σέκρετον pro *Secretarium* dixisse, ut μίλιον pro *miliarium*. Verum Donatus pro *Curia* potius accipiendum esse censuit, a Flaviano instituta, quod Christiani Senatores a *Curiis* fabulosorum numinum abhorrentes, in veterem, ubi *Ara Victoriae* exstabat, nollent amplius convenire.

Ceterum haec Nardinio haud recto talo stare videntur. Nam usque ad Theodosii Principatum, Senatum in *Curia* haberi consuevisse probant illa Symmachi epistolae verba [7], *frequens Senatus maturrime in CVRIAM veneramus*; et sub finem, *monumenta CVRIAE nostrae plenius tecum loquentur*. Idem vero Symmachus *Curiam* a Gentilium superstitionibus repurgatam, *Aramque Victoriae* sublatam fuisse doluit [8], utque eam restituerent, Impp. Valentinianum, Theodosium, et Arcadium enixe obsecravit. Frustra ta-

1 in Paralip. ad antiquit. Rom. Rosini lib. VI. p. 483.

2 Nardini Roma antica p. 319.

3 ibid. p. 392.

4 de Bibliothecis p. c. VI.

5 de Imper. Rom. c. IX.

6 in animadvers. ad Codini excerpta, pag. 37.

7 lib. I. epist. XIII.

8 lib. X. epist. XIV.

Digitized by Google

men ; vehementer obnitentibus tum contra [1] , Ambroſio , et Prudentio [2] . Rectius itaque , ut puto , Nardinius *Secretarium* in inſcriptione memoratum , pro loco , deſcripto apparatu , veliſque inſtructo , ubi Senatus ex Imperatorum mandato , de rebus praeſertim criminalibus judicia redderet , habendum eſſe pronunciavit . Nam Codex Theodoſianus [3] , ut Salmaſius [4] animadvertit , *Secretarium* a *Curia* aperte diſtinguit , ubi ait : *Quocirca expreſſum ordinem dignitatum illic volumus cuſtodiri , ubi intra SECRETARIA , extraordinarioſque conventus ſubeſt ratio viſendi , ſalutandique judices . Ceterum in ampliſſimo CVRIAE noſtrae intimoque conſeſſu digeſtae ordinationibus priſcis obtineant dignitates .*

Hoc idem *Secretarium* a *Circi Maximi* vicinitate nomen accepiſſe videtur [5] , quemadmodum colligimus ex Symmachi epiſtola , cujus haec ſunt verba [6] ; *quod quum ſibi Fulgentius* c. v. *auctor contumeliae meae invidioſum putaret , ad CIRCI SECRETARIVM convolavit , facti illiciti volens praeſtare rationem , quod ſibi metum fuiſſe dicebat , ne officii ſubornaretur impulſu .* Heic enim *Secretarium* , dumtaxat judicii locus , minime vero in aliquem *Circi* uſum deſtinatum apparet .

Fatalis vero ignis , qui *Secretarium* abſumſit , forte a Gothis illatus fuit , qui ſub Rege Alarico Vrbem diripuerunt . Sed cura , qua illud V. C. Flavius Annius Eucha-

1 Epiſt. aI. ep. xvIII. n. 31. T. III. col. 886. Libellus de non reſtituenda Ara Victoriae Senatui , nec reddendis praediis ablatis paganorum templis . Libellus contra relationem Symmachi , et epiſt. ad Imp. Eugenium cum notis Franciſci Jureti . Exſt. poſt Symmachi epiſtolas p. 318. Paris. 1604. 4. Joh. Henr. Saholze Diſs. de Dea Victoria , et Ara Deae in Curia Julia . Halae 1741. 4.

2 contra Symmachum liber .

3 in leg. I. de Praefect. Praetor.

4 in diſs. de Secretariis T. II. Sallengre p. 674.

5 Nardini Roma Ant. p. 1151.

6 lib. x. epiſt. XLIII.

rius Epiphanius reparavit, satis aperto indicio est, locum fuisse usque ab Honorii aetate nobilem, atque praeclarum. Quapropter dignum sane videbatur, ut aliquam ejusdem mentionem facerent Paullus Manutius [1], Michaël Corradus Curtius [2], et Antonius Vendettinius in opere posthumo de *Senatu Romano* [3], haud ita pridem in lucem edito.

Forte autem ad hujus *Secretarii* ornatum olim spectarunt binae tabulae marmoreae, anaglypho opere elaboratae, virosque toga, et armis conspicuos praeseferentes, quas in aede *S. Martinae* antiquitus exstitisse Flaminius Vacca memoriae prodidit [4]; nisi potius Gruterum [5] sequi placeat, qui utramque tabulam ex arcu aliquo triumphali desumptam fuisse opinatus est. Numquam tamen adsentiar Molossio, Nardinii Scholiastae, huc etiam spectasse alia quattuor toreumata, quae in Cavaedio contra medias scalas aedium Senatus Romani visuntur. De iis enim, contraquam alibi, parum sibi constans, ipse [6] affirmat, nullam mentionem facit Vacca; omnibusque compertum est, prostypa illa marmora superstites esse reliquias arcus M. Aurelii, et Veri Augustorum [7], cujus columnae e marmore viridi Lacaedemonio adhuc exstant, partim in Cella Corsiniorum in Templo maximo Lateranensi [8], partim in aede S. Hagnae in Circo Agonali [9]. Ejusdem arcus, qui ab Anastasio [10] vocatur *ad tres Fa-*

1 de Senatu Romano. Venet. 1581. 4. in cap. de loco habendi Senatus p. 31.
2 Commentarii de Senatu Romano post temp. Reipubl. liberae. Genevae 1769. 4.
3 Roma 1782. 4.
4 Memorie num. 68.
5 p. CLXX. n. 5.
6 p. 694. 989. 994.
7 Museo Capitolino p. 17. Gaddi Roma nobilitata, e Campidoglio illustrato. Roma 1736. 4. p. 141.
8 Venuti Roma moderna p. 693.
9 Ficoroni Vestigia dell'antica Roma.
10 in Vita Hadriani p. 271.

vicellas, ac deinde vulgo nuncupatus fuit *di Tripoli*, aut *delli Retrofoli*, ac demum *di Portogallo*, ichnographiam dederunt Jacobus Laurus [1], et Bartolus [2], illustrationem vero Marcellus Severolius [3]; postquam illum e medio sustulit Alexander VII. anno MDCLXII [4], ut viam latam, feriatae urbis hippodromon, qua interjectis aedificiis impeditam, qua procurrentibus deformatam, liberam rectamque redderet, publicae commoditati, et ornamento.

Haec habui, quae de *Secretariis Ethnicorum* dissererem; quaeque iccirco fusius fortasse, quam ab initio proposueram, sum prosequutus, ut clarius eorum deinde constaret similitudo, quae *Christiani*, ob usus nostrae relligionis disciplinae, ac rationi placandi, et colendi Numinis, pie sancteque accomodatos, in sacris aedibus excitarunt.

1 Ant. Vrbis splendor. Romae 1612.
2 Admir. Ant. Rom. tab. XXXV.
3 Dissertaz. sopra il già antico Arco, detto volgarmente di Portogallo, e de' Bassirilievi situati in esso. in T. I. Dissert. Academiae Cortonens. p. 109.
4 Roma Antica del Nardini T. III. p. 958.



I: p. 109.

SYNTAGMATIS
PARS II.
DE SACRARIIS
PVBLICIS AC PRIVATIS
APVD ETHNICOS

Digitized by Google

SYNTAGMATIS

PARS II.

DE SACRARIIS PVBLICIS AC PRIVATIS APVD ETHNICOS

Hactenus *Secretarii* nomen, quo Christiani, veteris potissimum aetatis, usi sunt, ut de *Secretariis Ethnicorum* fuse ageremus, effecit. Quoniam vero hoc idem *Secretarium*, usitatissimo vocabulo, *Sacrarium* quoque appellarunt, antequam ab Ethnicis ad nostrates sermonem convertamus, praestat nonnulla peraeque de *Sacrariis Ethnicorum* delibare.

CAPVT I.

Sacrarii publici significatio, atque usus apud Ethnicos:

Sacrarium, ut Servii [1] verbis utar, *proprie locus est in Templo, in quo sacra reponuntur*. Hujusmodi *Sacrarii* descriptionem habemus apud Ovidium [2], ubi cecinit:

Luminis exigui fuerat prope templa recessus
Speluncae similis, nativo pumice tectus,
Relligione sacer prisca, quò multa Sacerdos
Lignea contulerat veterum simulacra Deorum.
Hunc init, et vetito temerat SACRARIA probro.

Hoc enim nomine interiorem, ac sanctiorem Templi partem, ut *adytum* [3], ac *penum* in aede Vestae, praecipue de-

1 ad Virg. Aeneid. lib. XII. v. 199.
2 lib. X. metam. v. 691.
3 Kircherus in Obelisci Aegyptiaci interpretatione. pag. 111. Romae 1666. fol.
Isaei Romani rudera effossi interpretatione. pag. 111. Romae 1666. fol.

signabant, ubi instrumenta, effigiesque sacrae, ut *Palladium* [1], *Penates*, *Thensae*, et alia id genus relligiose adservabantur; unde Templorum *penetralia*, *Penatium Deorum Sacraria* [2], appellabant. Ea nemini, praeter Sacerdotes, adire fas erat. Caesar ad hunc locum respexit, narrans [3]: *Pergami in occultis, ac reconditis Templi, quó praeter Sacerdotes adire fas non est, quae Graeci Adyta appellant, tympana sonuerunt*. Haec autem tantum patebant, quum, ut ait Festus, *sacrificium penetrale conficiebatur interiore parte SACRARII*.

Ceterum hoc etiam nomine generatim donata sunt ipsa Deorum Templa, sive sacrae Aedes.. Nam veteres utrumque vocabulum pro quovis aedificio cultui Numinum destinato, promiscue usurpabant, etsi, ut a Varrone, ac Gellio [4] discimus, non omnes *aedes* sacrae *Templa* essent. Siquidem *Templa* proprie vocata sunt, quae non consecrabantur solum, sed etiam inaugurabantur. *Aedes* vero, loca nondum inaugurata, quae tamen sine inauguratione sacrae erant.

Varias *aedium* sacrarum, sive *Templorum* species recensent Christ. Gottl. Kaendlerus [5], Minutolus [6], aliique [7],

1 Joh. Geor. Roeseri. Dissert. histor. de Palladio. Francof. ad Viadr. 1668. 4. Justi God. Rabeneri Diss. de Palladio. Exstat in ejusdem Amoenitatibus Histor. philosophicis pag. 235. Lipsiae 1695. 8. Geor. Westerholt. Dissertationes II. de Palladio. Hauniae 1726. 4. Abraham Ortelius in Deor. Dearumque Cap. lib. II. in T. vsI. Thes. Gronov. p. 283.

2 Paullus ad Festum. Guther. de vet. jure Pontif. I. 9. Laurent. Var. Sacr. Gentil. c. v. Jul. Minutolus de Templis in T. I. Thes. Sallengre. p. 109. Rubenius de re vestiaria in T. vI. Thes. Graevil p. 997. Oct. Ferrarius de re vestiaria. ibid. p. 1108. Saubert. de Sacrific. c. xIv.

3 De bello Civ. lib. III. c. 105.

4 Noct. Att. lib. xIv. c. vII.

5 de nominibus Templ. apud Paganos Dissert. Lipsiae 1735, et 1736.

6 Romae 1689. 8, et in T. I. Thesaur. Sallengr. Diss. v.

7 Rod. Hospinianus de Templis. Genevae. 1632. fol. Bulengerus de Templis Ethnicorum, in T. vsI. Thes. Graec. Gronovii p. 50. Geor. Adam. Struvius de dedicationibus Templorum, et Altar. Jenae 1673. Jac. Perizonius de Templis

Digitized by Google

nimirum, *Delubra*, *Fana*, *Fanula*, et apud Pomp. Festum *Hanula*, etiam interdum dicta, *Sacella*, loca Diis sacrata sine tecto, *Aediculas*, minora Templa tecta [1], *Compitum*, aediculam in quadrivio, turris instar, ubi sacrificia post agriculturae finem rustici celebrabant [2], *Lararium*, *Lucum*, *Tesca*, sancta loca undique septa, augurio designata, seu consecrata ad augurandum, *Bidental*, locum fulmine ictum, mactata bidenti ab Haruspice expiatum, consecratum aliquo sepimento. Atque omnia haec loca universim, non modo *Templi*, sed etiam *Sacrarii* appellatione frequenter indicabantur.

CAPVT II.

De Sacrariis publicis in Vrbe constructis.

Nonnulli [3] *Sacraria*, aut *Delubra* dicta fuisse contendunt ea dumtaxat Templa, ubi plura Numina simul colebantur. Quod tamen quantum a vero distet, quae de *Sacrariis*, singulis Diis, Deabusque dicatis, mox afferemus, luculenter ostendent; quaeque nescio, cur, perinde ut de *Secretariis* factum fuisse vidimus, usque hactenus nemo peculiariter illustranda susceperit. Verum ab iis, quae in Vrbe exstabant, exordiamur.

antiquorum. Lugd. Bat. 1695. 4. Corr. Samuel. Schurzfleischius de Templorum antiquitatibus. Viteb. 1696. 4, et inter ejusd. dissert. historicas. num. LHI. Lips. 1699. 4. Christ. Weidlingius de Templis Veterum. Leucopetr. 1714. fol.

1 Fil. Venuti Diss. sopra i Tempietti degli Antichi. Nel T. II. delle Dissert. dell'Accad. di Cortona. Roma 1738. 4. pag. 211.

2 Pers. Schol. ad Sat. IV. v. 28. St. Ant. Morcell. de Stilo Inscriptionum Latinar. p. 26.

3 Rosinus, et Dempsterus lib. IV. Nic. Bergerius lib. V. de Viis c. VIII. Scurtzfleischii Diss. LIII. de Antiquitatibus Templorum. Gutherius de Jure Pontificio T. V. Thes. Graevii p. 116. Bellus de partibus Templi auguralis. p. ibid. 546. Walchius ad Cellarii Comp. A. R. 116. Pitisci Lexicon. antiquit. Rom. in Aedes, Templum, Pantheon.

Digitized by Google

§. I.

De Sacrario Jovis .

Atque, ut ab *Jovis Sacrario* principium habeat excursio nostra, ejusdem ita meminit Valerius Maximus [1]. *Qua tempestate Reip. L. quoque Cornelius Merula* [2] *Consularis, et Flamen Dialis, ne ludibrio insolentissimis victoribus esset, in JOVIS SACRARIO, venis incisis, contumeliosae mortis denuntiationem effugit; Sacerdotisque sui sanguine vetustissimi foci maduerunt*. Quum *Flamini Diali*, nec Italia egredi [3], nec ex Vrbe abesse liceret [4], classemque procinctam extra pomoerium, id est exercitum armatum videre, leges vetarent, iccirco ad Consulatus dignitatem raro evehebatur; nam bella Consulibus mandabantur. Nihilominus *L. Cornelius Merula* Consul suffectus fuit in locum Cinnae, qui Consulatu, Vrbeque ejectus fuerat; eodemque anno, Cinna cum victore exercitu in Vrbem ingresso, sibimet ipse venas exsecuit, scripta prius tabella, ubi se id fecisse *deposito apice* testatus est. *Flaminem* enim *apicatum* mori, nefas habebatur. At post *Merulam* nemo *Flamen Dialis* inauguratus est ad annum usque DCCXLIV. ab V. C. [5], ut docet Tacitus narrans [6], *duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulae caedem neminem suffectum*.

1 lib. IX. cap. XII. n. 4.

2 August., et Strein. de famil. Roman. in Cornelia. Grandorp. Onomast. Roman. p. 235. Godofredi Sellii commentatio de nominibus Rom. brutisonis. Halae 1737. Norisii Adventoria. T. I. Opp. p. 1304.

3 Tacit. ann. lib. III. c. LVIII. n. I.

4 Liv. lib. V. c. LII.

5 Noris Cenotaph. Pisan. Diss. I. c. V.

6 Annal. lib. III. c. LVIII. n. 3.

§. 11.

De Sacrario Bonae Deae.

Sacraria in Templis, *secespita*, seu repagulo aeneo muniebantur, in quo crebra foramina exstabant, per quae manibus sacra tangere licebat, ut docet Festus, ubi haec habet: *Secespitam esse Antistius Labeo ait cultrum ferreum manubrio rotundo, eburneo, solido, vincto ad capulum auro, argentoque, fixum clavis aeneis aere cyprio, quo Flamines, Flaminicaeque Virgines, Pontificesque ad Sacrificia utuntur. SECESPITAM alii securim, alii dolabram aeneam, alii cultellum putant. Eadem alias dicitur, qua in SACRARIO utuntur. SACRARIA namque in Templis reticulo aeneo olim sepiebantur: in quo tubae relictae sunt, per quas manibus sacra tangere licet. Est hoc in Templo BONAE DEAE; sed et in aliis locis; et sunt velut repagula quaedam. Ita SECESPITAE dicuntur duobus modis.*

Sacrarium Bonae Deae ita memorat Cicero pro Milone [1]; *nisi forte hoc casu factum esse dicemus, ut ante ipsum SACRARIVM BONAE DEAE, quod est in fundo T. Sextii Galli, quum praelium commisisset, primum illud vulnus acciperet*. Ad hujusmodi *Sacrarium* [2]. apud quod Clodius [3], et ut refert idem Cicero, M. Papirius fuerunt interfecti, nefas erat, quoslibet accedere; quin imo, ut Plutarchus, et Seneca [4] testantur, mares omnes arcebantur, et exesse jubebantur [5], ne quisquam sacrificium *operta-*

1 Cap. xxxI. sub fin.

2 Marlianus in Topograf. Vrb. Romae p. 261. in T. iiI. Thes. Graevii. Panvinius de Sacerdotibus Feminis Bonae Deae. in l. de Civ. Rom. in T. I. Thes. Graevii.

3 Cicero ad Atticum lib. I. epist. xiI. Dio Cassius lib. xxxvII. c. XLV. T. I. pag. 139.

4 Epist. xcvII.

5 Festus in Exesto.

neum, quod *Damium* [1] vocabant, quodque fiebat in operto a solis mulieribus in honorem *Bonae Deae*, unquam adspiceret.

§. II.

De Sacrario Cereris.

Vetitum itidem viris erat, non modo in *Templum Bacchi* ad Bryseam in terra Laconica, teste Pausania, sed etiam in *Sacrarium Cereris*, quod in Vrbe exstabat, penetrare [2], et sacris *thesmophoriis*, seu *initiis* interesse, ut pluribus docent Ezech. Spanhemius [3], et Died. Andreas Kellerhaus [4]. Illuc enim feminae tantum admittebantur, quae, stato die, spicas in *Sacrarium* sollemni ritu ferebant, qui latine, ut Festus tradidit, *florifertum*, ac graece Ἀνθεσφόρια [5] dicebatur.

§. III.

De Sacrario Martis Quirini.

Contra vero in *Martis Sacrario*, ejusque sacris, de quibus Pausanias [6], nullus locus feminis relinquebatur; quemadmodum narrant Plutarchus [7], Aurelius Victor [8], Macrobius [9], Propertius [10], ac Silius Italicus [11] de Sacris Herculis, in cujus *Fanum* scribit Solinus [12], non modo

1 Paull. in Festum.

2 Dionys. Halic. lib. I. p. 26. Nardin. Rom. vet. lib. VI. c. XII. Borrich. Ant. Vrb. Fac. c. XII.

3 in not. ad Callimachum p. 654.

4 in Dissertatione de Cerere legifera. Jenae 1700. 4.

5 Pollux l. I. c. I, Macrob. c. V, Petrus Castellanus de Festis Graec. in T. VII. Thes. Gronov. p. 617.

6 In Laconicis. p. 267.

7 in quaest. Rom.

8 de orig. gentis Romae. c. VI., et VIII.

9 Saturn. lib. I. cap. XII.

10 lib. IV. eleg. ad Herculem.

11 lib. III. Punicorum.

12 Cap. II. V. Baelii Lexicon in Herculis Nota, et Vrb. Godfr. Siberi Diatribam de Cane e Templis exterminando. Lipsiae 1711. 4.

feminis, sed neque canibus, neque muscis ingressum fuisse.

Porro *Martis Sacrarium*, ubi servabantur *Ancilia*, quae *Salii* quotannis, singulis mensis Martii diebus, collo appensa, cum sollemni saltatu, et carminibus per Vrbem circumferebant, in Quirinali monte positum fuisse scimus, pone vicum *Mamurii*, qui plumbeam statuam habuit, ubi nunc aedes S. Susannae, ut ejus acta [1] demonstrant; quique a *Saliis* inter canendum vocabatur, ut *Ancilia* ab se fabrefacta, eorumque *Sacrarium* e propinquo spectaret, ac tueretur. Iidem enim *Salii*, ab Hostilio Rege [2], bello contra Fidenates ex voto ad similitudinem *Palatinorum* instituti [3], de quibus etiam mox disseremus, a *Portae Salariae* vicinitate, quae *Agonensis*, *Collina*, et *Quirinalis* promiscue vocabatur, *Agonenses*, et *Collini* dicebantur, ut Dionysius diserte testatur [4]. *Agonenses, et Collini, quorum SACRARIVM est in Collino monte.*

Recte igitur Servius Templum *Martis* intra Vrbem exstitisse tradidit, quod *Martis Quirini* vocabant, ut Sabinorum lingua [5] *hastatum* significarent, ubi Virgines *Saliae*, adstante Pontifice, ut ait Festus, atque ope *Saliorum*, *Martis Ministrorum*, apices, eorum instar, in capite gestantes, ac paludatae, sacra faciebant. Idem

1 apud Baron. an. CCXCIV, Surium d. xI. Aug. p. 99, et Guil. Cuperum in T. II. Martii Bolland. p. 631.

2 Georg. Chris. Gebaveri Tullius Hostilius observat. verii generis illustratus. Lipsiae. 1720. 4.

3 Tobiae Gutberlethi de Saliis Martis Sacerdotibus apud Romanos l. singularis. inter ejus opuscula. Franeckerae 1704. 8, et in Joh. Poleni Thes. T. V. p. 675. 717. Joh. Dan. Ramus de Ancilibus, eorumque Custodibus Saliis. Hafn. 1706. 4. Christ. Lud. Crellius de Saliaribus Carminibus. Witteberg. 1732. 4. Nicolaus Reichius de Saliis. Hauniae 1737. 4. Gis. Cuperus lib. IV. observat. II. Jacobus Perizonius de Morte Judae, adversus Gronovium pag. 83.

4 lib. II.

5 Festus in Celibari, et in Curis.

Servius [1] in usu fuisse tradit, ut qui ad bellum gerendum ex Vrbe proficisceretur, in *Sacrarium Martis* introiret, et *ancilia* primum, deinde *hastam Dei* commoveret, prece adjecta, *Mars vigila*. Quod tamen, utrum dumtaxat in *Quirinali*, an etiam *in Palatino Martis Sacrario* fieret, incertum est [2].

Ibidem, prout in *Herculis Sacrario*, *minusculum ostiolum* fortasse visebatur, quod *Festram* vocabant, quae, teste eodem Festo, antiquis idem fuit, quod apud nos *Fenestra*. De ea loquitur Macrobius, ubi agens de *Saliis Herculi assignatis* inquit [3]: *Antonius Gnipho vir doctus, cujus scholam Cicero post laborem fori frequentabat, Salios Herculi datos probat in eo volumine, quo disputat, quid sit FESTRA, quod est ostium minusculum in SACRARIO, quo verbo etiam Ennius usus est*. Item in fragmentis Petronii [4] legimus,

Deridet Festram, Romuleamque casam;

de quibus praeter Burmannum, conferantur Rycquius [5], et Struvius [6].

Ejusdem loci occurrit mentio apud Festum, ubi Veranius saturae mulierculae foeditatem exponit, narrans [7], *Sacerdotula in SACRARIO MARTIALI fecit oletum*. Quod tamen vel feminas in *Martis* sacra quandoque admissas fuisse demonstrat, ut aliis etiam exemplis supra [8] confirmavimus.

Ibidem etiam, ut in aliis *Sacrariis*, reliqua pars

1 ad Virg. Aenead.

2 Jac. Phil. Thomasinus de donariis veterum c. xxI. p. 283. in T. xiI. Thes. Graevii. Gutberlethus de Saliis in T. v. Thes. Poleni p. 720.

3 lib. 3. Saturnal. c. xiI. p. 413.

4 pag. 676. edit. Burmanni.

5 de Capitolio c. XLIV.

6 in Syntagmate Ant. Rom. cap. XL. p. 516. Jenae 1707. 4.

7 in Oletum, Stercus humanum.

8 pag. 59.

victimae, postquam alia pars Diis data, atque porrecta erat, in sacrificio, sive convivio, quod *Jovi Dapali*, *Herculi*, *Marti*, aliive Deo fiebat, consumebatur, quemadmodum colligere licet ex eo Varronis loco [1]; *hinc Fana nominata, quod Pontifices in sacrando fati sunt finem; hinc profanum est, quod ante fanum, id est conjunctum Fano; hinc profanatum, quod in SACRARIO polluctum*. Nam *profanare* idem est, ac ante Fanum statuere; ut praeter Festum [2], Aurelium Victorem [3], et Macrobium [4], probant Catonis verba [5], *ubi daps profanata comestaque erit*, aliaque [6], *Vrna vini Jovi caste profanato sine contagione*.

§. V.

De Sacrario Martis Gradivi in Palatino.

Antiquius *Saliorum Sacrarium* in Colle Palatino fuisse docent Nardinius [7], Olaus Borrichius [8], ceterique Romanarum rerum explanatores. De iis ita Dionysius [9]: *Salii, quos Numa e Patriciis* XII. *claros juvenes elegerat, quorum sacra manent in Palatio, et hi quidem Palatini appellantur*. Hujusmodi sacra erant *ancilia*, in illius speciem a Mamurio, Numae jussu, efficta, quod e Caelo delapsum Imperii Romani pignus [10] fuit, *apices*, *trabeae*, *fibula aerea*, aliaque id genus, quibus in festis diebus utebantur, quaeque, reliquo anni tempore, in mensis, arcu-

1 II. lib. v, c. vII. p. 54.
2 in Potitii.
3 de orig. gentis Rom. c. vI.
4 lib. II. Saturnal. c. vI.
5 de Re Rust. c. L.
6 ibidem cap. cxxxI.
7 in Rom. vet. in T. IV. Thes. ant. Rom. Graevil pag. 1321.
8 de Ant. Vrb. Romae facie, ibidem pag. 1557, et 1585.
9 lib. II.
10 Joh. Andr. Bodeni Dissert. de secretis quibusdam Imperii Romani pignoribus, potissimum Ancilibus. Witeb. 1739. 4.

lisque, summa cura, ac relligione servabant. Refert enim Macrobius ex jure Papiniano [1]; *in Templo Junonis Populoniae augusta mensa est. Namque in fanis alia vasorum sunt, et sacrae supellectilis, alia ornamentorum; quae vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus sacrificia conficiuntur. Quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulae, libationesque, et stipes reponuntur. Ornamenta vero sunt clypei, coronae, et cujuscemodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur. At vero mensa, arulaeque eodem die, quo aedes ipsae dedicari solent. Vnde mensa hoc ritu dedicata in Templo arae usum, et relligionem obtinet pulvinaris.*

Illic praeterea *lituum auguralem*, quo Romulus regiones direxit, tunc quum Vrbem condidit, custodiebant. Verum, ut narrat Valerius Maximus [2], *deusto SALIORVM SACRARIO, nihil in eo praeter lituum Romuli integrum repertum est.* Quod quidem a Plutarcho, ut mittam aliorum testimonia ab Andr. Cirino [3] allata, ita evenisse traditur [4]. *In moliendo, et purgando loco reperiunt sub magno cumulo cineris Romuli baculum, quo uti ad auspicia solitus erat. Is altera extremitate inflexus est, lituum vocant. Hujus in Caeli regionibus describendis usus est auspicantibus, ad quod ille augurandi peritissimus illum habuerat.* Audi nunc caussam, ob quam *Lituus* conservatus est, ut rideas superstitionem Jacobi Lauri, qui ait [5], *inventus est LITVVS incombustus, ac integer, a doemone quidem praservatus, ut nefariam augurandi disciplinam, quae impie LITVO fiebat, miseris Romanis suaderet.*

1 Saturn. lib. III. c. XII. p. 421.
2 lib. I. cap. VIII.
3 de Vrbe Roma c. XXIV, et in T. II. Thes. Sallengre. p. 259. 260.
4 in Vita Rom. p. 31.
5 de ant. Vrb. splend. P. II, p. 56.

Hoc idem *Sacrarium* in *Numae Regia* situm fuisse prodit Gellius, apud quem ex veteri S. C. legimus [1], *quod C. Julius L. F. Pontifex nuntiavit Senatui in SACRARIO in regia hastas martias moviſſe*; id quod prodigii loco erat, malumque omen portendebat, ut Livii [2], Flori [3], et Julii Obsequentis [4] testimoniis probat Bulengerus [5]. Nam dicit *scriptor Varro* apud Clementem Alexandrinum [6], et Arnobium [7], *Romae antiquitus statuam Martis fuiſſe hastam*; idque disertis verbis confirmat Plutarchus [8] inquiens, *lanceam in regia positam, Martem vocari*. Atque hinc fortasse manavit usus *per hastam* jurandi, ceteris addendus, quos erudite Joh. Bapt. Hansenius [9] enumeravit. Quocirca Joh. Fabricio subscribam, qui Βαπίλειον, sive *Sacrarium Martis*, ut veteres Scriptores appellant, cum *Templo Martis* confundendum minime esse putat, Jacobi Perizonii [10] auctoritate permotus. Quamquam enim inficiandum minime sit, vetustiori aetate, *Vulcani*, *Bellonae*, *Martis*, *Veneris Ericinae*, et *Verticordiae* Templa in Vrbem minime admissa fuisse, deinde tamen nonnulla ex iis intra Vrbis pomoerium procul dubio exstiterunt.

Panvinius [11] *Saliorum Palatinorum Sacrario*, *Curiam Saliorum* adjungit. Quocirca Alexander Donatus [12] *Sacra-*

1 Lib. IV. c. VI.
2 lib. XXIV. c. X. et lib. XXI.
3 lib. LXVIII.
4 de prodigiis.
5 lib. IV. de prodigiis in cap. LXIII. de hastis martiis, et ancilibus motis, et in T. V. Thes. Graevii. p. 514.
6 In Protreptrico, et apud Joh. Gid. Gellium in observat. de vario hastae apud veteres usu. in T. IX. Misc. Lips. p. 25. Joh. Nic. Funccium de jure hastarum. in T. II. Symbol. literar. Par. II. p. 193. Bremae 1746. 8, et Jos. Laurentii varia Sacr. Gent. in T. VII. Thes. Graev. p. 143.
7 lib. V. contra Gentes.
8 In Romulo p. 33.
9 de jurejur. Vet. in T. V. Thes. Graev. p. 838.
10 de morte Judae adversus Jac. Gronov. p. 83. V. dans le T. XXXIX. de l'Hist. de l'Acad. Royale des Inscriptions. ec. Recherches sur les Thesmophories par M. du Theil. p. 203.
11 apud Nardinium 1036, et 1051.
12 in Rom. Vet.

rium quandoque *Curiam* appellatam fuisse censuit. Plura enim in eo aedificio conclavia fuisse putandum est, quorum unum sacris instrumentis condendis destinatum esset, alterum vero *Saliorum* conventibus inservierit, eorumque *Vestiarium* fuerit, ut inde *Curiae* nomen acceperit. Porro eosdem *Salios Palatinos* proprias *mansiones*, sive domunculas ad *Sacrarium* constructas habuisse compertum est; nisi forte Gutberlethi sententiam sequi malis, qui, quum ancilia per plures dies essent circumferenda, neque singulis vesperis ad *Sacrarium Martis* referri possent, *mansiones* iccirco aedificatas fuisse censuit, in quibus *ancilia*, tempore hujus festi, nocte custodiebantur, ac *Salii* genio indulgebant. Sic in sacris Isidis, ne sacerdotes, qui *Anubim* portabant [1], nimium ab onere laborarent, *mansiones*, sive tabernacula cum stibadio [2], propter Vrbis vias excitabantur, ubi sacris operantes pausabant, et fessis, si forte opus esset, recentes succedebant, qui viae, quod reliquum erat, spatium obirent. De *Saliorum mansionibus* ita loquitur vetus inscriptio, quam in effodiendis aedis S. Basilii fundamentis inventam refert Appianus, atque ex eo etiam Gruterus [3], Nardinius [4], Cuperus [5], Ferretius [6], Gutberlethus [7], Borrichius [8], Struvius [9], et Pitiscus [10] ediderunt.

1 Apulejus Metam. lib. XI. p. 369, et 371, et de abstin. lib. IV. p. 363. Phil. de Vit. Philos. lib. II. c. XX. Clemens Alexandr. Stromat. l. V. n. VII. Meursius Eleusin. c. XXVII. Tom. II. opp. p. 534. Fabretti Inscr. p. 488. n. 172. Salmasius ad Spartian. in Caracalla cap. IX, et in Pescennio Nigro c. VI. Reinesius cl. 1. n. CXXXIX. Maffeius in Art. Crit. Lapid. lib. III. c. IV. p. 396.

2 V. Fabrettum pag. 676. n. 29. 30, et Morcellium de Stilo Inscript. Latinarum pag. 209.

3 pag. CLXXIII. num. 5.

4 p. 1053.

5 Observ. IV. n. 2.

6 Mus. Lapidar. p. 11.

7 de Saliis c. XVI. in praef. T. I. Thes. Graevii, et in T. V. Thes. Poleni. p. 720.

8 de Ant. Vrb. Facie c. XII.

9 Ant. Rom. c. XII. p. 60.

10 in Lexico Ant. Rom. T. II. p. 154.

Digitized by Google

MANSIONES . SALIORVM . PALATINORVM
E . VETERIBVS . OB . ARMORVM . ANNALIVM
CVSTODIAM . CONSTITVTAS . LONGA
AETATE . NEGLECTAS . PECVNIA . SVA
REPARAVERVNT . PONTIFICES . VESTAE
VV. CC. PRO . MAGISTERIO . PORTII . ACILII
LVCILII . VITRASII . PRAETESTATI . VV. CC.

§. VI.

De Sacrario Isidis.

Ita continens Isidis templo in regione IX. Sacerdotum domicilium fuisse prodit Josephus [1], ubi a Vespasiano, et Tito nox, quae triumphum proxime praecessit, fuit transacta. Ejusdem loci meminerunt Apulejus [2], et Scholiasta Juvenalis [3] ad eos versus:

.... jamque exspectantur in hortis,
Aut apud Isiacae potius SACRARIA lenae,

ad Templum nempe ISIDIS, lenae conciliatricis, quia in hortis templorum adulteria committuntur.

Fortasse huc pertinet vetus inscriptio a Muratorio in lucem edita.

I. O. D.
PRO SALVTE
IMP. L. SEPTIMI . SEVERI . PII . PERTINACIS . AVG
PII . FELICIS . ET . EXERCITVM
ET . P. R. D. IVN. PACATVS . CVM
ALEXANDRO . FIL. SACRARVM
IVSSV . I. D. SVA . PEC. ADAMPLIAVIT . C. A. CAECILIO
RVFO . 7. SACERDOT. SOPATRVS. ET. MARIN. ET. CAIVS. F

1 de bello Judaico lib. VIII.
2 lib. ult. Metam.
3 In Sat. VI. v. Vandal. Diss. I. et VIII. pag. 215.

In hac insigni tabula, inquit Muratorius [1], *occurrunt literae illae singulares, nusquam alibi mihi visae, scilicet I. O. D. Erunt, qui interpretentur JOVI OPTIMO DEO, aut DOLICHENO, sive DEPVLSORI. At ego aegre ad credendum inducor, agi heic de Jove. Stabilis quippe mos fuit, post OPTIMO adjungere MAXIMO. Quare potius legerem ISIDI, aut JVNONI OPTIMAE DEAE, vel OPIFERAE DEAE, vel DOMINAE. Vide infra in penultima hujus tabulae linea IVSSV I. D. idest ISIDIS, aut JVNONIS DEAE. Pro EXERCITVVM lapicida incaute scripsit EXERCITVM, et Populi Romani. Pro SACRARVM, lege SACRARIVM.*

§. vII.

De Sacrariis Saturni, Bacchi, et Liberi.

Adde *Sacrarium Saturni cum luco* a Rufo [2] memoratum in regione xI. Atque, ut mittam *Bacchanalia*, sive loca, in quibus *Bacchi* mysteria peragebantur, *Sacraria Liberi* in glossis Isidori [3] fuisse nuncupata, *Sacrarium Dei Li-*

1 T. I. Thes. Inscript. p. CCCXLIV. num. 2.

2 Macrob. Saturnal. lib. vII. Panvin. in descr. Vrb. Romae. in T. III. Thes. Graevii. Nerdinius p. 1117, et 1182. Albericus de imaginib. Deor. c. 2. Onzelius l. c. Jac. Spon. Miscell. erud. antiq. §. III. num. 98.

3 Matth. Aegyptius in explicat. S. C. de Bacchanalibus in T. I. Thes. Poleni p. 878. Christ. Neander in Bacchanallor. historia. V. in G. E. Clausingii Jur. Pub. Rom. T. IV. p. 192. Lemgae 1737. 8. Joh. Manitium in diss. histor. de Baccanalib. Wittemb. 1663. 4. Joh. Nicolai de Ritu ant. et hodierno Baccanaliorum. in T. vII. Thes. Gronovii p. 172. Sueot. Gustav. Dietza in diss. de Baccanaliis. Lips. 1691. 4. Carolum Frid. Kranevvitterum in diss. de Baccanalibus Gentilium. Wittem. 1710. 4. Laur. Begerum in diss. de Cranae insula p. 26. Ant. Vandale diss. 12. ad antiquit. et marmora spectant. p. 84. Joh. Henr. Heggelingium in diss. de mysterio Cereris, et Bacchi. T. vII. Thes. Gronov. p. 57. Jac. Sponium Misc. erud. ant. p. 25. Theod. Hasaeum T. XV. Hist. crit. Reip. litter. p. 230. I. B. Recanatum in supplementis Diarii erudit. Ital. T. II. p. I. Francisc. Sevinum T. III. Hist. Acad. Inscr. p. 52. Christ. Gottl. Schvvarzium Misc. politior. humanit. c. III. p. 63, et c. IV. p. 95.

beri indicatur in inscriptione Villae Pincianae apud Maſſejum [1], Jac. Manillium [2], et Dom. Montelaticum [3], quae est hujusmodi.

PRO . SALVTEM . ET . VICTORIAS
D D N N
IMPP. SEVERI ET ANTONINI . AVGG
ET IVLIAE . AVG. MATRI . AVGG. TOTIVSQ
DOMVS . DIVINAE . EORVM
EX CONCESSV . IN PRAEDIIS SVIS . SACRARIVM
DEI . LIBERI . CVM AEDICVLA . ET . COLVM
NIS . SVIS . INPENDIS . MARMORA NVNC
ET AREAM . ET ORTVLVM SVPER . NYM
PHIS QVI LOCVS APPELLATVR MEMPHI
DONVM DEDERVNT SPIRAE

§. VIII.

De Sacrario Fauni.

Quum vero *Dii Rusticani* [4], *Pan*, *Fauni*, *Satyri*, *Sileni*, vel in Vrbe colerentur, iisdem etiam *Sacraria* dicabant. Testem habemus locupletissimum cujusdam Hersili, qui sese Marcellae fratrem, filium, et conjugem fuisse pro-

1 pag. CCLIV. n. 1. in Museo Veronensi Ver. 1749. fol.

2 Villa Borghese fuori di Porta Pinciana. Roma 1640, a 1650. 8. at latine studio Sigeb. Havercampi in T. VIII. Thes. Italiae Graevii.

3 Villa Borghese fuori di Porta Pinciana, con li ornamenti, che si osservano nel di lei Palazzo, e con le figure delle statue più singolari. Roma 1700. 8.

4 Alexander tab. Heliac. T. v. Thes. Graevii p. 746. Begerus Tom. I. Thes. Brandenburg. p. 16. 18. 155, et T. III. pag. 257. 259. 745. Casaubonus de Satyr. T. II. Musei Kraniani. Schwarzius Misc. politior. humanitatis c. IV. §. v. Keislerus de Faunis veterum Germanorum. in antiq. Septentr. p. 178. Ekartus T. I. Rer. Franc. Orient. p. 410. Sponius in misc. erud. ant. §. II. de Baccho, Sileno, Faunis, Musis, Maenadibus, Fanaticis, Nymphis, et Hercule. pag. 25.

Digitized by Google

fitetur, lepidum epigramma, a Pyrrho Ligorio exscriptum, in domo Bruti de Valle, et a Grutero editum ex marmore, in cujus parte superiori jacens puer dextra rosaceum sertum, sinistra pyxidem tenebat. Ibidem festive Hersilus *Sacrarium Fauni capripedis* subeuntes ita compellat.

SEMICAPRI . QVICVMQ. SVBIS . SACRARIA . FAVNI
HAEC . LEGE . ROMANA . VERBA . NOTATA . MANV
HERSILVS . HIC . IACEO . MECVM . MARCELLA . QVIESCIT
HAEC. SOROR. HAEC. GENITRIX. HAEC. MIHI. SPONSA. FVIT
FICTA. PVTAS. FRONTEM. TRAHIS. AC. AENIGMATA. SPHINGES
CREDIS . SVNT . PYTHIO . VERA . MAGIS . TRIPODE
ME . PATER . E . NATA . GENVIT . MIHI . IVNGITVR . ILLA
SIC . MIHI . SPONSA . PARENS . SIC . FVIT . ILLA . SOROR
BENE . PRECARE . QVI . LEGIS

Faunalia [1] sub veris initio, idibus Februariis, celebrabantur in insula Tiberina, ut narrat Ovidius [2]:

Idibus agrestis fumant Altaria Fauni,
Heic ubi discretas insula rumpit aquas.

De hisce *Altaribus*, sive *Sacrariis* a Vitruvio [3] memoratis, quae condiderunt Aediles C. Scribonius, et Cn. Domitius [4], fortasse loquutus est *Hersilus*, si lapis in Vrbe positus fuit. Sed quum heic alia etiam loca *Fauno* sacra

1 Jun. Fast. in T. vIII. Thes. Graevii pag. 256. Rosinus in antiquitatum Rom. lib. IV. c. XV. Kipping. Ant. Rom. lib. I. cap. X. Gyrald. Synt. Deor. lib. XVII. p. 494, et 550.

2 Fastor. lib. II. v. 193. Alex. Genial. Dier. lib. III. c. XVIII. cum notis Tiraquelli. Academ. Herculanens. T. II. T. XXXVIII. p. 145. Visconti Museo Pio Clementino T. I. p. 82. 83. et T. II. p. 59. 60.

3 lib. III. cap. I.

4 Livius in lib. XXXIV. c. LIII. Marlianus in Topogr. Vrb. Romae lib. V. c. XVI. Girald. in Synt. Deor. c. XV. pag. 444. Philander in Vitruvium. Rosin. antiquit. Rom. lib. II. c. XVII.

exstitisse compertum sit, nempe in *Aventino*, ubi *Faunus* filius *Pici*, una cum Patre colebatur, itemque in *Monte Coelio*, ut contra Nardinium [1] nonnulli [2] putant, iccirco qualenam ex his fuerit *Sacrarium* ab Hersilo indicatum, admodum incerta res est.

Idem *Faunus* a nautis peculiari studio colebatur, eique naufragii discrimine erepti, aut ex ipso naufragio servati, teste Vergilio, [3] dona, et vestimenta voventes, ad oleastrum suspendebant [4]. In ejus honorem festa, brumae initio, nonis Decembribus, anniversario pervigilio obibantur in sylvis, ac pratis, vini libamine, atque hoedi sacrificio, ut Horatius [5], et Propertius [6] testantur. Huc accersenda sunt carmina T. Calpurnii Siculi, qui Ornitum pastorem sic loquentem inducit [7].

Hoc potius, frater Corydon, nemus, ista petamus
Antra patris FAVNI, graciles ubi pinea densat
Sylva comas, rapidoque caput levat obvia Soli:
Bullantes ubi fagus aquas radice sub ipsa
Protegit, et ramis errantibus implicat umbras.
Cor. Quo me cumque vocas, sequor, Ornite. Nam mea Leuce
Dum negat amplexus, nocturnaque gaudia nobis,
Pervia cornigeri fecit SACRARIA FAVNI.

Janus Vlitius germanum Calpurnii carminum sensum fuisse docet [8], Leucen fugiendo, *Septum Sacrarii* perrupisse, atque iccirco illuc aditum patuisse. Nam *Fauni Sacrarium* antrum erat in media sylva arboribus circumse-

1 Rom. Ant. lib. III. c. VII.
2 Fabricii Descr. Vrbis Romae c. IX. Rosin. antiquit. Rom. lib. XI. c. XVII.
3 Aeneid. lib. XII. v. 766.
4 Thomasin. de donariis c. VII.
5 Od. lib. III. 18. 5.
6 Eleg. XI. XIV. XV.
7 Bucolic. Ecloga I. Delos. v. 8. inter rei Venat. Script. Lugd. Bat. 1728. 4.
8 in variis lectionibus p. 473.

ptum, in quo erat illa, quam vocat, *sacra fagus* [1], eorum instar, quae in *Laurentino agro* ad Castrum Inui [2]; et in Tiburte [3], ubi *Fauni fatidici* Templa, et oracula; exstiterunt.

§. VIII.

De Sacrario Opis Consivae.

Alterius etiam *Sacrarii* in regione VIII. notionem habemus apud Panvinium, ubi legimus [4]; *Regia Numae, alias Curia Pompiliana, in qua SACRARIVM erat OPECONSIVAE*. *Sacrarium* a *Curia* diversum fuisse prodit Valerius Maximus, inquiens [5], *pecuniam etiam non ad CVRIAM, sed ad SACRARIA aedificanda, sacrificiaque facienda tribuit*; Ceterum Panvinii locus, ni valde me animus fallit, haud parum lucis affundit celebri Fl. Vopisci loco, qui postquam retulit, *quemadmodum Tacitus Imperator sit creatus ab Ordine amplissimo, in Curiam Pompilianam considente*, haec addit [6]. *Interrogatus praeterea, qui post Tacitum sedebat Senator Consularis Metius Falconius Nicomachus, in haec verba disseruit. Semper quidem, Patres Conscripti, recte, atque prudenter Reipublicae magnificus hic ordo consuluit, neque a quoquam orbis terrae populo solidior umquam exspectata sapientia est; attamen nulla unquam, neque gravior, neque prudentior in hoc SACRARIO dicta sententia est. Se-*

1 ver. 20, et 34.

2 Servius ad Virg. VI. Aeneid. v. 775. Liv. lib. I. c. V. Macrob. lib. I. Saturn. c. XXII. Arnobius l. III. p. 113.

3 Virg. VII. Aenead. vers. 53. Rocchus Vulpius in T. X. vet. Lat. p. 185.

4 Nardini Roma antica. p. 561. terze edizione, Roma 1771. T. IV. 8.

5 lib. VI. c. V. de justitie num. I.

6 in M. Claud. Taciti vita. pag. 430. inter Scriptor. Hist. Aug., et in Metii Voconii, sive, ut apud Vopiscum legitur, Metii Falconii oratiuncula Tacito Aug. dicta e Cod. Ms. recognita. Exst. in C. G. Schwarzii Miscellan. politior. humanit. p. 125. Norimb. 1721. 4.

niorem Principem fecimus, et virum, qui omnibus quasi Pater consulat. Nam etsi diffitendum minime sit, *Curiam Pompilianam*, fortasse a Metio Falconio *Sacrarium* fuisse nuncupatam, quod illuc Senatus amplissimus conveniret [1] ad graviora negotia, in sacro veluti loco, sancte pertractanda, intimosque animi sensus de re publica proferendos, ibique [2] *sacra publica faceret, feriasque observaret*, tamen hoc ipsum *Sacrarii* nomen ad eamdem *Curiam* spectare potuit, quod ibidem exstructum esset *Sacrarium Opis Consivae*.

In hoc eodem *Sacrario* Festus describit *vas aeneum sine ansa patens summum, ut pelvis, quo ad sacrificia utebantur in SACRARIO OPIS CONSIVAE*, quod, quum in eo res sacrae praeferrentur, *praefericulum* nuncupabatur [3]. *Opem* vero *Terram* vocabant, ut explicat Macrobius [4], et *Consivam* a *conserendo*; ideoque, ut ait Festus, *in regia colitur a P. R. quia omnes opes humano generi Terra tribuat*. Ejus festum in veteri Kalendario VIII. Kal. Septembris indicatur, de quo sic Varro [5]: *Opeconsiva dies ab Dea Opeconsiva, cujus in Regia SACRARIVM; quod ideo actum, ut eó praeter Virgines Vestales, et Sacerdotem publicum, introeat nemo. Is quum introierit, suffibulum habeto*. Quid vero esset *suffibulum*, a Festo audiamus [6]: *Suffibulum*

1 Fl. Vopiscus in vita Aureliani p. 880.
2 Festus in Curia, et Novae Curiae.
3 M. A. C. de la Chausse de insignibus P. M. Flaminis Dialis tab. III. in T. v. Thes. Graevii p. 314.
4 lib. I. Saturn. c. x.
5 de L. L. v. c. III. Horat. Epist. II. v. 148. Arnob. l. VIII. p. 227. Voss. de Idolol. c. xl. Vrsat. de Not. Rom. in T. xI. Thes. Graevii p. 887. Siccam. in Fast. Kalend. c. xiv. Borrich. ant. urb. Fac. c. xvI. num. I. Gyrald. Synt. Deor. lib. IV. p. 188. Thomas. de Donar. c. xv. Cirinus de Vrbe Roma cap. IV, et in T. IV. Thes. Sallengre p. 66. Perionius de Graecor., et Rom. Magistrat. in T. vI. Thes. Gronovii p. 2814. Fabrettus de Columna Trajani p. 164. Morcellius de Stilo Inscr. Lat. p. 301.
6 Ruben. de re vestiar. cap. xI. n. 14. Ferrar. Anal. de re vestiar. cap. XLVI. Guther. de vet. jur. Pont. c. I. num. 23.

est vestimentum album, praetextum, quadrangulum, oblongum quod in capite Virgines Vestales, quum sacrificant, semper habere solent, idque fibula comprehenditur, ut videre est in gemma, quae exhibet Vestalem cum *suffibulo* apud Gutherum [1].

§. X.

De Sacrario Matris Deûm.

Ad hunc locum fortasse spectavit Martialis [2], ubi cecinit;

Hinc viduae CYBELES, illinc SACRARIA VESTAE,
Inde novum, veteres prospicis inde Jovem.

Nam *Cybele*, quae *Terram* [3] ipsam significabat, modo sub *Opis*, aut *Bonae Deae*, modo sub *Matris*, aut *Matris Deûm*, seu *magnae Matris Ideae* nomine colebatur [4]. Propterea de hoc eodem *Sacrario*, ni vehementer fallor, accipiendum esse puto insignem Trebellii Pollionis locum in vita Divi Claudii, qui ita habet [5]. *Quum esset nuntiatum* IX. *Kal. Aprilis ipso in SACRARIO MATRIS, sanguinis die, Claudium Imperatorem factum, neque cogi Senatus, sacrorum celebrandorum caussa, posset, sumptis togis*

Stuch. antiq. Conviv. c. xI. n. 26. Struv. ant. Rom. c. xII. p. 564. Blond. Rom. Triumph. c. I. pag. 15.

1 de veter. jure Pontif. in T. v. Thes. Graevii p. 60.

2 lib. vII. epigram. LXXII.

3 Viri docti ad Lucretium II. 598, et Florum I. 19. Sirmondus ad Theodulfum Aurelianensem p. 298. Henr. Torelius de Terra gentium Dea. Vpsal. 1705. 8.

4 Laur. Pignorii Magnae Deum Matris Ideae, et Attidis initia. Amst. 1669. 4. et in Tom. vII. Thes. Graec. Gronovii pag. 505. Herm. von der Hardt. Rea Cybele magna Deum mater. Helmstadii. 1720. 4. Ant. Banier Remarques sur les Baetyles, et sur les Statues de Cybele. dans l' Hist. de l'Acad. des Inscr. Tom. III. p. 361. M. Falconet Diss. sur la Pierre de la Mere des Dieux. ibid. Tom. xxIII. p. 213. Nathan. Frid. Krautz. Dissertation. de magne Deorum matre. Lips. 1738. 4. Henr. Aug. Zeibichii Diss. de Matre Deum Sipylene. Vitemb. 1747. 4. Rigaltius ad Commodianum. Instructione xvII. 3. Salmasius in not. ad Lamprid. in Halagabali vita c. vII. Pluche Histoire du Ciel p. 191. Banier Mythologie Vol. I. pag. 116. Reinesius in Thes. Inscript. pag. 64. 73. 187. 208. 209. Cav. Vettori del culto superstizioso di Cibele, detta dagli Antichi la gran Madre. Roma 1753. 4. Dom. Giorgi de Archigallo. Rom. 1737. 4.

5 pag. 803.

itum est ad Apollinis Templum, ac lectis literis Claudii Principis, haec in Claudium dicta sunt. Nam xI. Kal. Aprilis, quo primum die Sol aequinoctialem circulum attingit, pinus arbor, *Cybeles* tutelae adscripta, succidebatur, et in *Matris Deûm Sacrarium* [1] inferebatur, ut ex Arnobio colligimus, qui ait [2]. *Quid enim sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in Deûm Matris intromittitis Sanctuarium*? Postridie erat *tubilustrium*, dies nempe tubis, quarum ad sacra usus, lustrandis destinatus.

Sequebatur *dies sanguinis* IX. Kal. Aprilis, quo *Archigallus* [3] sanguinem impurum, lacertos etiam castrando, libabat. Hujus rei, praeter Tertulliani testimonium, fidem facit *Kalendarium Romanum sub Imp. Constantio circa annum CCCLIV. concinnatum, et Valentino cuidam dicatum*, ubi legitur [4].

XI. KAL. APR. ARBOR INTRAT
X. TVBILVSTRIVM
IX. SANGVEN
VIII. HILARIA
VII. REQVIETIO
VI. LAVATIO

1 Salmas. in Trebellium, et Lampridius in Commod. cap. IX. Struv. Ant. Rom. c. IX. p. 482. Lips. Epist. misc. LXXV. Lomejerus de Lustrat. c. XXVI. Turneb. Adversar. XXX. 21.

2 lib. v. p. 167.

3 Murator. in Thes. Inscript. Tom. I. pag. CCVII. Winchelmann Monum. Ined. p. I. num. VIII. Storia dell'arti. ediz. Rom. T. I. p. 285. Foggini Museo Capit. T. IV. p. 67. Tav. XVI. Volpi Diss. intorno alla villa Tiburt. di Manlio Vopisco. ne' saggi dell'Accad. di Cortona ſ. II. p. 192.

4 Extat in fronte *Anaptyxeos* Fastor. Ovidii Car. Neapolis, et in Dion. Petavii Vranologio p. 112. et mutilum in Bucherii Doctrina temp. p. 275, et in chronol. Ioh. Georg. Hervvart. Monachii 1612. 4. Idem cum notis Petri Lambecii e ms. cod. vindob. iconibus mensium in aes incisis, ad calc. lib. IV. Comment. de Bibliot. Vindobon. et in Graev. Thes. T. VIII. p. 95. Idem cum alio Kalendario a Polemeo Silvio anno CDXLVIII. conscripto, et cum praef. Conr. Janningi in T. VII. Junii p. 176. et apud Hadr. Valesium in notis ad Marcell. p. 355.

Quapropter haud satis intelligo, cur Salmasius, et Casaubonus huc referenda esse duxerint illa Aelii Lampridii verba in vita Commodi Antonini, qui [1], *Bellonae servientes vere exsecare brachium praecepit, studio crudelitatis*. Quid enim *Bellonarii fanatici* [2], qui *missione sanguinis sui Deam placabant*, cum *Cybeles* Sacerdotibus, ac caeremoniis comune habent?

§. xI.

De Sacrario Fidei.

Verum antiquius Vrbis *Sacrarium* fuit in regione prima extra portam Capenam, *Fidei* dicatum, et à Livio ita descriptum [3]. *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perennis rigabat aqua, quô, quia se persaepe Numa sine arbitris, velut ad congressum Deae, inferebat, Camenis eum locum sacravit, quod earum ibi concilia cum Conjuge sua Aegeria essent, et soli Fidei sollemne instituit. Ad id SACRARIVM Flamines bigis curru armato vehi jussit, manuque dextra ad digitos usque involuta rem divinam facere, significantes Fidem tutandam, sedemque etiam in dextris sacratam esse*. Specum, quô *Numa* solus itare consueverat, ab Vrbe remotiorem fuisse vides; siquidem eô Flamines [4] curru vehebantur. Nescio, an *Sacrarium*, eo lu-

1 in not. ed Lamprid. et Trebellium.

2 Joh. Dan. Keisingii Diss. de Sacris Bellonae cruentis. Exst. in misc. Lipsiens. T. I. p. 115. Lips. 1716. 8. Joh. Clericus de more Deos colendi laceratione, et incisione corporum, ac vulneratione, ad lib. Reg. xvIII. 28.

3 lib. vI. cap. xxI.

4 Mich. Angelus de la Chausse de insignibus Pontificis max., Flaminis Dialis, Auguris, et instrumentis secrificalibus. in ejusdem Musao Rom. p. 73. fol. et in Graevii Thes. Antiq. Rom. T. v. p. 313. Joh. Friderici Gruneri Diss. Philologica de Flaminibus. Jenae 1742. 4. Joh. Conradus Schvvarzius Diss. de Fleminibus. Coburgi 1742. Joh. Christ. Irmisch de Flaminis Dialis cum Flaminica nuptiis. Dresdae 1745. 4. Joh. Godofr. Bernoldi Dissertat. antiquaria de Flamine Diali, ejusque Conjuge Flam. Altorph. 1746. 4. Oliverius ad marmora Pisaurensia p. 81.

co excitatum, Templum illud fuerit, quod primum a *Numa Fidei* erectum narrat Dionysius in hunc modum [1]. *Haec cogitans, primus omnium hominum FIDEI PVBLICAE Templum sacravit, assignatis ex aerario sacrificiis*. Ceterum, quum alias aedes *Fidei* sacras fuisse constet in Palatino, et in Capitolio, rem eruditioribus statuendam relinquo. Tute interim, ut varias Scriptorum opiniones de hujusmodi controversia ediscas, praeter Plutarchum [2], Joh. Gerh. Arnoldum [3], Alex. Donatum [4], et Georg. Christ. Gebaverum [5], adire poteris J. B. Hansenium [6], et I. E. Jablonski, qui in *specimine spicilegii animadversionum de cultu virtutum sacro apud Gentes profanas, de FIDE DEA, ejusque Sacris*, inprimis disseruit [7].

§. XII.

De Sacrario Jani.

Alterum quoque *Sacrarium* in regione VIII. a *Numa* exstructum, *Janoque* dicatum fuisse declarat Servius, ubi ad illum Vergilii versum [8], *sunt geminae belli portae*, adnotavit, *SACRARIVM Jani Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum, juxta Theatrum Marcelli, quod fuit in duobus brevissimis Templis, duobus autem propter Janum bifrontem*. Plura ad hunc Servii locum illustrandum protulit Nardinius, quae vide apud eumdem [9]. Verum, ut de Tem-

1 lib. XI. pag. 134.
2 inter vitas parallel.
3 Dissert. historico-politica de Numa Pompilio II. Rom. Rege. Durlaci. 1670. 4.
4 De Vrbe Roma in Tom. III. Thes. Graevii p. 791.
5 Numa Pompilius observationibus varii generis illustratus. Lips. 1719. 4.
6 de jurejurando veterum. Cap. I. de Fide. Tolosae 1614. 4., et in T. V. Thes. Graevii p. 803.
7 Francof. ad Viadrum 1752. 8.
8 Aeneid. lib. VII. v. 607.
9 pag. 677, 861, et 1172.

plis huic Numini selecto, ac populari dicatis certior fias, consule Pompejum Sarnellium [1], Joh. Henr. Koeberum [2], Hier. Dicelium [3], Mart. Hublerum [4], Brandan. Henr. Gebhardum [5], Claud. Gros. de Boze [6], ac praesertim Jos. Castalionem [7], et Philippum Venutum [8]. Alia duo *Numae Sacraria* indigitat Onuphr. Panvinius, quorum unum in regione IX. [9], alterum in XI. [10], exstitisse docet.

§. XIII.

De Sacrario in Palatino, Vestae fortasse dicato.

Sed, ut recentiora memoremus, Dio [11] in regione X. ab Augusto *Apollinis* Templo *Sacrarium* adjunctum fuisse narrat hujusmodi verbis: *perfecit et Templum Apollinis in Palatio, et SACRARIVM, quod est penes illud, fecitque Bibliothecam, consecravitque*. Vtrum vero heic Dio *Sacraria Vestae* innuerit a Martiale [12] memorata, quae *Custodiam Sacrorum* Livius appellat, *ubi*, ut ait Dionysius, *sacer ignis custodiebatur*, incertus haesit Nardinius [13].

1 D' anda è detta S. Maria di Giano. nel suo luma a' principianti nelle materie ecclesiasticha. Napoli 1723. 4. p. 109.
2 Diss. V. de Jano. Genae 1668. 8.
3 De Jano Programma. Lipsiae 1701. 4.
4 De Jano, hujusque Templa Romae olim, et alibi Terrarum famosissimo. Altorfii 1702. 4.
5 Diss. de Jano. Gryphiswald. 1703. 4.
6 Dissertation sur le Janus des Anciens. Paris 1705. 8. et latine in Christiani Woltereck electis rei numar. pag. 1. Hamburgi 1709. 4.
7 De Templo Pacis, atque ex occasione de Jani Gemini Templo, Belliquae Portis. in T. IV. Thes. Graevii p. 1843.
8 Dissert. sopra il Tampio di Giano. in T. IV. Dissert. Acad. Corton. p. 93.
9 in descript. Vrb. Roman. in T. III. Thes. Graevii p. 367.
10 ibid. p. 373.
11 lib. LXIII.
12 vid. pag. 72.
13 pag. 1086.

§. XIV.

De Sacrario Augusti, aliorumque Numinum.

Sacrarium denique in ejusdem *Augusti* honorem regione x. [1] excitatum fuisse docet Suetonius, qui ait [2]. *Natus est Regione Palatii ad capita Bubula, ubi nunc SACRARIVM habetur, aliquanto postquam excessit, constitutum*. Idemque narrat hac de caussa erectum fuisse [3]. *Quum C. Lectorius adolescens patritii generis in deprecanda graviore adulterii poena, praeter aetatem, atque natales, hoc quoque Patribus Conscriptis allegavit, se esse possessorem, ac veluti aedituum soli, quod primus D. Augustus nascens attigisset, peteretque donari, quasi proprio suo, ac peculiari Deo, decretum est, ut ea pars domus consecraretur*. Hoc idem *Sacrarium Augusto* a Senatu decretum, et a Livia, et Tiberio erectum fuisse narrat Dio, cujus haec sunt verba [4]; *eique Romae HEROVM, sive SACRARIVM decretum quidem a Senatu, aedificatum vero a Livia, et Tiberio factum est*. De eo loquitur Tacitus, ubi ait [5]: *Ceterum sepultura Augusti perfecta, Templum, et caelestes religiones decernuntur*, atque alibi, *SACRARIA Gentis Juliae, effigiesque Divo Augusto apud Bovillas dicata* [6], quam Livia Julia, quondam ejus uxor, ac postea Sacerdos impense colebat. In hoc *Sacrario* [7] quotannis, ejusdem Taciti testi-

1 Nardini p. 1037, et 1055.
2 In Aug. vita c. v, et in Tiberii vita cap. LI. num. II.
3 in c. v. Vitae Aug.
4 lib. LVI. hist. Rom.
5 Annal. lib. I.
6 Jos. Rocch. Vulpius in lib. de Antiat. et in T. vII. Veteris Latii pag. 130.
7 Annal. lib. xI. cap. XLI. J. Caesar Vichard, Abbé de Saint Real. Considerations sur Livie, et caractere de Julie. dans ses oeuvres. Tom. II. pag. 774. Haye 1722. 8. Joh. Dav. Koelerus in diss. de Livia Augusta. Altorfii 1715. 4.

monio [1], ludicrum Circense, et supplicationes Divis Julio, et Augusto Caesaribus fiebant, Senatu sacris adstante, ac sollemni pompae, qua majorum *Juliae*, et *Octaviae* gentis, quae postea *Julia*, et ipsa dicta est, imagines thensis, sive sacris soliis, aut curribus gestabantur, eorumque laudes praecinebantur.

Hujusmodi honorem alii quoque Imperatores, quibus defunctis Templa statuta esse observat Cl. Oliverius [2], cònsequuti sunt cum ludis in *Sacrarii* dedicatione, ut docte adnotat Dodwellus [3], ubi agit de Sodalibus, Flamine, et Saliis ad cultum Principum *ἀποθεωθέντων* constitutis. Quocirca eorumdem *Sacrariorum* cura ab ipsis Imperatoribus ultro libenterque suscipiebatur; ut ex hac inscriptione colligimus. [4]

IMP. CAESAR . DIVI . NERVAE . F.
NERVA . TRAIANVS . OPTIMVS . AVG.
GERMANICVS . DACICVS . PONTIF. MAX.
TRIBVNIC. POTEST . XVIII IMP. VII.
COS. VI. SACRARIA . NVMINVM
VETVSTATE . DILAPSA . A . SOLO
RESTITVIT

1 lib. II. Historiarum.
2 ad Marmora Pisaurensia notis illustr. Pisauri 1738. fol. p. 20.
3 in praelection. Cambdenian. p. 160.
4 Gutherus in T. v. Thes. Graevii, et Pitiscus T. II. p. 664.

Digitized by Google

§. XV.

Thensae, et Tabularia in Sacrariis Jovis, Minervae, et Augusti collocata.

Thensae [1], ut tradidit Sinnius Capito apud Festum, in *Sacrariis* cum reliqua supellectile servabantur. Hujusmodi vehiculis, sive sacris vectabulis eboreis, aut argenteis impositae *exuviae*, aut imagines Deorum, *ludicris Circensibus vehebantur in Circum ad pulvinar*, et e pulvinari [2], ludis absolutis, ad *Sacrarium* denuo reducebantur.

Hujusce usus testem habemus Suetonium, qui narrat in Vespasiani vita [3], *Neronem monitum per quietem, ut THENSAM JOVIS E SACRARIO in domum Vespasiani, et inde in Circum deduceret*. Id etiam tradidit Xiphilinus perhibens; *quia etiam ipse Nero visus aliquando in somnis currum Jovis in Vespasiani aedes invehere*. Porro *Thensae* in Vespasiani domum deductio, Imperii translationem a Nerone ad Vespasianum designabat; quasi deinceps Vespasianus, Neronis loco, illam deducturus esset [4]. *Jovis* enim *Thensam* deducere, Imperatoris erat. Vsum vero *Thensis* Deorum simulacra circumgestandi, Dio Cassius

1 Panvinius de ludis Circensibus lib. II. cap. II. Schefferus lib. II. c. XXIV. de re vehiculari, et in T. v. Thes. Poleni pag. 1459. Cuperus in Harpocrate. in Tom. II. Thes. Poleni p. 405. Bandurius in T. I. Numismatum p. 32. Felix Osius de Thensis. in Tom. III. Thes. Graevii Antiquit. Ital.

2 Montfaucon. de pulvinaribus Deorum. T. II. Supplem. Antiquit. lib. v. c. I. pag. 98. Jo. Dav. Ellrod in Exercitatio. Acad. de pulvinaribus sacris veterum Romanorum. Altorfii 1726. 4. Christ. Erdm. Schumann. Commentatio de lectisterniis Romanorum in S. Codice frustra quaesitis. Lips. 1739. 4.

3 Cap. XLIII.

4 Imperat. T. Fl. Vespasianus Aug. ex C. Suetonii Tran. lib. VIII. cum interpretatione, et emendat. Theod. Marrilii. Paris 1603. 8. Matth. Berneggeri Speculum boni Principis, seu vita Imperatoris Titi Flavii Vespasiani, scriptore C. Suetonio Tranquillo, animadversionibus, et notis illustrata. Argentorati 1625. 4.

etiam diserte confirmat, ubi ait [1], *THENSA MINERVAE, ex Circo in Capitolium quum esset reducenda, confracta est.*

Ac quandoquidem *Minervae* incidit mentio, mihi quidem fit admodum verisimile, in allato Dionysii loco illud idem *Sacrarium* indigitari, quod a Suetonio in vita Domitiani hoc modo memoratur [2]; *MINERVAM, quam superstitiose colebat, somniavit excedere SACRARIO, negantem ultra se tueri eum posse, quod exarmata esset a Jove.* Addit vero Xiphilinus [3], Domitiano visum fuisse, *MINERVAM videre ex curru, qui nigris equis trahebatur, in magnum hiatum descendentem.* In nona regione, ubi Circus Flaminius, Aur. Victor *Minervae Chalcidicae* Templum statuit, quod ab Augusto erectum fuisse Dio Cassius [4] declarat. Hoc vetustate dilapsum a Domitiano instauratum fuisse videtur ex Eusebii verbis [5], *multa opera Romae facta, in quibus MINERVA CHALCIDICA.* Verum suboriri potest dubitatio, num potius *Minervae* imago a Domitiano in somnis visa, fuerit illa, quae Albae colebatur, ubi Suetonius [6], et Xiphilinus [7] narrant, Domitianum, qui *Minervae* filius haberi voluit, (unde celebris in eum Apollonii lusus apud Philostratum [8]) in *Minervae* honorem *quinquatria* instituisse.

Praeterea animadvertendum est, *Tablina*, seu *Tabularia* plerumque in sacris aedibus fuisse collocata. Id enim testatur Servius ad Vergilii versum [9]:

1 lib. XLVIII. p. 351. V. Petr. Taffin. de anno seculari, et ludis secularibus. Tornaci Nerviorum 1641. 4, et in T. VIII. Graevii pag. 552.
2 cap. XV.
3 lib. LXVII. pag. 767.
4 lib. II. pag. 459.
5 in chronico ad ann. 2105.
6 cap. IV. p. 277.
7 lib. p. LXVII. p. 759.
8 lib. VII. cap. XI.
9 lib. II. Georg. v. 502.

Insanumque forum, et populi tabularia vidit;

ac diserte Plutarchus inquit [1]; *Aedem Saturni, et pecuniae publicae SACRARIVM, et aerarium esse, et in eo tabulas publicas conservari, et TABVLARIVM appellari*. Id etiam de aedibus *Nympharum*, *Cereris*, ac praecipue *Vestae*, ubi et Principum, et Magistratuum, et Privatorum tabulae adservabantur, pluribus ostendit Albertinus Barisonus [2].

Verum hujusmodi usus nullibi luculentius apparet, quam ex Suetonio, qui de eodem *Augusti Sacrario*, ubi *Livia* ejus uxor, ac deinde Sacerdos κειμήλια ab amantissimo conjuge sibi relicta, ejusque imaginem studiose servabat, haec tradidit in vita Tiberii [3]. *Ad simultatem usque processit, hac, ut ferunt, de caussa. Instanti saepius, ut civitate donatum in decurias allegeret, negavit, alia se conditione allecturum, quam si pateretur, adscribi albo, extortum id sibi a matre. At illa commota, veteres quosdam ad se Augusti Codicillos de acerbitate, et intollerantia morum ejus e SACRARIO protulit, atque recitavit. Hos et custoditos tamdiu, et exprobratos tam infeste, adeo graviter tulit, ut quidam putent, inter caussas secessus, hanc vel praecipuam fuisse.*

§. XVI.

De XXVII. Sacrariis Argeorum.

Etsi varia, quae *Romae* praesertim exstabant, *Sacraria* hactenus recensuimus, pauca tamen haec nonnemini fortasse in tanta Vrbis amplitudine videri possent. Quid vero illud, quod a Varrone accepimus, alia nimi-

1 Probl. XLI. pag. 1088.
2 de Archivis in T. 1. Thes. Poleni
3 cap. LI.

rum xxvII. *Sacraria* heic exstitisse? Is igitur, postquam tradidit, Servium Tullium, sextum Romanorum Regem Romam septicollem in quattuor regiones divisisse, Suburanam nempe, Exquilinam, Collinam, et Palatinam, ita pergit [1]. *Reliqua Vrbis loca olim discreta, ut ARGEORVM SACRARIA, in septem, et viginti partes Vrbis sunt disposita*. Heic autem ne putes, triginta illa hominum simulacra, et oscilla e scirpeis virgultis facta, *stramineos Quirites* [2], et *Argeos* dicta, fortasse indicari, quae quotannis, idibus Maii, a Ponte Sublicio a Sacerdotibus, ut ait Varro [3], vel, ut scribunt Festus [4], Plutarchus [5], et Ovidius [6], a Virginibus Vestalibus publice jaciebantur in Tiberim, ex Herculis instituto [7], qui hoc pro vivis hominibus, antehac in flumen dejici solitis, faciendum curavit; quemadmodum fuse declarat Antonius Clarus Sylvius, qui de toto hoc ritu elegantissimam dissertationem lucubravit, in libro singulari ad *leges regias*. Ipse enim Varro, hujusmodi *Sacraria*, ideo *Argeorum* appellata fuisse docet, quod in iis sepulti essent quidam Argivorum illustres viri, *qui cum Hercule Argivo Romam venerant, et in Saturnia subsederant*.

Atque hujusmodi locorum exemplum, quae non mo-

1 de l. l. lib. Iv. c. vII.
2 Fast. v. ver. 621.
3 lib. vI. c. III. de L. L.
4 in sexagenariis
5 in quaest. Romanis xxxII, et in T. v. Thes. Graevii p. 1004.
6 Ovid. lib. v. Fastor.
7 Dionys. Halicarn. Ant. Rom. c. I. p. 30. Gellius Noct. Attic. l. x. c. 15. Macrob. lib. I. Saturn. cap. vII. Lactant. lib. I. Instit. Turneb. Adv. xx. 35. Nonn. misc. ver. 10. Panvin. in descript. Vrb. Rom. in T. III. Thes. Graevii p. 339. Nardin. Rom. antiq. vIII. pag. 1357. Siccam. in Fast. Kal. Rom. c. xI. in T. vIII. Thes. Graevii. p. 70. Hadr. Junius in Fastor. libro. ibid. p. 240. Scalig. in Festum. Figrell. de Statuis Rom. I. Alex. genial. dier. lib. vIII. c. Iv. Beroald. adnot. c. 65. Faunus in ant. Romae v. 2. Blond. Triumph. Rom. I. pag. 10. And. Cirin. de Vrbe Roma Cap. LI, et in Thes. Sallengre pag. 577. Ant. Augustinus de legibus. in T. II. Thes. Graevii p. 225.

do erant *Sacraria*, sed etiam *Argeorum Conditoria*, aliqua saltem ex parte, favere potest Sirmondi conjecturae, qui in celebri inscriptione *Heriae Thisbes*, quam egregie illustravit Gutberlethus [1], pro *terrenum Sacrum*, *terrenum Sacrarium* legendum esse censuit, *hypogeum* scilicet, vel *subterraneam cameram*, qualem habuit matrona illa Ephesina a Petronio memorata [2], ubi mariti cadaver positum erat, *quod custodire, ac flere coepit*.

Haec eadem loca a Numa Pompilio jampridem consecrata fuisse auctor est Ennius, ubi cecinit [3].

Menses constituit, idemque ancilia . . . . .

Libaque, Fictores, ARGEOS, et tutulatos.

Eadem narrat Livius, inquiens [4], *multa alia Sacrificia, locaque Sacris faciendis, quae ARGEOS Pontifices vocant, dedicavit*, ubi Romanos XVI, et XVII. Kal. Aprilis sacra facere consuevisse canit Ovidius [5].

Itur ad Argeos, qui sint, sua pagina dicet,

Hac, sicut memini, praeteritaque die,

nimirum die liberalium, de qua agit. Nam Rex pietate insignis, quum in Capitolio, praeter *Asylum*, *Arcem*, in qua ab Auguribus auguria captabantur, et in Aventino *Jovis Elicii Aram* posuisset, cujus relligionem, *Pici Faunique specu* [6], mirum in modum ampliaverat, ac demum extra Portam Capenam, *Antrum Aegeriae*, et *Camenis* consecrasset, *Fideique Sacrarium* [7], instituisset; per cetera dein Vrbis loca, in XXVII. partes distinctae, totidem *Argeorum* spar-

1 Conjectanea in monumentum Heriae Thisbes Monodiariae, et Claudii Glaphyri Coraulae. Franequerae 1704. 8. int. ejusd. Opuscula p. 143, et in T. IV. Thes. Poleni p. 350, et 356.

2 in Satyr. cap. XI.

3 p. 21. edit. Columnae. Varro. l. VI. de L. L. p. 73. et Festus in Tutulum.

4 lib. I. cap. XXI.

5 lib. III. Fast.

6 V. pag. 69.

7 V. pag. 74.

sit *Sacraria*, ut unaquaeque earum, suum, ac proprium haberet, totaque Vrbs quodammodo *Sacrarium* esset. Quaecumque vero ad haec *Sacraria* spectarent, in libro quodam collecta fuisse constat ex Varrone. Nam [1], ubi vertices Oppii recenset, testem adducit librum *de Sacrariis Argeorum*, ubi habebatur; *Oppius mons princeps lucum Exquilinum, lucum fagutalem sinistra, quae sub moerum est. Oppius mons bicepsos simplex. Oppius mons terticepsos lucum Exquilinum dexterior via in Tabernola est. Oppius mons quarticepsos lucum Exquilinum dexterior via in figlinis est.* Praeterea *Argeorum* meminere Plutarchus [2], Gellius [3], aliique; et in lege Flaminia [4] cautum erat,

QVVM . EAT . AD . ARGEOS
NEQVE . CAPVT . COMITO
NEQVE . CAPILLVM . DEPECTITO

1 lib. IV. de l. l. c. VIII. Donat. de Vrbe Roma lib. III. cap. IX. Nardini Roma antica p. 405. Borrich. Ant. urb. fac. cap. VII. num. I.

2 quaest. Rom. XXXII.

3 lib. X. cap. XV.

4 Antonius Augustinus de legibus in Flaminia. Manutius de legibus cap. III. Hormann. Antiquit. Rom. I. pag. 208. Pigh. Annal. Rom. I. cap. XI. p. 101. Rosini Antiquitates Romanae cap. VIII. pag. 10.

CAPVT III.

De Sacrariis publicis extra Vrbem exstructis.

Age vero, perlustratis Vrbis aeternae *Sacrariis*, *Roma* egrediamur, ac externa, et peregrina adeamus.

§. I.

Sacrarium Dianae Nemorensis.

Ac primo pedem conferre libeat ad agrum *Nemorensem* a Manio [1] *Dianae* consecratum, quae, ut cecinit Gratius Faliscus [2], colebatur *medio in discrimine luci*, quô ejus simulacrum in thensa sua locatum, statis diebus, sollemni pompa devehebatur. Haec ipsa nemora ab eodem Gratio *Sacraria* sunt appellata hujusmodi versibus [3]:

Spadices vix Pellaei valuere Cerauni,
Et tibi devotae magnum pecuaria Cyrrhae,
Phoebe decus, nostras agere in SACRARIA thensas.

Sic enim *nemus* indicavit juxta Ariciam cum lacu [4], sacrum *Dianae Opiferae* [5], quae ideo *Nemoralis* [6], et *Nemorensis* [7], est appellata, et ipse locus veluti, per antonomasiam, *Nemus Dianae* dictus est. Hunc ita describit Ovidius [8].

Vallis Aricinae sylva praecinctus opaca
Est lucus, antiqua relligione sacer.
Heic latet Hippolytus loris direptus equorum,
Vnde nemus nullis illud aditur equis.

1 Festus in Manius.
2 in Cynegetico v. 534.
3 ibidem v. 532.
4 Gio: Girolamo Lapi Lezione Acad. da' due laghi Albanese, e Nemorese.
5 Gruter. p. XLI. n. 8.
6 apud Martialem lib. xxiiI. ep. xix.
7 Grut. p. XLI n. 7, et ap. Pitisc. V. Not. Andreae Rivini ad Pervigil. Veneris p. 85.
8 apud Livium lib. xxxv. cap. viI, et Vitruvium lib. iv. cap. viI, et Merul. ad Enricum p. 390.

Digitized by Google

Idem Ovidius hunc lacum [1], *Speculum Dianae* a Servio [2] nuncupatum, *Scythicae stagnum nemorale Dianae* appellat, atque alibi [3].

Ecce suburbanae Templum nemorale Dianae,

quod etiam dixit *antrum nemorale* [4].
Sic Lucanus cecinit [5],

Qua sublime Nemus, Scythicae qua regna Dianae,

ac rursus

Parva Mycenaeae quantum sacrata Dianae
Distat ab excelsa nemoralis Aricia Roma.

Itidem Statius vocat Phoeben *nemoralem* [6], ac [7] *nemus glaciale Dianae*, et loquens de Hercule Surrentino ait [8],

..... *profugis cum regibus altum*
Fumat Aricinum Triviae Nemus.

Puellae quotannis, Idibus Sextilis, quum Sacrum *Nemoralis Dianae* instabat, ab Aricia, facibus accensis, ad Nemus Deae, quod *Dianium* [9], sive *Artemisium* [10] dicebatur, sollemni pompa procedebant, de qua sic loquitur Ovidius [11].

Saepe potens votis frontem redimita corollis
Femina lucentes portat ab Vrbe faces.

Ea quidem pompa, etsi Virginum, et puellarum propria esset, alias tamen mulieres per licentiam quandoque recipiebat, ut Propertius narrat de Cynthia, quae murmur turbae sibi provocabat [12]:

1 Fastor. lib. III. de Saliis.
2 ad Aenead. lib. VII. v. 516.
3 lib. I. de arte amandi, et lib. III. eleg. XXII.
4 lib. III. Met. v. 157.
5 lib. III.
6 lib. I. Sylva III. v. 76.
7 Syl. IV. ad Marcellum v. 15.
8 lib. III. Sylva I. v. 55.
9 Cato in L. II. Orig. ex Prisc. l. XIV. apud Holsten. in not. ad Cluver. p. 189.
10 Strabo lib. V.
11 Fast. lib. II. v. 269.
12 lib. II. Eleg. XXXII.

Quum videt accensis devotam currere toedis
In nemus, et Triviae lumina ferre Deae.

Quae faculae inter spicatos fasciculos mediae lucebant, ut e Gratio discimus [1].

Spicatasque faces sacrum ad nemora alta Dianae
Sistimus.

Moremque hunc ex fasce illo deductum Argolus [2], et Rocchus Vulpius [3] arbitrantur, in quo simulacrum *Dianae*, a spicata face, quacum pingitur, *Fascelis*, *Fascelitis*, *Facelitis*, aut *Facelinae* [4] nuncupatae, involutum Orestes in Aricinum nemus invexit, ut perhibet Hyginus in Hippolyto. In his quippe hoc maxime constabat lustrale sacrum, cujus vetus Kalendarium Idibus Augusti ita meminit [5].

SACRVM . SPEI . SALVTI . DEANAE . VOLCANO

§. II.

Sacrarium Penatium Albanorum, et Laviniensium.

Nunc, quoniam satis *Dianae nemora* peragravimus, parumper *Albae* consistamus, ut quod de *Penatibus* e Troja, primo *Lavinium* advectis, eoque semel, atque iterum ex *Alba* relatis, memoriae tradidit Valerius Maximus, audiamus. *Referam nunc*, inquit [6], *quod suo seculo cognitum manavit ad posteros, PENATES Deos Aeneam Troja advectos Lavinii collocasse; inde ab Ascanio filio ejus ALBAM, quam ipse*

1 in Cynegetico v. 484.
2 apud Thomasinum de Donariis c. II.
3 in Tom. VII. vet. Latii de Dianae Aricinae Templo, Nemore, Sacrificiis, et Fabulis p. 190.
4 Lucilius lib. III. Satyr., et lib. XIV.
5 apud Vlitium in notis ad Gratium pag. 296.
6 lib. I. cap. VIII. num. VII. Dionys. lib. I. Sponius T. I. itiner. p. 163.

condiderat, translatos, pristinum SACRARIVM repetisse, et quia id humana manu factum existimari poterat, relatos ALBAM, voluntatem suam altero transitu significasse. Idque ajunt, continenti nocte accidisse, nullo ferente, clausis ostiis inventis, integris parietibus, tectoque nulla ex parte violato. Quo miraculo permotus Ascanius sexcentos curatores Lavinium misit, qui sacra custodirent, praefectumque his Antistitem, Egestum nomine, designavit. Iidem denique Romam translati, quum Vrbis sedem approbassent, haud amplius peregre abierunt. Quumque eos posthac Romani, tamquam Vrbis, et Imperii custodes admisissent, ne per vim, aut dolum usquam auferri possent, eos in subterraneo, ut Dardanus fecerat, specu, templo ibidem dedicato, posuerunt [1].

§. III.

Sacrarium Penatium Praenestinorum.

Jam vero libeat ad *sacrum Praeneste* [2] secedere, ut alterum *Sacrarium* ibidem *Penatibus* dicatum adeamus, cujus meminit vetus Inscriptio apud Josephum Mariam Suaresium [3], Josephum Rocchum Vulpium [4], et Leonardum Cecconium [5].

1 Pier. Hierogl. lib. XLII. cap. xxix. Girald. in Synt. Deor. lib. xv. p. 438. Voss. de Idolol. lib. 1. c. xxI. Ortel. Deor. et Dear. cap. xI. Delr. in Sen. Thyest. n. 264. Donat. de Vrb. Rom. lib. III. c. III. Landus in Vet. Num. Rom. explic. in Misc. Ital. erud. T. 1. pag. 339. Struvius in Antiquitatum Romanarum Syntagmate c. 1. p. 174.

2 Stat. lib. v. Sylv. vI. v. 15.

3 in Praeneste antiqua. Romae 1655. 4. et in Tom. vIII. Thesauri Italiae Petri Burmanni cap. xx. de Signis, Sacrariis, et aliis locis publicis. num. 161. p. 68.

4 in Veteris Latii Profani Tom. IX. pag. 173.

5 Storia di Palestrina. Ascoli 1756. 4. pag. 40.

PENATIBVS SACRARIVM
.... ANVS PONT. MIN. PATRON
T. REIQ. PVBLICAE DO....

Quae quidem mendum cubare produnt in eodem fragmento, quod ex Vrsini schedis protulit Gruterus, qui tamen unum, aut alterum verbum adjecit [1].

..:.. VENALIBVS . SACRARIV
.... ANVS . PONTIF. MIN. PATRON
.... CRETOVE . PVBLICAE PO....
DECVRIONES . POPVLVSQ.
....

De *Penatium* cultu apud veteres, confer Danielem Gerdesium [2], R. Ainsworth [3], et I. A. Ernestum [4], praeter Scriptores a Pitisco laudatos.

§. IIII.

Sacraria Cereris Antiatinae, Catinensis, Atheniensis, Phalerensis, et Crotoniensis.

Post secessum hunc Praenestinum, ad *Antium* progrediamur, ut ibidem *Sacrarium Cereris* inspiciamus, quod exhibet vetus inscriptio apud Maffeium [5]:

1 p. cxxix. n. 8.
2 Diss. de Vocum Laris, et Penatium etymologia, eorumque cum privatorum, tum publicorum origine. Dans l' Hist. critique de la Republique des Lettres. T. xv. p. 84.
3 Dissert. de Penatibus, et Laribus. in ejusd. monum. Kempianis P. 1. pag. 46. Lond. 1720. 8.
4 in Clavi Ciceroniana, voce Penates.
5 in Mus. Veronens. pag. CLXXXIII. num. 2.

CLAVDIA ATTICA
ATTICI . AVG. LIB. A RATIONE
IN . SACRARIO . CERERIS . ANTIATINAE
DEOS . SVA . IMPENSA . POSVIT
SACERDOTE . IVLIA . PROCVLA
IMP. CAESAR . DOMITIAN
AVG. GERMANIC. XI. COS.

Nescio, an ibidem feminae dumtaxat, ut in altero *Cereris Sacrario*, quod supra [1] descripsimus, sacra administrarent. Id certe in *Vrbe Catinensi*, ubi *Ceres* praecipuo cultu colebatur, in usu fuisse testatur Cicero, qui singularem Verris cupiditatem, amentiam, audaciam in sacris polluendis, quae non modo manibus attingi, sed ne cogitatione quidem violari fas erat, istiusmodi verbis coarguit [2]. *SACRARIVM CERERIS est apud Catinenses, eadem relligione, qua Romae, qua in ceteris locis, qua prope in toto Orbe terrarum. In eo SACRARIO INTIMO fuit Signum CERERIS perantiquum: quod viri non modo cujusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant. Aditus enim in id SACRARIVM non est viris: sacra per mulieres, ac virgines confici solent. Hoc Signum noctu clam istius servi ex illo relligiosissimo, atque antiquissimo fano sustulerunt. Postridie Sacerdotes CERERIS, atque illius fani Antistitae,*

1 pag. 58.

2 in Act. II. lib. IV. p. 371. edit. Oliv.

majores natu, probatae, ac nobiles mulieres, rem ad magistratus suos deferunt. Omnibus acerbum, indignum, luctuosum denique videbatur. Hoc idem *Sacrarium*, quod *Fanum* etiam dixit, ut apposite Montfauconius [1] animadvertit, rursus utroque nomine promiscue indigitat, ejusque ingressum feminis dumtaxat permissum ostendit. Pergit enim. *Sacerdotes vocantur: et ex his quaeritur secreto in Curia, quid esse factum arbitrarentur, quemadmodum Signum esset ablatum. Respondent illae, praetoris in eo loco servos esse visos .... Quid postulas, Verres? quid speras? quid spectas? quem tibi aut Deorum, aut hominum auxilio putas futurum? eone tu servos ad spoliandum FANVM immittere ausus es, quò liberos adire, ne orandi quidem caussa, fas erat? hisne rebus manus afferre non dubitasti, a quibus etiam oculos cohibere, te relligionum jura cogebant? ...... Qui id potest, qui ne ex viro quidem audire potueris? Audisti igitur ex muliere: quoniam id viri neque vidisse, neque nosse poterant. Qualem porro illam feminam fuisse putatis, Judices, quam pudicam, quae cum Verre loqueretur? quam relligiosam, quae SACRARII spoliandi ostenderet rationem?*

Ceterum, etsi alicubi in *Sacrarium Cereris* etiam viri admitterentur, id tamen nonnisi initiatis, iisque, qui *sese innocentes noverant*, permissum erat, ut erudite Joh. Meursius [2], Joh. Augustus Bachius [3], Joh. Guil. Bergerus [4], et Nic. Calliachius [5] animadverterunt. Siquidem memoriae proditum est, bellum Macedonicum, post pacem Punicam, rursus exarsisse, quod ut narrat L. Flo-

1 Antiquit. expliq. T. III. p. 46.

2 Eleusinia, sive de Cereris Eleusiniae Sacro, et Festo. In T. VII. Thes. Graec. Gronovii p. 109.

3 Diss. pro mysteriis Eleusiniis. Lipsiae. 1745. 4.

4 De mysteriis Cereris, et Bacchi. in ejusdem Stromateo Acad. p. 834.

5 De Sacris Eleusinis, eorumque myst. T. IV. Thes. Poleni p. 321.

rus [1], per initiorum dies, duo juvenes Acarnanes non initiati, in *Sacrarium Cereris*, imprudentes relligionis, cum cetera turba pedem intulerunt. *Facile eos*, ut lacteae eloquentiae scriptoris verbis utar [2], *sermo prodidit, absurde quaedam percunctantes. Deductique ad Antistites Templi, quum palam essent per errorem ingressi, tamquam ob infandum scelus interfecti sunt. Id tam foede, atque hostiliter factum gens Acarnanum ad Philippum detulit: impetravitque ab eo, ut datis Macedonum auxiliis, bellum se inferre Atheniensibus pateretur .... Irritatio animorum ea prima fuit; postea justum bellum decretis Civitatis ultro indicendo factum.* Huc apprime facit insignis Julii Capitolini locus, qui M. Antonium Philosophum initia *Cereris* adiisse, atque hoc idem *Sacrarium* ingressum fuisse tradit hujusmodi verbis [3]. *Orientalibus rebus ordinatis, Athenis fuit, et inter alia CERERIS Templum adiit, ut se innocentem probaret, et SACRARIVM solus ingressus est*; ubi, ut cum Apulejo [4] loquar, *quae silentio tegit Eleusis Atticae Sacrarium*, inspicere potuit, ac venerari. Id etiam sibi sorte datum fuisse narrat idem Apulejus, inquiens [5]; *semotis procul profanis omnibus, linteo, et rudi me contectum amicimine, arrepta manu, Sacerdos deducit ad ipsius SACRARII penetralia.*

De altero *Cereris Sacrario* apud Phalerenses ita meminit Pausanias [6]. *Est et alius Atheniensibus, alius quidem in Munychia Portus, et Templum Munychiae Dianae. Qui vero in Phalero, de quo prius mihi dictum, illic est CE-*

1 lib. xxxI.
2 Livius in Decad. iv. c. xvI.
3 in ejus vita pag. 213.
4 lib. vI. Metam. p. 175.
5 lib. xI. p. 750.
6 in Atticis, et in Phocicis. V. Joh. Meursium de Populis Atticae. Lugd. Batav. 1616. 4, et in Tom. iv. Thes. Gronoviani pag. 805. cum supplementis Auctoris, et Jac. Sponii.

RERIS SACRARIVM . Verum statui nequit, utrum heic etiam feminae tantum sacris operarentur.

Denique vel apud Crotoniates exstitit insigne ***Cereris Sacrarium***, cujus originem declarat Valerius Maximus hujusmodi verbis [1]. *Pythagorae tanta veneratio ab auditoribus tributa est, ut quae ab eo acceperant, in disputationem deducere, nefas existimarent. Quin etiam interpellati ad reddendam caussam, hoc solum respondebant, ipsum dixisse. Magnus honos, sed schola tenus. Illa Vrbium suffragiis tributa est. Enixo Crotoniatae studio ab eo petierunt, ut Senatum ipsorum, qui mile hominum numero constabat, consiliis suis uti pateretur. Opulentissimaque Civitas tam frequenter venerati post mortem domum, CERERIS SACRARIVM fecit; quantumque illa Vrbs viguit, et Dea in hominis memoria, et homo in Deae relligione cultus est.*

§. V.

Sacraria Veneris Paphiae, et Gnidiae.

Sed reliqua pergamus. Adeundum est etiam ***Sacrarium Veneris Paphiae***, seu *Caelestis* [2], quam sic alloquitur Apulejus [3]. *CAELESTIS VENVS, quae primis rerum exordiis, sexuum diversitatem generato amore sociasti, et aeterna sobole humano genere propagato, nunc circumfluo PAPHI SACRARIO coleris*. Simulacrum Deae non effigie humana, sed tenuem in ambitum, metae instar, exurgens, ibidem cultum describunt Maximus Tyrius [4], et Tacitus [5]; idem-

1 lib. VIII. c. XV. Magnifica Externa n. I. Aristoph. Interpr. in Nub. Laertius In vita Justin. lib. XX. Quint. lib. XI. Aelian. lib. IV. c. XVII.

2 Pausanias in Atticis.

3 lib. XI. pag. 196.

4 Serm. XXXVIII.

5 lib. II. historiae. c. III.

que sub metae forma exhibent numi veteres apud Augustinum [1], Vaillantium [2], Cartharium [3], Patinum [4], Tristanum [5], et Spanhemium [6].

Eadem Dea in *Gnido*, Vrbe Doridis in Caria, *Doris*, *Acraea*, et *Euplaea* fuit nuncupata, ac variis hisce nominibus culta, de quibus Pausanias. Verum nomen omnium celeberrimum fuit illud *Veneris Gnidiae* a nuda ejus statua, quam sculpsit Praxiteles [7], ad imaginem Cratinae meretricis, aut Phrines, ut ex Plinio [8], Mus. Philosophus [9], Joh. Laurembergius [10], aliique volunt, forma tam eleganti, ac venusta, ut a Macareo Perinthio nobili adolescente, testibus Athenaeo, Luciano, Philostrato, et Valerio Maximo, perdite amata, ac concubitu polluta fuerit. Ejus amore, sed liberali, cultoque viro dignissimo, correptus etiam fuit Nicomedes Bithyniae Rex [11], qui sese Gnidios omni aere alieno, quo maxime obstricti erant, liberaturum spopondit, dummodo unum hoc Veneris simulacrum sibi concessissent; quod tamen ab iis nunquam exorare potuit. In ejusdem Deae honorem Fedimus quidam *Sacrarium* excitavit, ut prodit vetus inscriptio apud Fabrettum [12], et Maittairium [13].

1 in Dialogo V.
2 Numism. Imperat. T. II. p. 98.
3 Imagini de' Dei pag. 256.
4 Imper. Rom. Numism. ex aere med. et inf. for. pag. 80.
5 Comment. Hist. T. I. p. 419.
6 De usu et praestantia Numism. T. I. Diss. VIII. p. 505.
7 Ausonii Epigramma LXVII. de imag. Veneris sculpta a Praxitele.
8 lib. XXVI. cap. V. §. IV.
9 de luxu Graecorum in Tom. VIII. Thesaur. Gronov. p. 2521.
10 in Graecia antiqua in T. IV. Thes. Gronov. pag. 54.
11 Plin. lib. VII. XXXVIII. §. XXXIX, et lib. XXXVI. cap. IV. §. V. Francois Sevin. Recherches sur le Rois de Bithynie. dans le T. XVIII. de l'Acad. des Inscr. p. 489.
12 cap. VI. n. 4. pag. 497.
13 Marmorum Arundelianorum, Seldenorum, aliorumque Acad. Oxoniensis cum variis Commentariis, et Indice. II. Editio Lond. 1732. fol. p. XLIII.

Digitized by Google

FEDIMVS CONDIT
OR SACRARI VENERIS
CNIDIAES CVM PO
RTICVM ET COCINA
TORIVM COSTITVI
ITENQE DONAVI

Hujus illustrationem dabunt marmora Oxoniensia, quibus adde Reinesium [1], Jacobum Sponium [2], Carolum Patinum [3], Teophilum Sigefr. Bayerum [4], et Michaël. Fourmontium [5].

§. vI.

Sacraria Apollinis Trozenii, et Pythii.

Jam vero geminum *Apollinis Sacrarium* inspiciamus. Alterum apud Trozenios exstabat in Peloponneso, cujus meminit graeca inscriptio, quam huc affero.

1 De Venere Erycina, et Gnidia p. 127. et Caelesti p. 242.

2 in Miscellan. eruditae antiquitatis. Lugduni 1685. fol., et in T. IV. Thes. Poleni pag. 835.

3 in Commentario in antiquum monum. Marcellinae e Graecia nuper allatum. Patavii 1688. 4, et in T. II. Thesauri Poleni p. 1100, et 1117.

4 Dissert. de Venere Gnidia in Crypta conchyliata horti Imperatorii, et in duob. nomis cnidiis. in Tom. IV. Commentar. Academiae Petropolitanae pag. 259. Petropoli 1735. 4.

5 Diss. sur les Venus des anciens, dans la quelle on fait voir, qu' il n'y en a jamais eu, qo' une. Dans les memoir. de l'Acad. des inscriptions T. X. p. 20.

. . . .
ΤΗΝΟΔΟΤΟΝ ΒΑΥΚΙΔΕΩΣ ΕΠΕΙΔΗ ΤΡΟΖΗΝΙΟΙ ΓΕ
ΓΡΑΦΑΣΙΝ ΕΝ ΤΩΙ ΥΗΦΙΣΜΑΤΙ ΤΩΙ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΟ
ΛΙΝ ΟΤΙ ΑΝΗΡ ΑΓΑΘΟΣ ΓΕΓΟΝΕ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ
ΤΟΝ ΤΡΟΖΗΝΙΩΝ ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΚΑΙΡΟΝ ΑΦΙΚΟΜΕΝΟΣ
ΕΒΟΗΘΗΣΕ ΚΑΙ ΣΥΝΗΓΩΝΙΣΑΤΟ ΑΥΤΟΙΣ ΕΙΣ ΤΗΝ
ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΞΑΓΩΓΗΝ
ΤΗΣ ΦΡΟΥΡΑΣ ΑΞΙΩΣ ΤΗΣ ΤΕ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΙΚΕΙΟΤΗΤΟΣ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣ ΥΠΑΡΧΟΥΣΗΣ
ΤΗΙ ΠΟΛΕΙ ΠΡΟΣ ΤΡΟΖΗΝΙΟΥΣ ΚΑΛΕΣΑΙ ΔΕ ΑΥΤ - - -
ΚΑΙ ΕΙΣ ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ ΕΠΙ ΛΕΙΠΝΟΝ
ΕΔΟΞΕ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΙΑΤΡΟΚΛΗΣ ΠΥΘΙΩΝΟΣ ΕΙ
ΤΑ ΜΕΝ ΑΛΛΑ ΚΑΘΟΤΙ Η ΒΟΥΛΗ ΕΥΗΦΙΣΑΤΟ ΤΟΔΕ
ΥΗΦΙΣΜΑ ΤΟ ΠΕΡΙ ΤΡΟΖΗΝΙΩΝ Ο ΠΡΟΕΒΟΥΛΕΥ - - - - -
Η ΒΟΥΛΗ ΑΝΑΓΡΑΥΑΙ ΕΝ ΣΤΗΛΗΙ ΛΙΘΙΝΗΙ ΚΑΙ Σ - - -
ΣΑΙ ΕΝ ΤΩΙ ΙΕΡΩΙ ΤΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΕΠΙΜΕΛΗ - - - -
ΔΕ ΤΗΣ ΑΝΑΓΡΑΦΗΣ ΤΟΥΣ ΕΞΕΤΑΣΤΑΣ Τ - - - -
- - - - ΩΜΑ ΤΟ ΕΙΣ ΤΗΝ ΣΤΗΛΗΝ ΔΟΥΝΑΙ ΤΟ - - - -

Muratorius [1], qui eam edidit e Museo Kempiano Cl. Thomassini de Mazaugues Praes. Aquisext., ita interpretatus est:

Tenodotum (fortasse *Zenodotum*) *Baucidis Filium*, *postquam Trozenii*
scripsere in Decreto ad Civitatem,
quod bonum virum se praestitit
erga Populum Trozeniorum, *et*
opportuno tempore profectus, *auxilio eis fuit*,
et una cum eis proeliatus est pro li-
bertate Patriae, *et pro educendo*
Praesidio, *prout conveniebat Patriae* , *et*
necessitudini et benevolentiae , *quam gerit*
erga Urbem Trozeniorum ; *vocavisse vero* - - - -

1 in T. II. Thes. Inscript. MLXXXIX. n. 4.

et in Prytaneum ad coenam
Placuit Populo. Hiatrocles Pythionis filius.
Et post alia. Qua ratione Senatus statuit, hoc
Decretum de Trozeniis, quod praevia consultatione
confecit Senatus, scribendum in marmorea columna, et
in SACRARIO APOLLINIS adservari, et hoc
exemplum Censores in Columnam referre -----

Alterum exstabat apud Phoceam Pythiam prope Delphos, ut fidem facit hujusmodi inscriptio.

ΕΝ ΤΗ ωΝΗ ΠΡΟΓΕΓΑΜΜΕΝΟΙϹ ΠΑϹΙΝ ΤΠΟΝΕΙ ΕΑ ϹωϹΤΗϹ
ϹωϹΤΛΟΤ ΤΙΘΟΜΑΙ ΤΗΝ ωΝΗΜΗΝΗ ΜΕΝ ΕΝΧΑΡΑΖΑϹΑ ΕΙϹ ΤΟ
ΙΕΡΟΝ ΤΟΤ ΠΤΘΙΟΤ ΑΠΩΛΛωΝΟϹ ΕΙϹ ΘΕΑΤΡΟΝ ΚΑΤΑ ΤΟ
ΝΟΜΟΝ ΚΗΔΕΟ ΕΜΗ ΕΙϹ ΤΑ ΔΑΜΟϹΙΑ ΤΑϹ ΠΟΛΙΟϹ ΓΡΑΜΜΑΤΑ ΔΙΑ
ΤΟΤ ΓΡΑΜΜΑΤΕΩϹ ΤΙΒ. ΙΟΤΛΙΟΤ ΔΙΚΑΡΙΟΝΟϹ ΜΑΡΤΤΡΕϹ ΟΙ
ΙΕΡΕΙϹ ΤΟΤ ΠΤΘΙΟΤ ΑΠΟΛΛωΝΟϹ. Γ. ΜΕΜΜΙΟϹ ΕΤΘΤΔΑΜΟϹ
ΚΑΙ ΕΤΚΛΕΙΔΑϹ ΑϹΤΟΞΕΝΩΤ ΚΑΙ ΙΔΙωΤΑΙ ΕΤΔωΡΟϹ ΕΠΙ
ΝΕΙΚΟΤ ΚΑΙ ΠΟΛΕΜΑΡΚΟϹ ΔΑΜΩΝΟϹ ΜΝΗϹΙΘΕΟϹ ΑΝΤΙϹΤΕΝΟΤϹ

scilicet, ut vertit Muratorius [1], qui hujusmodi inscriptionem, fragmentum alicujus emptionis fuisse putavit.

In Emtione Antea Scriptis Omnibus Sub------ Sostes
Sosyli ------------------------ Insculpta In
SACRARIO PYTHII APOLLINIS, in Theatro Secundum
Legem --------- In Publicis Civitatis Actis, Sub
Scriba publico *Tiberio Iulio Licarionis. Testes*
Sacerdotes Pythii Apollinis, Gajus Memmius Euthydamus,
Et Euclidas Astoxeni filius, *et Idiotae Eudorus* filius *Epinici, et Polemarcus Damonis, Mnesitheus Antistenis* filius.

[1] in T. II. Novi Thesauri Inscriptionum pag. DLXX. n. 5.

n

Nemo ignorat, *Apollinem*, *Pythium* cognominatum fuisse, quod adhuc puer sagittis *Pythonem*, ingentem draconem, ex terrae putredine natum, post diluvium Deucalionis [1] confecerit, ac primus sagittandi artem ostenderit, *pythiis* ludis [2] in ejus honorem iccirco institutis, quorum victor, Luciano teste, lauro coronabatur. Illud potius memorandum est [3], Matronas Romanas ei Mundum muliebrem donasse, primitiarum loco, ex quo aureus Crater confectus Delphos missus est; ubi *Pythia*, seu *Phoebas*, Sacerdos Apollinis Delphici [4], (femina saltem quinquagenaria, post stuprum illatum Virgunculae, quae pridem edendis Dei responsis praesidebat, raptae ab Echecrate Thessalo ad Oraculum profecto [5]), tripodi insidens sub cortina, sive operculo, subeuntem excipiebat cum halitu spiritum; ac dein repleta-furore,

1 Hyginus fab. 140. Macrob. Saturnal. lib. 1. c. xvII. Alexander in Tab. v. Thes. Graevii p. 678. A. Nom. in Goltz. Graec. p. 158. Potter. Archaeolog. Graec. l. xI. cap. IX. Ant. Thysius in xvIII. Exercit. Miscell. Ortelius in Capit. Deor. lib. 1. tab. vI. Bulengerus de Oracul. et Vatic. c. vI, et IX. Jac. de Wilde ant. gemm. illustr. pag. 7.

2 Pausanias in Corinth. pag. 75. Ovid. Met. lib. 1. v. 441. Hyginus tab. CXL. Ptolomeus Ephestio apud Photium p. 490. Clemens Alexandr. in Cohort. ad Gent. nom. II. p. 29. Corsinius in Diss. Agon. Diss. II. Pythie p. 29. Paschal. de Coron. lib. vI. cap. xxv. Gyrald. Synt. Deor. lib. vII. pag. 229. Sardus de rit. gent. lib. III. cap. xxIII. Clasen. Theol. Gentil. lib. 1. cap. vI. Scalig. Poet. lib. 1. xxIII. Fab. Agonist. lib. xI. cap. xxIII. Suen. Muhlii diss. de ludis Pythiis. Hafn. 1732. 4. Anonymi Diss. sur le prix, qu'on donnoit aux Vainqueurs dans Jeux Pythiques. in hist. critica Reip. liter. Tom. 1. p. 150, et T. v. p. 91. Alphonsi Vignolii Diss. touchant le tems de la celebration des Jeux Pythiques. in T. vI. ejusd. hist. crit. p. 99.

3 Strabo lib. IX. p. 641. Plutarchus de vit. aer. alien. Philostrat. in vit. Apollon. lib. vI. pag. 247. Thomasin. de donariis cap. Iv. Vallois des richess. du Temple de Delphe. Acad. des Inscr. T. III. p. 78.

4 J. C. Schottus In explicat. Apotheoseoe Homericae pag. 67, et pag. 102. Ezechiel. Spanhemius ad Callimachum pag. 383. Jac. Sponius Misc. pag. 118. Peirescii Diss. In continuatione memor. literar. et histor. T. x. p. II. Begerus in Thes. Brandeburgico T. III. p. 381. Graevius in T. v. Thes. Ant. Rom. p. 317. Bonannius in Museo Kircher. Class. 1. p. 4.

5 Diodor. xvI. p. 523. Schol. Aristoph. Plut. 1. 1. 9. Girald. Synt. Deor. vII. p. 225. Bulenger. de Oracul. et Vatic. c. vI.

crinibusque resolutis, ac spumas ore emittens, de rebus futuris, ac dubiis respondebat [1].

Praeclara sunt illa, quae ab eodem Oraculo prolata fuisse narrat Valerius Maximus [2]. Afferam integrum locum, auro contra carum, ac prope exosculandum, ut de aureo ejusdem *Apollinis Pythii* sigillo, quod peregre in sinu gestabat, Syllam identidem praestitisse narrat Plutarchus [3]. *Quum Gyges*, inquit, *regno Lydiae armis, et divitiis abundantissimo* [4] *inflatus Apollinem Pythium sciscitatum venisset, an aliquis mortalium se esset felicior, Deus ex abdito SACRARII specu, voce missa, Aglaum Sophidium ei praetulit. Is erat Arcadum pauperrimus, sed aetate jam senior: terminos agelli sui numquam excesserat, parvuli ruris fructibus contentus. Verum profecto beatae vitae finem Apollo, non adumbratum, oraculi sagacitate complexus est. Quocirca insolenter fulgore fortunae suae glorianti respondit, magis se probare securitate ridens tugurium, quam tristem curis, et solicitudinibus aulam; paucasque glebas pavoris expertes, quam pinguissima*

1 Strabo lib. ix. p. 641. Livius lib. 1. cap. xxI. n. LVI. Hymerius apud Phot. lib. 1137. de engastrimythis, sive ventriloquis Hyppocrates lib. v. Epidem. T. 1. p. 787. Interpretes ad 1. Sam. xxviII. Joh. Erdm. Daschitzky diss. de Enthusiasmo, ex select. Graec. Ant. Vitemb. 1697. 4. Edmundus Dickinsonus in Delphis Phaenicizantibus cap. ix. Bulengerus lib. iiI. cap. vI. de divinatione. Leo Allatius, et Gaspar Loescherus in singularibus de Engastrimytho distribis. Kircherus in T. 1. Oedipi p. 244, et 387. Joh. Brodaeus lib. ix. var. Lect. cap. xix. Ant. Vandale de idololatriciis divinationibus Judaeorum c. 2. Steph. le Moyne in notis ad varia sacra p. 993. Vignolius Marvillius T. iI. Misc. hist. liter. pag. 318. David Millius in diss. selectis p. 395. Joh. Ger. Mejerus in diss. Pythonissas in tripodio pelvi, non ex ventre vaticinatas, astutiae potius suorum Antistitum, quam daemonis afflatui sua debuisse Oracula. Helmst. 1727. 4. P. Mussardi Historia Deorum fatidicorum. Coloniae Allobrogum 1675. 4.

2 lib. viI. de felicitate cap. 1. n. iI. Plinius lib. viI. c. XLVI. Solin. lib. viI.

3 in Sylla T. 1. opp. p. 471.

4 V. Dom. Frid. Jani Diatrib. Histor. de regno Lydorum. Halae Magd. 1703. 4. Franc. Sevin Recherches sur le Rois de Lydie. dans le T. viI. de l'Acad. des Inscript. p. 357. Nic. Freret Recherches sur la Chronologie de l'Histoire de Lydie. ibid. p. 424.

Lydiae arva metu referta; et unum, aut alterum jugum boum facilis tutelae, quam exercitus, et arma, et equitatum voracibus impensis onerosum: et usus necessarii horreolum, nulli nimis appetendum, quam thesauros omnium insidiis, et cupiditatibus expositos. Ita Gyges, dum adstipulatorem vanae opinionis Deum habere concupiscit, ubi nam solida, et secura esset felicitas, didicit.

Qui vero de *Apolline Pythio* alia desiderat, is adeat, moneo, dissertationes Joh. Frid. Hekelii [1], Silvestri Lursenii [2], Henr. Benzelii [3], et Jac. Hardionii [4].

§. VII.

Sacraria Lycomidarum, et Molossorum.

Nos interim perlustremus cetera Graecorum *Sacraria*, quibus eadem peculiari studio excolere antiquissimum fuit. Nam Themistocles *Sacrarium Lycomidarum* commune, quod apud *Phlyenses* exstabat, et a barbaris incensum fuit, magnifice restauravit. Rem ita narrat Plutarchus in ejus vita: *Quod quidem e genere Lycomidarum fuerit, manifestum est. SACRARIVM enim, quod est Phlyis, quod erat Lycomidarum commune, incensum a Barbaris ipse instauravit, et picturis exornavit, ut Simonides narravit.*

Nil vero mirum, Themistoclem de *Sacrario* instaurando adeo sollicitum fuisse, quum eumdem hujusmodi locorum maxime studiosum fuisse constet ex his, quae

1 de Apolline. Rudolfopoli 1686. 4.

2 de Apolline, et cognominibus ejus rarioribus. Accessit ejusd. libro de Templ. et Bibliotheca Apollinis Palatini p. 235. Franequerae 1719. 8.

3 de Apolline loquaci, et muto. in syntagmate ejus Dissertationum Academicarum Tom. 1. pag. 339. Francof. et Lips. 1745. 4.

4 Trois Dissertations sur l' Oracle de Delphe. dans le T. 13I. des Memoires des Inscript. p. 137.

narrat Cornelius Nepos [1]. *Quum Principes Civitatis (Corcyrae) animadvertisset, timere, ne propter se bellum his Lacedaemonii, et Athenienses indicerent, ad Admetum MOLOSSORVM Regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit. Huc, quum venisset, et in praesenti Rex abesset, quo majore relligione se receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit, et cum ea se in SACRARIVM, quod summa colebatur caerimonia, conjecit. Inde non prius egressus est, quam Rex eum data dextra in fidem reciperet, quam praestitit.*

§. VIII.

Sacraria Jovis Clitumni.

Sed tandem, ut in Italiam, tot emensis itineribus, revertamur, Phil. Cluverio [2], et Luca Holstenio [3] ducibus, ad *Jovis Clitumni Sacraria* divertamus, ut finem sic nostris excursibus imponamus, *Sacraria* illius numinis obtuentes, a quo eorum exordium sumendum esse duximus. In itinerario Antonini haec indicantur [4]:

CIVITAS	SPOLITIO	M. VII.
MVTATIO	SACRARIA	M. VIII.
CIVITAS	TREVI	M. IIII.
CIVITAS	FVLGINIS	M. V.

Hoc loco *Fanum Clitumni* exstitisse putat Cluverius, aliis *Sacrariis* contiguum, quae ad varios *Clitumni amnis* Fon-

1 In ejus vita p. 15. n. VIII. Vid. Corn. Nepotis Themistoclem cum commentario Gasparis Lilii. Lips. 1652. 4.

2 in Italia vet. p. 632, et 702.

3 Adnotationes in Geographiam Sacram Caroli a S. Paulo, Italiam antiquam Cluverii, et Thesaurum geographicum Ortelii. Romae 1666. 8. p. 94, et 123.

4 Inter vetera Roman. itineraria, curante Petro Wesselingio. Amst. 1735. 4. p. 613.

Digitized by Google

tes, variis *Jovis Clitumni* nominibus, numinibusque olim posita fuerunt. Quis enim nescit, amnes, ac flumina [1] relligiosa veneratione olim culta, coronis ornata, ac statuas, et inscriptiones iisdem erectas fuisse?

Porro de hoc eodem *Clitumni* fonte, quem, post Alphonsum Ciccarellium [2], Ridolphinus Venutus [3] peculiariter illustravit, mirabilia praedicant Plinius [4], Virgilius [5], Propertius [6], Juvenalis [7], Statius [8], Claudianus [9], Silius Italicus [10], Sidonius Apollinaris [11], aliique. Prae ceteris tamen audiendus est Plinius junior [12], qui eum in eleganti epistola ad Romanum ita descripsit. *Vidisti ne aliquando Clitumnum Fontem? si nondum (et puto nondum: alioqui narrasses mihi) vide; quem ego (poenitet tarditatis) proxime vidi. Modicus collis assurgit, antiqua cupressu nemorosus, et opacus; hunc subter Fons exit, et exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatus-*

1 Vitruvius io lib. Architect. Aelianus Var. Hist. lib. II. c. 3. Maximus Tyrius diss. XVIII. Turnebus adversar. l. XXIX. c. XXVI. Vossius de Idololatria l. IX. c. 35. Christoph. Arnoldus ad Diras Valerii Catonis ad Fluvium Battarum. Laur. Begerus In Spicilegio p. 79. Gothardus Braem ὑδρωλατρεία Veterum, sive de superstitioso aquae apud veteres cultu, et usu. Hafniae 1695. 4. Abbas de Fontana Diss. sur le culte des divinités des eaux. dans l'hist. de l'Acad. des Inscriptions T. VI. p. 40. Chiffletius de Aqua Virgine. io T. IV. Thes. Graevii p. 1789. Sibrandus Siccama in Fastos Kalendares Romanorum, In voce *Fontinalia*. io T. VII. Thes. Graevii p. 77. Fontaninius de Horta Hetruscorum Colonia. lib. 1. cap. VIII. p. 151. Joh. Gottieb. Bosseckius de cultu fluminum apud Aegyptios, et Persas. Lipsiae 1740, et apud Graecos. ibid. 4.

2 de Clitumno Vmbriae flumine celeberrimo opusculum. Patavii 1564, et Io T. VIII. Thes. Italiae Petri Burmanni num. 198.

3 Osservazioni sopra il Fiume Clitunno, detto in oggi le Vene, situato tra Spoleto, e Fuligno, del suo culto, e antichissimo Tempio, e delle stato suo presente. Roma 1753. 4.

4 Hist. Nat. lib. II.

5 in Georgic. lib. II. v. 146.

6 lib. II. Elegia XV. v. 25.

7 Sat. XII.

8 In Soteriis.

9 lib. VI. de Consul. Honorii.

10 lib. VIII. p. 317. v. 452.

11 lib. I. epist. V.

12 lib. VII. epist. VIII.

que facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus, et vitreus, ut numerare jactas stipes, et relucentes calculos possis; inde non loci devexitate, sed ipse sui copia, et quasi pondere impellitur. Fons adhuc, et jam amplissimum Flumen, atque etiam navium patiens, quas obvias quoque, et contrario nisu in diversa tendentes transmittit, et perfert: adeo rapidus, ut vi, qua properat, ipse tanquam per solum planum remis non adjuvetur: idem aegerrime remis, contisque superetur adversus. Jucundum utrumque per jocum, ludumque fluitantibus, ut flexerint cursum, laborem otio, otium labore variare. Ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur: quas perspicuus Amnis, velut mersas viridi imagine annumerat. Rigor aquae certaverit nivibus, nec color cedit. Adjacet TEMPLVM priscum, et relligiosum. Stat Clitumnus ipse amictus, ornatusque praetexta; praesens Numen, atque etiam fatidicum indicant sortes: sparsa sunt circa SACELLA COMPLVRA, totidemque simulacra: sua cuique veneratio, suum nomen; quibusdam vero etiam fontes; nam praeter illum, quasi parentem ceterorum, sunt minores capite discreti, sed Flumini miscentur, quod Ponte transmittitur: is terminus sacri, profanique; in superiore parte navigare tantum, infra etiam natare concessum. Balineum Hispellates, quibus illum locum Divus Augustus dono dedit, publice praebent, et hospitium; nec desunt villae, quae sequutae Fluminis amoenitatem margini insistunt. In summa nihil erit, ex quo non capias voluptatem; nam studebis quoque, et leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inscripta, quibus Fons ille, Deusque celebratur. Plura laudabis, nonnulla ridebis: quamquam tu vero, quae tua humanitas, nulla ridebis. Vale.

Clitumni statuam, quam heic Plinius describit, stan-

tem, et praetexta ornatam, nonnulli pro ejusdem fluvii Mevaniam alluentis simulacro, alii vero pro Signo *Jovis*, cognomento *Clitumni*, accipiendam esse putant, qui sacras fluminis aquas, quibus potis, albos foetus pecudes creabant, sui numinis praesentia custodiebat, ab eo nomen ducens, instar *Jovis Anxuris* [1], aut *Casii* [2], a locis, ubi Templum habuit. Et sane iis, qui hanc alteram opinionem sequuntur, favet Vibius Sequester, qui ait [3], *Clitumnus Vmbriae, ubi Juppiter eodem nomine est*.

Quod vero etiam esset *fatidicus*, indicat Suetonii locus, qui de Caligula haec refert [4]: *militiam resque bellicas semel attigit, neque ex destinato; sed quum ad visendum nemus, flumenque Clitumni, Mevaniam processisset, admonitus de supplendo numero Batavorum, quos circa se habebat, expeditionis Germanicae impetum coepit*. His consonant, quae pressius tradidit Xiphilinus, inquiens [5]: *Cajus quidem Oraculum acceperat, quo admonebatur, ut Cassium caveret*. Verum id etiamnunc aperte testantur literae, quae exstant super arcum cryptae ejusdem Templi.

POST . VERIAS . FEL

H. D. L. M.

nimirum, ut Venutus [6] interpretatur, *post sortes fatidicas felices hoc (forsan, Signum, Templum, Donarium) dedicavit lubens merito*. Nam apud Ennium [7], veteresque

1 Gor. in Par. I. Mus. Etrusci tab. xxII. p. 77., et Marmora Taurinensia in Par. 7. pag. 5.

2 Joh. Boivinus de Villeneuve in T. III. Memor. Acad. Inscript. p. 392.

3 de fluminibus.

4 In ejus vita n. XLIII.

5 T. II. edit. Lugd. p. 162.

6 Osservazioni sopra il fiume Clitunno Tav. IV. num. II. p. 39. 53.

7 lib. XIII. Annal. Vid. Laurembergii Lexicon Antiquit. in verbo *verare*.

Gramaticos *verare* idem erat, atque *auspicare*, aut *sortes fatidicas ferre*; ac Gellius [1], et Apulejus [2] somniorum interpretes *veratores*, ac *veratrices* appellant. Ibidem etiam, qui sortes acceperant, sua nomina, grati animi caussa insculpebant. Adhuc enim legitur in lapide [3].

T. SEPTIMIVS

PLEBEIVS

atque in altero,

BIDIA L. F.

POLLA

Quae quidem probant, quod de *Fauno* [4], et *Apolline Pythio* supra [5] vidimus, id etiam veteres erga *Jovem Clitumnum* praestitisse.

Praeterea, ut *pythii ludi* in honorem *Apollinis* [6], ac *quinquatria Minervae* sacra [7] edebantur, ita stato die *sacra Clitumnalia* celebrabant, quemadmodum haec probat Inscriptio [8].

1 lib. XVIII. cap. II.
2 lib. IX. Metam.
3 Campelli Stor. di Spoleto. Lancellotti Fast. Olivet. Holsten. ad Cluver. Geographiam, Venuti p. 56.
4 pag. 70.
5 pag. 98.
6 ibid.
7 pag. 80.
8 apud Gorium Mus. Etrusc. T. I. p. 66. Gudium pag. 62. num. VII. Venutum in opere cit. p. 47.

CLITVMNO
SACR.
L. MINVCIVS . L. F. SABINVS
SACERDOS . D. N. VI VIR
AVG. PATRONVS . HISPEL.
IIII VIR QVINQEN
SACR. CLITVMNAL . . . . .
EPVL. DED . . . . . .
COLLEG . . . .
KAL. MAI . . . .
L. SEPTIM . . . .
L. AVREL . . . .

. Templum elegantissimum eidem Numini sacrum, post Palladium, qui ejus quoque ichnographiam, et scenographiam exhibuit [1], descripsit Franciscus Schottus, cujus verba praestat audire [2]. *Clitumnus, cujus etiam nunc opinantur Aedem sacram olim fuisse, quae in propinquo visitur, marmorea, et antiquissima, nec non more corinthio pulcherrime constructa; quales Vitruvius de sacrarum Aedium aeconomia scribens, Fontibus, ac Nymphis, aeque ac Veneri, Florae, ac Proserpinae constituendas esse docet, ut aptas habere videantur cum Diis suis proprietates, justusque decor accedat, si propter teneritatem, graciliora, ac florida, foliisque, et volutis ornata fiant. In eum modum et istius Aedis scaenographia a fronte, et a postica, lateribusque huic argumento columnarum tympani, lacunaris, ac trabeationis parergis, ac omnibus ornamentis ad unguem correspondet;*

1 Ichn. de Temp. lib. IV. cap. XXV. 2 Itiner. Ital. in verb. *Fulgin.* p. 267.

ut Clitumno vicino sacratam fuisse, non male fiat verisimile; in quibus acanthorum folia, flores, et helices, striarum undae, triglyphorum guttulae, victimarum in metopis crania bubula, baccis, et corollis implexa, lances foliis, ac rosis vestitae, nec non encarpi florum, pomorum, ac fructuum omnifario luxu perplexi, graphicoteram reddunt in adspectu delectationem, atque fluminum, fontiumque vim, efficaciamque divinam insinuant in terrae germinibus promovendis; in qua re Clitumni natura singularis est, ut non videatur miraculis carere, observaruntque id veteres.

Quibus id unum addendum est, marmoreas columnas ibidem exstitisse coloris amethystini, singulari artificio squamas veluti quasdam circum undique exhibentes, ut sese fluviatilis Dei Templo convenire, tacite quodammodo indicarent.

Hoc idem Templum a Christianis omni labe expiatum, ac in sacros usus conversum, Sospitatori nostro dicatum fuit. Quod quidem eos Venutus [1], sub Theodosio praestitisse opinatur, post ingentem illum terrae motum, quo haec accidisse narrat Nicephorus [2]. *E medio inspectantibus omnibus divina quadam vi puer in aerem sublimis ad caelestem usque tractum, ita ut jam non appareret, sublatus, divinam vocem, qua Angelis Deum laudibus ferre mos est, audivit: eaque voce percepta, rursum priore per aerem via reversus, descendit, et Episcopo Proclo, ipsique Imperatori, et multitudini omni supplicationibus operanti, Deumque Hymnis celebranti ab Angelis canentibus se verba haec audisse renunciatus:* Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere nostri: *quae ubi Proclus intellexit, statim ad eum modum Populum psallere jussit.*

1 pag. 63.

2 Hist. Eccl. lib. xiv. c. XLVI. p. 917.

Tunc enim fit admodum verisimile, Christianos, celebre hoc Trisagium [1], a Concilio Chalcedonensi deinde approbatum, frequenter usurpantes, dextrorsus in corona porticus Templo continentis insculpsisse.

SCS. DEVS. APOSTOLORVM. QVI. FECIT. REDEMPTIONEM

ac sinistra

SCS. DEVS. PROFETARVM. QVI. FECIT. SALVATIONEM

ac demum in fronte inscriptionem adjecisse, quae dumtaxat aetatem tulit

✠ SCS. DEVS. ANGELORVM. QVI. FECIT. RESVRRECTIONEM ✠

Totius rei historiam Fabrettus pertexuit hujusmodi verbis [2]. *Ad Spoletum prope diversorium* le Vene, *ubi Plinius Clitumni Fontes eleganter, et accurate describit* [3], *exstat Templum, quod idem Clitumni Genio dicatum fuisse tradit, et Vibius Sequester hoc idem Jovi Clitumno addicit. Ex primitiva, et vetustissima structura Porticus, et facies Sacelli quadrati, flumini, et occidentis soli obvertitur. Primis vero Christianitatis temporibus, parti quae viam Flaminiam respicit, Altare ad orientem solem exporrecto ultra quadraturam semicirculari fornice erexerunt, scalis ex utroque latere applicitis, unde Porticus, ad praesens praeruptus, adiri possit. Fronti autem inscripserunt* ✠ Sanctus Deus Angelorum etc. *latere dextro* ✠ Sanctus Deus Apostolorum etc. *opposito lateri* ✠ Sanctus Deus Prophetarum etc. *Holstenius observavit in tabulis Peutingerianis hunc locum vocatum fuisse AD SACRARIA: sed immutationem Templi, et additionem scalarum non*

1 V. Petr. Allix de Trisagii Origine. Rothomagi 1674. et Sig. Jac. Baugmartenium in Historia Trisagii, Halae 1744. 4. Menologium Graecorum die xxiv. Sept.
2 Inscr. Ant. p. 61.
3 Plin. epist. 8. lib. 8.

agnovit, unde aliud a Templo, quod Jovis Clitumni cum Cluverio [1] *fuisse credimus, constituit novam formam Templi, ejusdemque a profano cultu ad Christianorum ritum conversionem impugnans, cui tamen vel invito excidit Ichnographia, qua exteriorem speciem quadratam clare exhibet, prout omnibus praetereuntibus patet.*

Ceterum magno Vito Venutus [2] adversatur, qui neque scalas a Christianis adjectas, neque Templi faciem aliô conversam, sed tantum aedem in sacros usus ab iis redactam, allatisque inscriptionibus, crucibusque insignitam fuisse contendit. Sic itaque Holstenium tuetur, qui de locis continentibus ita pergit [3]. *Subtus autem duo alia sunt Fana, sive SACRARIA, alterum titulo S. Angeli, alterum Baptismi, sive Baptisterii, vulgo il* Battesimo *appellatum: haec quoque ejusdem antiquitatis sunt cum priore, ut ostendunt fragmenta quaedam vetusta parietibus inserta. Fama est inter accolas, hic primitivos Vmbriae Christianos Baptismatis fonte ablutos fuisse; nec dubium est, quin Tabulae Augustanae auctor tria haec SACRARIA Christianorum suo tempore marmorea agnovit, ut multa alia primae Christianitatis exempla in ea notantur.* Atque hinc patet, cur Tabula Peutingeriana hunc locum, ubi Plinius *complura Sacella* exstitisse tradidit, *Sacraria* nominaverit, ad quae spectasse conjecit Venutus Simulacrum fluminis jacentis [5], ac fragmentum Statuae in vicinia repertum [6]. Nos autem loci amoenitate, atque elegantia satis oblectati, ad *Sacraria privata*, quae nos jamdiu ad sese vocant, gradum faciamus.

1 p. 702. lin. 29.
2 pag. 62.
3 in not. ad Geogr. Cluver p. 123.
4 V. Ludovicum Jacobillium in Biblioth. Vmbriae de Scriptoribus, et Sanctis, et Beatis. Fulgin. 1658. 4.
5 Tav. III. pag. 37.
6 Tav. II. pag. 32.

CAPVT IIII.

De Sacrariis privatis, seu Larariis.

Sacrarium non modo in Templis, sed etiam in privato aedificio exstabat. Sic enim vocabant locum sacrum in aedibus privatorum constitutum [1], ubi sigilla Deorum tutelarium, quibus focus peculiariter sacer erat, reponebant, ac privatim adorabant, quotiescumque illorum opem petendi caussa exsisteret; publice vero quotannis vernis, et aestivis floribus colebant. *SACRARIVM*, inquit Vlpianus [2], *est locus, in quo sacra reponuntur; quod etiam in privato aedificio esse potest, et solent, qui liberare eum locum relligione volunt, sacra inde evocare*. Hujusmodi *Sacraria* apud Principes, et ditiores fuerunt. Nam pauperes *Sacrarii* loco, *focos* habuerunt, in quibus *Lares* suos colebant.

In domestico hujusmodi *Sacrario* singulae familiae sacra gentis suae propria, relligiose servabant, quae *gentilitia* iccirco vocabantur, ac lex xiI. Tabularum [3], perpetua esse jubebat, videlicet imagines majorum, quas aereas habebant, pictas, et coloratas, seu prostypa, aut ectypa simulacra, non tamen integra, sed capita humero tenus, quae in gentilium funeribus exportabant, ac festis diebus, apertis armariis, exornabant, iisque ture et vino litabant [4]. Ceterum haec *privata Sacraria sancta*,

1 Guther. de veteri jure Pontificio iiI. 9. Polletus in Hist. Fori Rom. in Tom. I. Thes. Poleni p. 594. Franc. M. Grapaldus de partibus Aedium. Spiridion in Diss. de Sigillariis. in Memor. Trevolt. an. 1719. p. 709. Joh. Gottfr. Hoerius in duabus dissert. Vitemb. 1717. Jos. Laurentius de juramentis in ejus Polimathia. Vicentiae 1631, et Lugd. 1666. fol., et in Tom. vI. Thes. Gronovii p. 3680.

2 lib. ix. §. 2. D. de Rer. divis.

3 Ant. Clarus Sylvius ad Leges regias, et xiI. Tabularum p. 99.

4 Cerda ad Verg. Eclog. p. 5.

et relligiosa, non *sacra* [1] erant, etsi aras pro *Penatibus* haberent, ex quibus ortum est tritum illud proverbium, *pro aris, et focis pugnare*, nimirum pro *Penatibus*.

De hujusmodi loco accipienda sunt illa Ciceronis verba [2]. *Erat apud Hejum SACRARIVM magna cum dignitate in Aedibus, a majoribus traditum, perantiquum, in quo signa pulcherrima quattuor summo artificio, summa nobilitate. Vnum Cupidinis marmoreum, Praxitelis .... Verum ut ad illud SACRARIVM redeam; Signum erat hoc, quod dico Cupidinis, e marmore, ex altera parte Hercules egregie factus ex aere. Is dicebatur esse Myronis, ut opinor, et certe. Item ante hosce Deos erant arulae, quae cuivis SACRARII relligionem significare possent. Erant praeterea aenea duo signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu, atque vestitu, quae manibus sublatis sacra quaedam, more Atheniensium Virginum reposita in capitibus sustinebant. Canephorae ipsae vocabantur. Sed earum artificem quem? quemnam? recte admones. Polycletum esse dicebant*. Post haec pergit idem Tullius damna per summam injuriam Hejo illata commiserari, ac Verris rapacitatem summo orationis impetu exagitare. Quocirca haud ingratum iis, qui legunt, fore arbitror, si quae de eodem *Sacrario*, signis omnibus misere spoliato, mira eloquentiae vi, atque ubertate deplorans exposuit, attexam. *Haec omnia, quae dixi, signa, Judices, ab Hejo de SACRARIO Verres abstulit: nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen, praeter unum pervetus ligneum, bonam Fortunam: ut opinor, eam iste habere domi suae noluit .... Nemo sibi*

1 Festus in religiosus.

2 in Verr. Act. II. lib. IV. c. II. p. 339. edit. Olivet., et apud Claud. Franc. Fraguier in Diss. de la Gallerie de Verres. dans les Memoires de l'Acad. des Inscriptions. T. IX. p. 260.

tam vehemens, tam potens, tam nobilis vitus est, qui ex illo SACRARIO *quidquam poscere, aut tollere, aut attingere auderet. Verres, quod ubique erit pulcherrimum, auferet? nihil habere praeterea cuiquam licebit? tot domos locupletissimas domus istius una capiet? iccirco nemo superiorum attigit, ut iste tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit, ut C. Verres posset auferre? At non requirebat ille Cupido Lenonis domum, ac meretriciam disciplinam; facile illo* SACRARIO *patrio continebatur. Hejo se a majoribus relictum esse sciebat. Ad hereditatem Sacrorum non quaerebat meretricis heredem .... Quaerendum est, credo, Hejus iste, num aes alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum rei numariae tenuerit, tanta egestas, tanta vis oppresserit, ut* SACRARIVM *suum spoliaret, ut deos patrios venderet. At hominem video auctionem fecisse nullam: vendidisse, praeter fructus suos, nihil umquam: non modo in aere alieno nullo, sed in suis numis multis esse, ac semper fuisse. Si haec contra, ac dico, essent omnia; tamen illum haec, quae tot annos in familia,* SACRARIOQVE *majorum fuissent, venditurum non fuisse .... Tametsi lex est de pecuniis repetundis, ille se negat pecuniam repetere; quam ereptam non tantopere desiderat: Sacra se majorum suorum repetere abs te dicit; Deos Penates a te patrios reposcit. Ecqui pudor est? ecqua relligio, Verres? ecqui metus? habitasti apud Hejum Messanae: res illum divinas apud eum in suo* SACRARIO *prope quotidie facere vidisti .... Verum haec emisse te dicis? Quid? illa Attalica tota Sicilia nominata, ab eodem Hejo peripetasmata emere oblitus es? Licuit eodem modo, ut signa. Quid enim actum est? an literis pepercisti? Verum hominem amentem hoc fugit: minus clarum putavit fore, quod de armario, quam de SA-*

Digitized by Google

CRARIO esset allatum. Haec Tullius; qui eodem *Sacrarii* vocabulo usus est, ubi ait [1]. *C. Aviano Evandro, qui habitat in tuo SACRARIO, multum utor*.

Hic idem locus a Capitolino *Lararium* appellatur, ubi M. Antoninum Philosophum aureas imagines magistrorum habuisse refert. Duplex etiam fuisse prodit Lampridius [2] narrans, *Alexandrum Severum in LARARIO suo sanctiore, et majore rem divinam matutinis horis factitasse ad effigies Deorum, in quibus habebat Apollonium, Orpheum, Abrahamum, et Christum* [3] .... *in secundo LARARIO minori habuisse Vergilii, Ciceronis, Achillis, et magnorum virorum imagines*. Adde Suetonium, qui [4] L. Vitellium Auli Vitellii Imp. Patrem, Narcissi, et Pallantis imagines aureas inter lares coluisse tradidit.

Easdem *cubiculares* vocabant, quod [5] in cubiculo una cum laribus colebantur. Id ex eodem Suetonio colligimus, qui in vita Augusti [6] haec scripsit. *Turinum cognominatum satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus aeream veterem, ferreis, ac pene jam exolescentibus literis, hoc nomine inscriptam, quae dono a me Principi data inter CVBICVLARES colitur*. Insignem inter eas locum habebat *Fortunae aureae* simulacrum, quod Imperatores in *cubiculo* studiose servabant, ac morituri ad successorem transmittebant. Ejusdem meminit Capitolinus in vita Antonini Pii [7], ubi ait. *FORTV-*

1 lib. XIII. famil. epist. XI.

2 c. XXIX, et XXXI. Vide Aldi Manutii Paulli F. Aldi Nepotis de false antiquor. relligione, deque Larario Commentat. historicam. Ext. in T. I. Anecdot. Liter. ex Mss. Codd. erutorum. Romae 1773. pag. 155.

3 Paul. Ernesti Jablonscki Exercitatio de Alexandro Severo Christianorum Sacris per Gnosticos initiato. Vid. Miscellanea Lipsiensia Nova in vol. IV. Par. I. p. 57. 94.

4 In ejus vita c. II.

5 cap. VII. p. 155.

6 c. VII.

7 cap. XII.

Digitized by Google

NAMQVE AVREAM, *quae in CVBICVLO Principum poni solebat*, *transferri ad eum jussit*; iisdemque fere verbis in vita M. Antonini Philosophi [1]. *FORTVNAM AVREAM*, *quae in CVBICVLO solebat esse*, *ad Marci CVBICVLVM transire jussit*. Eadem profert Spartianus in Severo [2], *qui FORTVNAM REGIAM*, *quae comitari Principes*, *et in CVBICVLIS poni solebat*, *geminare statuerat*, *ut sacratissimum simulacrum utrique relinqueret filiorum*; *sed quum perurgeri se videret sub hora mortis*, *jussit*, *ut alternis diebus apud filios Imperatores in CVBICVLIS FORTVNA poneretur*. Suetonius [3] etiam tradidit, *aeneum FORTVNAE signum*, *in aedium parte consecratum*, Galbam coluisse; ac ne longum faciam, de eodem adisis Argolum [4], Giraldum [5], Laurentium [6], Dempsterum [7], Phil. a Turre [8], ac praecipue Henricum Dodwellum [9], Phil. Olearium [10], et Joh. Paullum Reinardum [11].

1 cap. vII.
2 cap. xxIII.
3 c. IV.
4 in adnotat. ad Panvin de Lud. Circen. c. xxvII.
5 Synt. Deor. p. 459.
6 de Natal., et Conviv. c. I.
7 Paralipom. ad Rosin. ant. Rom. c. xI. pag. 16.
8 Monum. Veteris Antii pag. 11.
9 in praelectione II. Camdeniana ad Hadrianum Spartiani, de Fortuna Imperii, et genio tutelari Principis. Oxonii 1692. 8.
10 Diss. de Fortuna Romana. Lips. 1713.
11 Diss. de Signo Fortunae in cubiculo Veterum Imperatorum, ejusque transmissione. Erlangae 1745. 4.

C A P V T V.

De Sacrariis Principum.

Quid, quod *Sacrum Aerarium* [1], itemque *Consistorium Principis* [2], *Sacrarium Palatinum* frequenter vocabant? Huc spectant Arcadii verba de legatis [3], qui ad *Sacrarium Principis* mittuntur. Iisdem Imperatores rescripserunt, ut *quaecumque Civitas ad SACRARIVM nostrum voluerit ordinare, libera ei tribuatur facultas*. Haud absimile est, quod Imperatores Valentinianus, Valens, et Gratianus A A A. ad Ampelium P. V. praescripserunt, hujusmodi verbis. *Eorum honores, qui SACRARIO nostro explorata sedulitate obediunt, hac volumus observatione distingui, ut Quaestor, atque officiorum Magister, nec non duo largitionum Comites pro consularibus honoribus praeferantur*. Nam Jacobus Gothofredus in doctissimis explanationibus, quibus hunc locum illustrat [4], ibidem *Consistorium Principis* indicatum esse, pro certo habet. Idem vocabulum pari sensu usurpatur in lib. I. ejusdem Cod. de *Quaestor.* lib. xI. de *poenis* tit. XL, et in lib. XLIX. de *haeret.* lib. xvI. tit. V, ubi legitur *SACRARII nostri incrementis accedant*. Ac demum in lib. ult. D. de *muneribus, et honoribus*.

Praeterea, quoties Imperatores suis *altaribus* preces fusas, vel e suis *altaribus* rescripta impetrata fuisse pro-

1 in l. 49. Cod. Theod. de Haeret. et in l. Luitprandi apud Murator. Tom. I. part. 2. p. 53.

2 in lib. xI. de poenis, et lib. 16. de Haeret. in Cod. Theodos.

3 in l. 8. 16. de Legat.

4 in Tom. xI. Codicis Theodosiani pag. 85.

nuntiarunt [1], eos de *Sacrario* loquutos fuisse putat Petrus Berthaldus [2], Ausonii innixus auctoritati, qui Gratianum Imp. ita alloquutus est [3]. *Quod solum igitur nostrae opis est, gratias ago, verum ita, ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius, quam loquendo, atque non in SACRARIO modo Imperialis Oraculi, qui locus horrore tranquillo, et pavore venerabili raro eumdem animum praestat, et vultum*. Gemina sunt illa ejusdem Scriptoris [4]; *in illa vero sede, ut ex more loquimur, Consistorii, ut ego sentio, SACRARII tui, nullus unquam superiorum, aut dicenda pensius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expedivit*. Eodem vocabulo usus est, ubi cecinit [5],

Pateatque, fac, SACRARIVM
Nullo paratu extrinsecus.

Huc trahenda sunt illa Claudii Mamertini in Genethliaco Maximiani Augusti [6]; *atque haec quidem velut interioribus SACRARIIS operta veneratio, eorum modo animos obstupefecerat, quibus aditum vestri dabant ordines dignitatis*. Adde Eumenium in Panegyrico, Constantino Augusto affirmantem [7], *haec est fides, haec relligio PALATINI SACRARII devota penetralibus*.

1 in lib. VIII. Cod. Theod. de suar. lib. ult. eod. Cod. de Relat. l. ult. eod. Cod. de locat. fund., apud Valentinian. Nov. IV. de testam. et apud Anthemium Nov. de his, quae se scr. junx. Ennod. in Panegyrico. Juretus in not. ad Symm. pag. 120.

2 de Ara p. 310. in T. VI. Thes. Graevii.

3 in gratiarum actione pro consulatu. pag. 166.

4 in gratiarum actione ad Gratianum cap. XXIX.

5 in Ephemer. p. 89.

6 inter Panegyricos veteres a Jac. de la Baune editos pag. 134.

7 ibid. pag. 212.

CAPVT VI.

De Sacrarii vocabulo translate, et in aliarum rerum similitudinem usurpato.

Praeterea eodem verbo translato, atque immutato, quasi stella quadam, veteres scriptores frequenter orationem illustrarunt. Tullius enim Catilinae exprobravit [1], *Aquilam illam argenteam, cui domi suae SACRARIVM scelerum suorum constitutum fuit*. Pari modo explicaveris illa Senecae verba [2]. *Rerum natura sacra sua non simul tradit. Initiatos nos credimus; in vestibulo ejus haeremus. Illa arcana non promiscue, nec omnibus patent: reducta, et interiore SACRARIO clausa sunt*. Praeclarum est etiam illud ejusdem Scriptoris monitum [3]; *quantum autem potes, in Philosophiam secede; illa te sinu suo proteget, in hujus SACRARIO eris aut tutus, aut tutior*. Symmachus autem disserens apud Macrobium, an etiam convivio interesse debeat Philosophia, *verumne?* inquit [4], *ita sentis, Vetti, ut Philosophia conviviis intersit, et non tamquam censoria quaedam, et plus nimio reverenda mater familias penetralibus suis contineatur, nec misceat se Libero, cui etiam tumultus familiares sunt, quum ipsa hujus sit verecundiae, ut strepitum non modo verborum, sed ne cogitationum quidem in SACRARIVM suae quietis admittat?* Haud secus interpretandus est ille Valerii Maximi locus [5]. *Cottam in Tribunatu, quasi in aliquo SACRARIO latentem, tribunitia inde justitia extraxit*. Haud absimile est, quod de annulo Plinius [6] scripsit;

1 in orat. I. in Catilinam c. IX. sub fin. et in II. c. VI.
2 Nat. Quaest. lib. VII. p. 842.
3 epist. CVIII. pag. 512.
4 Saturn. lib. VII. c. I. p. 573.
5 lib. VI. c. V. n. IV.
6 Histor. Natur. lib. XXXIII. T. II. fol. p. 605.

Conditus ille, ut res rara, et injuria usus indigna, velut e SACRARIO, promitur. Praecipue vero memoranda est insignis Taciti sententia, ita praecipientis [1]. *Exigitur jam ab Oratore etiam poeticus decor, non Attii, aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii, et Vergilii, et Lucani SACRARIO prolatus.*

Praeterea cui non notus est ille Propertii versus, eodem sensu accipiendus [2],

Mens bona, si qua Dea es, tua me in SACRARIA conde?

Hoc ipsum *Sacrarii* vocabulum per translationem, et analogiam usurpatum docent Vergilius, Propertius, et Statius. Primus enim cecinit [3]

. . . . *juro*
Vimque Deûm infernam, et duri SACRARIA Ditis.

Alter vero puellarum avaritiam incusans, quae agresti vita posthabita, opes, strepitumque Romae consectabantur, ita ingemuit [4],

At nunc desertis cessant SACRARIA lucis.

Tertius denique, ubi Jovem loquentem inducit [5], caelum vocat,

Arcem hanc aeternam, mentis SACRARIA nostrae.

atque alibi [6],

. . . . *aeternae modo qui SACRARIA genti*
Condidit, inque alio posuit sua sidera caelo:

nimirum augustum Flaviae Familiae Templum, de quo, ut de novo quodam caelo, supra etiam loquutus est in epulo Domitiani [7]. Denique Claudianus hoc eodem ver-

1 in dial. de Orator. p. 853.
2 lib. III. ult. eleg. ver. 19.
3 Aen. XII. v. 199.
4 lib. III. eleg. XLIII. T. II. p. 746. edit. Vulpii.
5 lib. III. Thebaid. v. 246.
6 lib. V. Sylvar.
7 ver. 18.

Digitized by Google

bo semel, iterum, ac tertio pari sensu usus est. Ait enim [1],

Hos igitur si quis potuit sedare tumultus
Inconcussa dabit purae SACRARIA menti.

atque alibi [2],

Adfuit ipsa suis ales Victoria Templis,
Romanae tutela togae, quae divite pompa
Patricii reverenda fovet SACRARIA coetus.

ac rursus [3],

Nec non et patrui pingit SACRARIA Ditis.

CAPVT VII.

De caelesti Signo, quod Sacrarium denominatur.

Quid plura? Tantus apud veteres hujuscemodi locorum cultus fuit, ut inter ea, quae infra Lunae cursum, ac vicissitudinem posita sunt, atque jacent, *Sacrarii* nomen unum ex illustrioribus, ac praeclarioribus fuisse existimarint, quo *Aram* illam [4] cum operculo juxta ignem, ne Gigantes vim fulminis deprehenderent, a Cyclopibus exstructam indicarent, quam in lucidissimos Caeli Orbes, quasi in Templum translatam putabant, ad australem plagam, prope circulum antarcticum, sub cauda Scorpionis, sub qua nasci perhibentur Neocori,

1 de IV. Consulatu Honorii Carm. VIII. v. 255. pag. v.

2 de VI. Consulatu Honorii Carm. XX. ver. 486.

3 lib. I. de Raptu Proserpinae c. XXIII.

4 Salmasius, Scaliger, et Licetus in notis ad Aram Dosiadae. Eratosthenis Catasterismi, sive descriptio Astrorum singulorum, graece, et latine, interprete Thoma Gale. Exst. in ejus Opuscul. mythologicis. Amst. 1684. 8. Theonis Alexandrini Commentarie in Aratum. Exst. cum Julio Firmico, M. Manilio, et Procli Sphaera.

Sacerdotes, Prophetae, sanctissimique Antistites apud Ptolomaeum, Manilium, Scaligerum [1], et Saubertum [2]. Hoc enim caeleste signum, secundum Hyginum [3] quattuor, et secundum alios, septem stellis a Jove exornatum, etsi, ut videre est apud Aratum, Eratosthenem [4] Germanicum [5], Ciceronem [6], Vitruvium [7], Capellam [8], et Ausonium, *Ara*, *Nectar*, *Caelulum*, *Turibulum*, et *Lar* fuerit appellatum, *Sacrarii* etiam nomine quandoque indigitabant.

Siquidem super hanc *Aram* Juppiter sacrificavit, et Sacerdotis partes explevit, ut conceptis quodammodo votis, et sancito foedere in Titanas, teterrimos hostes, bellum caelo inferentes, Dii fidentius prosilirent; luculentissimo nimirum mortalibus exemplo, ut adnotat Berthaldus [9], nihil ab iis rite, ac recte suscipiendum, quod sacrificia non praecederent, quum id ipsum sibi relligioni duxerit Deorum immortalium Concilium. In hanc rem cecinit Manilius [10].

Ara ferens turis stellis imitantibus ignem,
In qua devoti quondam cecidere Gigantes,

(quorum statuas horrendo rictu deformes, ad publicam, perpetuamque tanti sceleris detestationem, quotidie Sacerdotes in Osiridis Templo [11] flagellabant, omnique contumelia lacessebant),

Nec prius armavit violento fulmine dextram,
Juppiter, ante Deos quam constitit ipse Sacerdos.

1 In not. ad Manilium l. I. Astronom.
2 de Sacrific. c. XV.
3 in lib. I. Astronom.
4 ver. 39.
5 in Arat. v. 390.
6 in Arat. lib. II. de Natura Deorum cap. XLIV.
7 lib. IX. cap. VII.
8 in catalogo Signorum Austrinorum.
9 de Ara c. XII. §. I. II. III.
10 v. 338.
11 Diodorus lib. I. §. XXVI. pag. 31.

Ad hoc sidus ne Phaeton filius accederet, monuit Phoebus Pater apud Ovidium [1], idemque signum, quod etiam *caelestis Pharus* iccirco [2] dicebatur, tempestatibus infensum putabant; quippe, eo illucescente, nautae plerumque de cessatura undarum ira, nec falso, augurabantur.

Eumdem locum Hyginus indigitat, ubi de *Centauro* narrat [3], *ex ejus manu sagittam prolapsam in pedem ejus incidisse; pro qua re Juppiter ejus misertus inter sidera eum constituit cum hostia, quam supra ARAM tenens immolare videtur. Hinc alii Pholon esse Centaurum dixerunt eum, qui aruspicio praeter ceteros plurimum valuisset: itaque ad ARAM cum hostia venire Jovis voluntate figuratum*. Hostiam hanc *Pantheram* appellat Capella, *bestiolam* vero, Scholiasta Germanici, apud quem legimus [4]; *quidam arbitrantur tenere in sinistra manu arma, et leporem, in dextra vero bestiolam, quae* θηρίον *appellatur, et* βύρσαν, *id est utrem vino plenum, in quo libabat Diis in SACRARIO*.

Sed calamum excurrentem jam longius, et evagantem, e caelo, et astris, rursus ad *Ethnicorum Sacraria* retrahamus, ut etiam de eorum *Ministris*, et *Custodibus* nonnulla, mantissae loco, adjiciamus.

1 lib. II. metam. v. 139.
2 Scaliger. in Manilium.
3 Poet. Astron. p. 412. num. xxvIII.
4 lib. vIII.

Digitized by Google

APPENDIX

DE MINISTRIS ET CVSTODIBVS AEDIVM SACRARVM APVD ETHNICOS

Ex veterum Scriptorum monumentis varia fuiſſe constat nomina, quibus apud Ethnicos sacrarum aedium Ministri, ac Praefecti designabantur. Modo enim *Sacrarios*, aut *Aedituos*, vel *Aeditumos*, modo *Fani*, *Larium*, *Sacrorum Magistros*, ac *Decuriones*, nonnunquam *Pastophoros*, sive *Hierodulos*, et *Hierophantas*, seu *Hierophylaces*, saepe etiam *Mystagogos*, aut *Neocoros* appellabant. De his itaque modo disseremus, separatim ab iis, quae infra de *Sacristis*, ceterisque sacrarum aedium Custodibus apud Christianos afferenda erunt, ne quisquam me sacra profanis temere miscuiſſe criminetur.

CAPVT I.

De Sacrariis.

Atque, ut a *Sacrariis* exordiar, hoc titulo appellabantur *Sacrarii* Custodes, ut veteres inscriptiones testantur, quas heic exscribo. Earum prima, quae in Civitate Castellana, Faliscorum oppido, exstabat, sic habet [1].

1 apud Gruterum p. cccvIII. num. 1. Smethium LXXXIII. 9, et Gutherum de vet. jure Pontificio in T. v. Thes. Graevii pag. 44.

Digitized by Google

MAMMIAE . C. F
IVSTAE
Q TVLLIVS . Q. F. HORAT
CINCIVS . PRISCVS
PONTIFIX . SACRARIVS
IVNONIS
QVIRITIS . PATRONVS
MVNICIPII
TESTAMENTO . PONI . IVSSIT

Altera vero est hujusmodi [1].

Q. CORNELIVS . Q. L.
MENIPPVS . SACRARIVS
FECIT . SIBI . ET . LIBERTIS
LIBERTABVSQVE . SVIS
POSTERISQVE . EORVM

Tertia exhibet *Sacrarium Aedilium Curulium*, et *Quaestorum*

L. MAELIVS . L. L. THAMIRVS
VASCVLARIVS SIBI ET
DVRDENAE . P. L. CYTHEREIDI
ET L. MAELIO . L. F. ANI . FLACCO
FILIO EIVS SACR. AED. CVR.
ET . SACR. Q. ET LIBERTIS
LIBERTABVSQVE SVIS

Eam primo Gruterus [2] protulit, ac rursus dedit Muratorius, qui varias lectiones ibidem animadvertendas ita proposuit [3]. *Ibi inter cetera Lucius Maelius junior dicitur SER. AED. CVR. ET SER. Q. Heic autem SACR. appellatur. Vtra lectio praeferenda, videant eruditi. Certe*

1 apud Gruterum p. MLXXXVII. n. 9.
2 p. DCXLIII. n. 4.
3 in T. II. Thes. Inscript. p. CMLXIII. num. 3.

Digitized by Google

hujus nomina liberum hominem produnt, non vero Servum: Sed quid sit SACR. obscurum plane puto. Sacrarius fortasse, nunc italice Sagristano. Hujusmodi munere is functus videtur ad sacrificia Aedilium Curulium, et Quaestorum. Sed locus est aliis interpretationibus.

Praeterea Apulejus, quem supra nuncupavit *Sacerdotem*, deinde *Sacrarium* fortasse appellat in hunc modum [1]. *Vaticinatus Sacerdos egregius, fatigatos anhelitus trahens conticuit. Exinde permixtus agmini relligioso procedens comitabar SACRARIVM, totae civitati notus, ac conspicuus, digitis hominum nutibusque notabilis*. Verum Julius Floridus *Sacrarium* ibidem interpretandum duxit *pompam sacrorum* [2]. Item, ut praepositione A, certis nominibus adjuncta, diversa munera denotabant, puta, *ab epistulis, a commentariis, a rationibus, a supellectile, a pedibus, a manu, a libellis, a bibliotheca, a cognitionibus*, et similia, quae passim apud Scriptores, ac veteres Inscriptiones [3] occurrunt, sic *Sacrarii* Custodes *a Sacrario* dicebantur. Id enim prodit vetus Inscriptio, a Franc. Blanchinio [4], Ant. Franc. Gorio [5], et Ludovico Muratorio [6] evulgata.

M. LIVIVS
AVGVSTAE L
APHRODIS
A . SACRARIO

Item *Servus* aere publico emptus, et jussu publico [7] *Sacrarii* custos, *publicus ab Sacrario* dicebatur, ut altera testatur Inscriptio cujusdam Philippi Rustiani, qui *Sa-*

1 lib. XI. Metam. p. 204.
2 in edit. ad usum Delphini.
3 Jac. Sponius in Miscell. erud. antiquit. p. 1057. seq. in T. IV. Thes. Poleni.
4 Sepolc. de' Servi della Casa d'Aug. p. 47.
5 de libertorum Columbario in T. III. Thes. Poleni p. 163.
6 T. II. p. 909.
7 Pignorius de Serv. p. 60, et Popma de Operis Servor. p. 5.

crarium D. Augusti [1], cunctaque sacra vasa ibi reposita custodiebat, in Museo Kircheriano, et a Joh. Vignolio [2], Gorio [3], et Muratorio [4] in lucem edita.

DIS MANIBVS
CLAVDIAE
ANTONIAE
LIB. LACHNE
PHILIPPVS RVSTIAN
PVBLICVS AB
SACRARIO
DIVI AVGVSTI
CONIVGI CARISSIMAE
FECIT ET SIBI

CAPVT II.

De Aedituis, sive Aeditumis.

Verum sacrarum aedium Custodes, de quibus Alexander ab Alexandro [5] pluribus egit, *Aeditui* frequentius apud latinos dicebantur. In sepulcrali Cippo [6] legitur, *M. Vlpius Antas Aedituus Aedis Concordiae*, et apud Gruterum [7] *Amaranthus Caesaris Aedituus ab Concordia*. Alterius *Aeditui* ejusdem *Aedis* fit mentio in lapidis fragmento pone Caracallae Circum reperto [8], itemque aliorum

1 Vide pag. 77.
2 inter Inscriptiones selectas ad calcem Diss. de Columna Antonini p. 278.
3 loc. cit.
4 in T. II. Thesauri Novi Inscriptionum p. DCCCXCIII. n. 6.
5 lib. v. genial. dierum c. XVII.
6 Castal. apud Graev. T. II. p. 2069. et Morcell. de Stilo Inscriptionum Lat. pag. 112.
7 p. CCCIX. n. 6, et apud Gorium in libertor. Columbario T. III. Pol. p. 163.
8 Iscrizioni antiche delle Ville, e de' Palazzi Albani. Roma 1785. 4. p. 66.

Aedituorum nomina agnoscimus lapidum vetustorum praesidio [1].

Praeterea in Inscriptione Musei Vaticani ab eruditissimo Cajetano Marinio [2] edita

IMPERIO Q. OSTIENSIS FELIX AEDITVVS
AEDIS ROMAE ET AVG

occurrit, et in inscriptione, quae nunc exstat in Aedibus Pamphiliorum, ad Forum Agonale, *Aeditui de Moneta, et Portuni* memorantur [3].

T. FLAVIVS . EVARISTVS . ET . TI. CLAVDIVS......
GRAFVS . AEDITVI . PORT . CREP ET . SEX . CAELIVS.
ENCOLPIVS . ET . TI . CLAVDIVS . HERMA . AEDI
TVVS . DE . MONETA . SILVANVM . MONOLITHVM .
SANC. D. S. DD. SODAL. B. M.

Verum peculiari mentione dignam puto alteram inscriptionem, quae legitur apud Blanchinium [4], et Gorium [5] *C. Julii Bathylli Aeditui Templi D. Augusti*, et *D. Augustae in Palatio*. En illam.

DIS MANIBVS
... S. AVG. LIB. BATHYLLVS. AEDITVS. TEMPLI. DIVI. AVG
ET . DIVAE . AVGVSTAE . QVOD . EST . IN . PALATIVM
IMMVNIS . ET . HONORATVS .

Plura de *Bathyllis* homonymis referunt Petrus Taſſi-

1 Grut. p. 319. n. 6. 7. 8. Gud. p. 3. 2. 6, et p. 107. n. 3. Murator. p. 529. n. 6. Pitisc. 3. 1. p. 247. Olivieri Memorie di Novilara p. 12. Fabrettus p. 722. n. 435. Gori loc. cit. p. 75. 166.

2 Iscrizioni delle Ville, e de' Palazzi Albani pag. 57.

3 Marini op. cit. p. 10.

4 Sepolcro de' Servi della Casa di Augusto p. 10.

5 de Libert. Columb. in T. III. Thes. Poleni p. 270.

nus [1], Baylius [2], Vossius [3], Benedictus Averanius [4], Gorius [5], ac praesertim Nicolaus Calliachius [6], Julius Caes. Bulengerus [7], Jos. Laurentius [8], et Joh. Meursius [9], ubi agunt de *Bathyllo*, corculo, ac ocellulo Maecenatis.

Ceterum A. Gellius [10] Varronis auctoritate [11] subnixus, *aeditui* vocem, novam, et commentitiam fuisse declarat, et pro recta *aeditimi*, sive *aeditumi* perperam usurpatam. Quocirca apud Ciceronem [12], ubi *aeditui*, *custodisque* verba occurrunt, in optimae notae exemplaribus legebatur *aeditumi*. In antiquo Titulo apud Fabrettum legitur [13] *Cerdo Antoniaes Drusi AEDITVMVS Veneris*. Sic certe loquitur Varro inquiens, praeter locum a Gellio indicatum [14], *Cipsius mons septicepsos apud aedem Junonis Lucinae, ubi AEDITVMVS habere solet*; atque alibi [15], *in aedem Telluris veneram, rogatus ab AEDITIMO, ut dicere didicimus a patribus nostris, ut corrigimur a recentibus urbanis, ab AEDITVO*. Huic autem, tantaeque auctoritatis testimonio, nemo certe poterit refragari, etsi a Tullio refellantur ii, qui hanc vocem, quasi *aedis intimus* diceretur, derivatam fuisse contendebant. Is enim docet [16] τὸ *timus*, seu *tumus*, meram esse

1 de anno sec., et ludis sec. Roman. Torn. Nervior. 1641. 4, et in T. VIII. Thes. Graev. p. 564.
2 in Lexico voce Bathyllus.
3 lib. II. Instit. Poeticar.
4 Diss. ad Boethii Epigramma lib. I. anthol. p. 23.
5 De libertorum Columbario p. 270.
6 De ludis Scenicis cap. XII. pag. 753. in T. II. Thes. Sallengre, et in T. V. Thes. Poleni p. 468.
7 De Theatro, in T. IX. Thes. Graevii pag. 935.
8 De Agyrthis, Histrionibus, acclamationibus, et osculis investigatio. in T. VIII. Thes. Graec. Gronovii p. 2434.
9 Ibid. p. 1242. de Saltationibus veter.
10 lib. XII. cap. X.
11 de L. Lat. lib. VI. e II.
12 in Verr. VI. cap. XLIV.
13 cap. I. p. 41. n. 218. et apud Gorium de Libert. Columb. p. 163, et 164. c. IV. et apud Blanchin. Sep. de' Servi p. 44.
14 de LL. pag. 15.
15 lib. I. Rei Rust. cap. II.
16 in Top. c. VIII.

verbi productionem, ut in *finitimus*, *legitimus*, *tullium* in *meditullium*, *mentum*, in *testamentum*, *vestimentum*, *pavimentum*. Hinc, qui Sacrarum aedium custodiae praefecti erant, *aeditimari*, sive *aeditumari* dicebantur. Ita Pomponius [1] apud Gellium [2], *qui postquam tibi appareo, atque AEDITVMOR in templo tuo*; cujus verba referens Nonius [3] ponit, *aedituor*. Siquidem hanc quoque terminationem, aliamque *aedituo*, huic verbo factam esse testatur Lucretii [4] versus,

Hospitibus loca quae complerant aedituentes.

Sic sacrae aedis custodia *aedituatio* dicebatur, ut constat ex marmore apud Gruterum [5], et Vrsatum [6]; ac duo Reinesii lapides [7] tradunt, *L. Politicienum AEDITVASSE ann.* xiI. *vixisse annis* xxviI. et [8] *Norinum Avillium N. F. Cl. Novellium Sacerdotem Dei Silvani vixisse ann.* xxxviI. *AEDITVASSE annis* xiiI. In iis vero, quos edidit Gruterus, quosque exscripsit Smetius, vidit Pighius, et Boissardus [9] recensuit, *Alcimus vixisse* legitur [10] *annis* xxxviI. *AEDITVASSE ann.* x, *C. Cicurinus Asiaticus AEDITVVS Silvani Littoralis AEDITVASSE* dicitur [11] *an.* xvI. *vixisse* LXX. *M.* x. *D.* viI. cujus monumentum aere expressum exhibet Montfauconius [12]. Hujusmodi inscriptionum fidem frustra elevare conatus est Maffejus [13], qui eas e Ligorii fodinis erutas fuisse pro certo habens, verbum *aedituare* a latina consuetudine abhorrere judicavit. Verum ei egre-

1 in fabula Atellana.
2 lib. xiI. c. x.
3 c. iI. n. LII.
4 lib. vI. de Rer. Nat. v. 12. 3.
5 p. CDLXVII. n. 7.
6 de not. Rom. in T. xI. Thes. Graev. pag. 536.
7 in classe v. n. LIII.
8 ibid. n. LIV.
9 T. vI. antiquit. 59, et 126.
10 p. cccxiI. n. 5.
11 p. MLXXXVIII. n. 5.
12 Antiquitas explanationibus, et schematibus illustr. gall. et lat. Paris. 1722. T. v. Par. I. lib. iI. c. viiI. p. 66.
13 in arte critica lapid. lib. iiI. col. 410.

gie satisfecit Cajetanus Cognolatus, qui in pereleganti, atque erudita praefatione, [1] ad praeclarissimum Forcellini Lexicon praemissa, vocem *aedituare* a doctissimo sene inter latinissimas merito adnumeratam fuisse demonstrat. Porro *aeditui*, *qui aedes tuentur*, inquit Paullus [2], *tutores appellabantur*, *quasi tuitores*, *atque defensores*, idemque ex Festo vocat *AEDITVVM Sacrae Aedis tuitorem*, *idest curam agentem*. Ac demum ex Varrone [3], quem Festus, Carisius, et alii [4] sequuntur, discimus, *a quo tueor*, *idest curo*, *etiam quidam dicunt illum*, *qui curat aedes sacras*, *AEDITVVM*. Atque alibi [5], *ab Aede*, *et tuendo*, *AEDITVVS est*. Hinc Arnobius Ethnicos his verbis increpavit [6]; *ac ne forte fur aliquis*, *aut nocturnus irrepat latro*, *AEDITVIS mille protegitis*, *atque excubitoribus mille*. *Cur canes in Capitolio pascitis*? *cur anseribus victum*, *alimoniamque praebetis*? Jure igitur *aeditui* vocem, tamquam legitimam, praeter Cognolatum, agnoverunt Gutherus [7], Vrsatus [8], Argolus [9], Dempsterus [10], Turnebus [11], et Raevardus [12]. Prope sacras aedes, *mansiones* a nobis indicatas, seu conclavia, et cellulas *aedituorum* exstitisse tradit Minutius Felix [13], quas *aedituorum contubernia* Tacitus [14] appellavit, ac Tertullianus [15] dixit *aedituorum Tabernacula*. Id constat ex iis, quae narrat Cicero de *Fano Amnis Chrysae*, cujus simulacrum praeclare factum

1 T. I. p. xiI.
2 Pig. l. xxvI. tit. et leg. I.
3 de lin. lat. lib. vI. c. iI.
4 V. Justinianum sub titulo de tutelis.
5 de L. L. p. 96.
6 lib. I.
7 de jure Manium lib. xI. cap. 31.
8 de Not. Romanor. in Thes. Graevii Tom. xI. pag. 536.
9 in Panvin. de lud. Circens. lib. xI. cap. xiI.
10 in Paralip. ad Rosin. antiquit. l. iiI. cap. 31.
11 Advers. xxxvI. c. 25.
12 Var. lib. I. c. 25.
13 c. xxv.
14 lib. iiI. Hist. c. LXXIV.
15 in Apologetico.

e marmore Verres furari aggressus est, in hunc modum [1]. *Id poscere Assorinos propter singularem ejus Fani relligionem non ausus est. Tlepolemo dat, Hieronique negotium. Illi noctu, facta manu, armatique veniunt: fores aedis effringunt: AEDITVI, custodesque mature sentiunt: signum, quod erat notum vicinitati, buccina datur: homines ex agris concurrunt: ejicitur, fugaturque Tlepolemus: neque quidquam ex Fano Chrysae, praeter unum perparvulum signum ex aere, desideratum est.* Id etiam colligitur ex Plauti verbis [2], *bene vale, ocule mi: nam sonitum, et crepitum claustrorum audio, AEDITVVM aperire fanum.* Ii vero non solum sacra custodire, sed etiam quemlibet, qui ad *Sacraria* supplicatum ibat, admittere tenebantur, ut discimus ex Seneca [3], qui ait: *non sunt ad Caelum elevandae manus, nec exorandus AEDITVVS, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat.* Sic Plinius scripsit [4]: *Non AEDITVI, alteriusve diligentiae, sed relligioni tribuit, quod canis, et musca Herculis templum non intrarent*; atque alibi narrat [5], *Hierapoli Syriae in lacu Veneris AEDITVORVM vocibus parent vocati*: itemque de Signo Hecates in Templo Dianae Ephesiae [6], *in cujus contemplatione admonent AEDITVI parcere oculis; tanta marmoris radiatio est.* Hinc apud Jovis Templum in Capitolio a Domitiano exstructum, domus erat *aeditui*, qui eum servavit, quum Vitelliani arcem incenderunt. Narrat enim Suetonius [7], *ardente Templo apud AEDITVVM clam pernoctavit.* Quod etiam liquet ex Julio Capitolino, qui haec de Pertinace memoriae tradidit [8]. *De castris nocte*

1 in Act. II. lib. IV. p. 370.
2 in Curcul. act. I. sc. III.
3 epist. XLI.
4 lib. X. c. XXIX.
5 lib. XXXII. c. II.
6 lib. XXXVI. c. V. n. 2. p. 729.
7 cap. I.
8 p. 302.

quum ad Senatum venisset, et Cellam Curiae jussisset aperiri, neque inveniretur AEDITVVS, in Templo Concordiae resedit. Propterea a Templis, quorum custodiae praefecti erant, distinguebantur, ut *Aedituus a Vesta* [1], *ab Concordia* [2], *ad Isem Pelagiam*, loco *ab Iside Pelagia*, *Aedituus Martis* [3], *Dianae* [4], *Templi Fortunae* [5], *Sanctae Veneris* [6], *Fortunarum* [7], *Fortunae reducis* [8], *Vernani* [9], *Neptuni*, *Matris Deûm*, *Hortorum Sallustianorum*, *Templi D. Augusti*, et *D. Augustae* [10], *tutelaris Fani* [11], *Sepulcri Servorum Familiae* [12], aliisque id genus sexcentis nominibus.

Iidem, quos *aedetuos* etiam dictos fuisse probat vetus Inscriptio apud Vrsatum [13], pompis Circensibus, post minores Sacrorum ministros, qui turibula, acerras, aliasque arculas aureas, et argenteas ad suffitum ferebant, nono loco, ut erudite demonstrat Panvinius [14], inter majores Sacrorum Ministros procedebant, vasa, pateras, candelabra, lituos, apices, tripodas, simpulla aspersoria, aliaque ejusdemmodi, ad augendum pompae triumphum, ex ordine gestantes.

Quumque sacrarum aedium custodia non modo viris, sed et feminis quandoque committeretur, hinc occurrit etiam *aeditua a Diana*, ut legitur in veteri Inscriptione apud Fabrettum [15], et Gorium [16]; idque muneris

1 Gruter. p. cccxI. n. 4.
2 ibid. p. cccxix. num. 6. 8.
3 ibid. p. MLXXXVIII. n. 7, et apud Reinesium p. 270.
4 in Inscr. nuper in Vrbe detecta apud Morcellium de Stil. Inscr. Lat.
5 ibid. p. cccxix. n. 1.
6 ibid. p. c13. n. I, et apud Reinesium pag. 4. 5, et Gorium de Libertorum Columbario.
7 Bianchini Camera, ed Iscriz. Sepolcr. de' Liberti, Servi, ed Vfficiali della Case di Augusto. Roma 1727. fol. p. 76.
8 ibid. p. 68.
9 ib. 73, et 76, et in Tab. Antiatina p. 13.
10 ibid. p. 10.
11 apud Reinesium p. 53.
12 ibid. p. 31. 1.
13 Not. Rom. in T. xI. Thes. Graev. p. 537.
14 T. IX. Thes. Graevii p. 351.
15 cap. X. n. 235. p. 722.
16 de Lib. Columb. T. III. Thes. Pol. p. 163.

feminis, quas Cicero [1] *Fanorum antistitas* nuncupavit, demandatum fuisse, quoque testantur Inscriptiones ant. Etruriae Vrbium [2], ni potius eas *aedituorum* uxores fuisse putes, quae item Sacerdotio fungebantur.

Eodem etiam verbo translate usus est Horatius, qui Poetam *aedituum virtutis* appellavit, ubi cecinit [3].

Sed tamen est operae pretium agnoscere, quales
Aedituos habeat belli spectata domique
Vir tus.

C A P V T III.

De Magistro Fani, Larium, et Sacrorum.

Qui Fani alicujus curam habebat, *Fani Magister* dicebatur, ut probat Inscriptio Capuae detecta, et a Gunthero [4], et a Pitisco [5] allata.

Q. PETITIO M. F. FAL
MAG. FANI DIANAE

Sic etiam, qui *Larario* praefectus erat, *Larium Decurionem Magistrum Lararium*, aut *Larium Magistrum* vocabant. Vetus lapis sic loquitur.

MARTI AVGVSTO
L. JVNIVS. MAVRVS. LARVM AVG
MAGISTER. DEDIT

Hunc tamen nescio cur Gutherus [6], Laurentius [7], et Pitiscus [8] diversum ab eo fuisse putent, cujus meminit

1 Orat. IX. in Verrem.
2 p. 413. n. 245.
3 epist. II. lib. I. v. 229.
4 de vet. Jure Pontif. lib. III. c. 3.
5 in Lexic. T. II. pag 140.
6 l. c. III. 10, et de Off. domus Aug. III. 29.
7 Var. Sacr. Gentil. cap. XIV.
8 loc. cit.

Suetonius [1], ubi ait, *puer, qui curae Larium cubiculi assistens*. Hujus enim pueri munus fuit, ut ad omnia in *Larario* recte disponenda totus incumberet. Alterius etiam pueri *Lararii custodis* meminit Plinius [2], narrans, *iidem et vultus Epicuri per cubicula gestant, quibus imaginibus puer custodiae appositus*.

Sacrorum etiam *Magister* memoratur in altera Inscriptione apud Gutherum [3], et Pitiscum [4], quam, ne ceteras huc arcessam, ubi hujusmodi *Magistri* frequenter occurrunt, (quid enim omnia consecter?) in medium profero.

MAGILLVS. L. L. PHILOM
AVG. ALLIFIS. MAGIST
IVNONIS. SACRORVM
SIBI. ET SVIS

C A P V T IIII.

De Pastophoris.

Notum est eruditis, haud raro *Pastophori* vocabulum usurpatum ad *Aedituos* indicandos. Quare de hujus etiam denominationis origine, ac vi, nonnulla heic interseri nil prohibet.

Itaque, quum veteres vela varii coloris, quae Templorum atriis praetendebant, graecae παστὸς dicerent, iccirco, ut ex Hesychio Salmasius in Solinum, Sacerdotes, qui eorum curae addicti erant, suaque ibidem domicilia habebant, *Pastophori* quandoque appellabantur. Nonnulli vero ejusmodi nomen derivatum putant a pretioso pallio

1 in Domitiani vita c. xvII. n. 4.
2 lib. xxxv. cap. II.
3 de vet. jure Pontif. 1. 23.
4 in Lexico T. II. p. 141.

Digitized by Google

Sacerdotali, quod in pompis publicis Sacerdotes Aegyptii gestabant, quodque graece *παστός* dicebatur, a *πάσσω* *super injicio*.

Praeterea, quum inter varia *Veneris* epitheta *Venus* etiam *Paſtophoros* occurrat, quasi *Thalamiſera*, seu *Murcia*, et *thalami amica*, ut Gorius [1], et Patinus [2] interpretantur, hinc ejusdem Sacerdotes *Paſtophori* identidem dici potuerunt, vel, ut Ducangius [3] putat, a *thalamis*, vel *aediculis*, in quibus circumgestanda Deorum simulacra posita erant, quaeque *paſtophoria* vulgo dicebantur.

Quam quidem prae ceteris sententiam confirmant vetera monumenta. Nam Montfauconius bilinguem Inscriptionem refert a se Florentiae descriptam in Villa Strozzia ad montem Hugonis, quae sic habet [4].

. . . . , . D . . . . . . NOTA
. . . . S . . . .
. . . . MEDEAE NILO
. . . . VDICA
. . . . XANDRIA CVI FLOS
. . . . VM IVVENTAE
. . . . . ARCARVM NOTA SVSTV
. . . . NVIDA DITI
. . . . C ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ ΚΟΡΗ ΠΡΟΠΟ
ΛΟC ΔΙΟΝΥCΟΥ
. . . ΙCΤΟΦΟΡΟC ΤΕ ΘΕΑC ΝΕΙΛΩΤΙΔΟC
ΕΙCΙΔΟC ΑΓΝΗC
ΕΙΚΟCΙΔΙC ΠΛΗΡΩCΑCΑ ΧΡΟΝΟ (sic)
ΚΕΙΤΑΙ ΛΥΚΑΒΑΝΤΩΝ

Montfauconius in tertio versu *πασοφόρος* legendum esse

1 ad Mus. Corton. pag. v.

2 in Comment. ad monum. Marcellinae in T. II. Thes. Poleni p. 1122.

3 in Glossario.

4 in Diario Italico pag. 361. Pariſiis 1702. 4.

Digitized by Google

docet, atque hanc esse totius Inscriptionis sententiam.

.... Alexandra puella famula Bacchi,
Et thalamifera Deae Niliacae Isidis castae,
Bis viginti annos quum impleverit, heic jacet.

Eidem Gorius suffragatur, qui, ubi hanc ipsam Inscriptionem ad marmoris fidem recusit [1], etsi pridem legendum esse putaverit ΚΙCΤΟΦΟΡΟC, *Cistam mysteriorum ferens*, deinde retinendam esse duxit Montfauconii lectionem ΠΑCΤΟΦΟΡΟC *thalamifera*, *quae Isidem in tabernaculo collocatam gestaret*, *et circumferret*.

Hujusmodi *aediculas*, sive *armaria*, quibus inclusa Deorum simulacra circumferebant, Strabo [2] *ναίσκους* appellat, ac Polybius *ναΐδια* [3], de quibus duas dissertationes exaravit Christ. Gotthold Wilischius [4]. Iisdem adde Joh. Henrici Sederlini *Meletema philologicum de Templis argenteis Dianae Ephesiae*, *Actor.* XIX. 24. [5], et Joh. Andreae Schmidii *Dissertationem de Templis Demetrii argenteis* [6], fabri nimirum argentarii, qui magnam auri vim sibi comparavit, confectis, et venditis aediculis portatilibus argenteis, in quibus *ὡς κιβωρίοις μικροῖς*, ut ait Chrysostomus,

1 Inscr. Ant. in Etrur. Vrbibus extantes p. I. num. CXXVIII. p. 373.

2 lib. XIV. pag. 637.

3 V. Interpret. ad locum Actor. XIX. 24. Salmasium ad Solinum p. 1141. edition. Paris. Diodorum Siculum lib. XX. p. 756. Graevium ad Flori lib. IV. c. II. p. 550. Joh. Phil. Thomasinum de libellis votivis c. II. p. 26. Joh. Spencerum lib. III. de leg. Hebr. p. 21. Gisb. Cuperum in Harpocrate p. 131. Joh. Michaelem ad Gaffarelli curiositates inauditas. Johannem Branniom lib. IV. Select. Sacror. p. 497. Joh. Faes in Mantissa ad Dougtejum de Calicibus Eucharisticis. Tobiam Gutberlethum de Saliis p. 93. Maittaire ad Marm. Oxoniensia p. 185, 189. Vector. in cultu Cybelis p. 53. Pelliccia de Templorum origine, deque Aris domesticis Paganorum, atque Christianorum. in T. III. de Christ. Eccl. Politia p. 238, et in T. IV. de Templis gestatoriis, deque sacris antiquorum Rhedis pag. 232. Neapoli 1781.

4 de veterum Ναΐδίοις. Lipsiae 1716, et 1717. 4.

5 In Tempe Helvet. Tom. IV. p. 346.

6 Jenae 1685. 8.

simulacrum exstabat *Magnae Dianae*, ad exemplum *Simulacri Ephesini*, cujus *quondam aedem*, ut perhibet Dionysius [1], *Amazonides struxerunt in trunco stipite ulmi, immensum hominibus miraculum*, et in cujus Templo *ducentis, et viginti annis facto a tota Asia* [2], *velum subter lacunar sursum attollebatur* [3], contra quam fieri solebat in aede Jovis Olympici, *ubi ad pavimentum usque laxatis funibus demittebatur*.

Praeterea exstant duo perquam insignia simulacra, quae allatam Ducangii sententiam mirifice illustrant. Alterum eorum, quod inter cimelia Musei Pii Clementini admiratur, exhibet *Pastophoram* puellam affabre insculptam marmore basaltes viridis coloris, talari veste notis hieroglyphicis distincta, ornatam, ac gestantem in capsula Hori fasciis involuti imaginem, ut videre est in eleganti icone, quam protulit Cl. Karolus Fea [4]. Alterum vero in eodem Museo adservatum, *Pastophorum* repraesentat cercopitheci sedentis imaginem in aedicula praeferentem [5].

Verum quandoque, vel ipsa Templa, *Pastophoria* vulgo nuncupata fuisse testatur graeca Inscriptio Musei Veronensis, quae est hujusmodi [6].

1 Dionysius Perieg. in Orbis descript. graece, et latine cum veterum Scholiis, et Eustathii comment. Oxonii 1697. 8 p. 74. Callimachus in Hymno in Dianam. ver. 236.

2 Plin. l. xxxvI. c. xiv. V. Claud. Menetreii Symbolicam Dianae Ephesiae statuam expositam. Access. Luc. Holstenii Epist. de fulcris, seu verubus Dianae Ephes. simulacro appositis, et Joh. Petr. Bellorii notae in numism. tum Ephesia, tum aliar. urbium apibus insignita. Romae 1688. fol. et in T. vII. Thes. Graec. Gronov. p. 357. Joh. Nic. Schulini Diss. de Diana Ephesia. Wittemb. 1687. 4, et in Thes. Theol. Phil. T. II. p. 491. Diss. Jo. Poleni sopra il Temp. di Diana Efesia nel T. 1. delle Diss. dell' Acad. di Cortona. P. II. p. 1. Visconti Mus. Pio-Clementino T. 1. p. 66. et T. II. p. 80.

3 Pausanias l. v. pag. 309. V. Philip. Bonarota Osserv. sopra alcuni medaglioni p. 20, et Winchelmann nella Stor. dell' arti del disegno, ediz. Rom. T. III. p. 69.

4 nel T. 1. della Storia delle arti del disegno di Gius. Winchelmano Tav. vII. pag. 83. 85. 87. 99. 106. 129. Tom. III. pag. 430. 435. V. Visconti Museo Pio-Clement. T. II. p. 31. 32. 34. 35. 39. 106.

5 ibid. Tom. 1. pag. 98.

6 apud Petr. Bembum in Epist. Ital. T. II. Gruterum p. LXXXIV. 3. Maff. p. xxxvII. n. 2, et Steph. le Moine de Melanophoris in T. II. Thes. Sallengr. p. 590.

Digitized by Google

ΘΕΟΦΙΛΟΣΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣΜΕΛΑΝΗ
ΦΟΡΟΣΤΗΝΚΟΝΙΑΣΙΝ
ΤΟΥΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ
ΚΑΙΤΗΝΓΡΑΦΗΝΤΩΝ
ΤΕΤΟΙΧΩΝΚΑΙΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙΤΗΝΕ . .
ΚΑΥΣΙΝΤΩΝΘΥΡΩΝ
ΚΑΙΤΟΥΣΠΡΟΜΟΧΘΟΥ . : .
ΤΟΥΣΕΝΤΟΙΣΤΟΙΧΟΙ . . .
ΚΑΙΤΑΣΕΠΑΥΤΟΙΣΣΑΝΙ . .
ΑΝΕΘΗΚΕΝΣΑΡΑΠΙΔΙΙ . . .
ΑΝΟΥΕΙΔΙΑΡΠΟΚΡΑΤΕ . .
ΕΠΙΙΕΡΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΥ

Praeclarum hunc lapidem ita interpretatus est Maffejus. *Teophilus Theophili filius, Antiochenus, Melanophorus, Tectorium Pastophorii, picturasque tum parietum, tum laquearis, et portarum, picturam encausticam, et paxillos, qui ad parietes sunt, et tabulas ipsis superpositas dicavit Serapidi, Isidi, Anubidi, Harpocrati, sub Sacerdote Seleuco Andronici filio Rhamnusio*. Porro *Serapidis* Templum ita describit Rufinus [1]. *Jam vero in superioribus extrema totius ambitus spatia occupent exedrae, et PASTOPHORIA, domusque in excelsum porrectae, in quibus vel aeditui, vel hi, quos appellant, ἁγνεύοντα, id est, qui se castificant, commanere soliti erant.*

Propterea apud Aegyptios Isidis, et Osiridis Sacerdotes, qui inter ceteros honoratiores, ac supremi gradus erant, *Pastophororum* titulo decorabantur, ac praeter Templi custodiam, omnia arcana ejusdem mysteria pro-

1 in libro II. Historiae Ecclesiasticae cap. XXIII.

be callebant. Eorum auctoritatem, et gratiam, qua apud Populos fruebantur, ita describit Apulejus [1]. *Tunc ex his unus, quem cuncti Grammatea dicebant, prae foribus assistens, coetu PASTOPHORORVM, quod sacrosancti Collegii nomen est, velut in concionem vocato, indidem de sublimi suggestu, de libro, de literis fausta vota praefatus Principi Magno, Senatuique, et Equiti, totique Romano populo, nauticis Navibus, quaeque sub imperio Mundi nostratis reguntur, renuntiat, sermone rituque graeciensi* ΛΑΟΙΣ ΑΦΕΣΙΣ, *qua voce feliciter cunctis evenire signavit. Populi clamor insequutus.* Eorum vero habitum ex alio ejusdem Apulcji loco licet deprehendere, ubi narrat [2]. *Proxima nocte vidi quemdam de sacratis linteis intectum, qui thyrsos, et hederas, et tacenda quaedam gerens, ad ipsos meos Lares collocaret; et occupato sedili meo, relligionis amplae denuntiaret epulas... de PASTOPHORIS unum conspexi statim praeter indicium pedis, cetero etiam statu, atque habitu examussim nocturnae imagini congruentem.* Ac rursus, ubi sese in hujusmodi Collegium cooptatum fuisse gloriatur, *denique*, inquit [3], *post dies admodum pauculos Deus Deûm magnorum potior, et majorum summus, et summorum maximus, et maximorum regnator Osiris, non in alienam quampiam Personam reformatus, sed coram suo venerando me dignatus affamine per quietem praecipere visus est, quum non inconstanter gloriosa in foro redderem patrocinia; nec exstimescerem malevolorum disseminationes, quas studiorum meorum laboriosa doctrina ibi exercebat. Ac ne sacris suis gregi cetero permixtus deservirem, in Collegium me PASTOPHORORVM suorum, imo inter ipsos*

1 lib. xI. Metam. pag. 205. V. Diss. su l'âne d'Or d'Apulee dans le T. xxxiv. de l'Histoire de l'Academie Royale des Inscriptions p. 54.

2 ibid. p. 213.

3 sub finem ejusd. lib. p. 215.

Decurionum Quinquennales elegit. Rurſus denique quam raro capillo Collegii vetuſtiſſimi, et ſub illis Sullae temporibus conditi munia non obumbrato, vel obtecto calvitio, ſed quoquoverſus obvio gaudens obibam.

Ex his autem patet, Cives Induſtrienſes ab Aegyptiis *Paſtophororum* nomen, ac dignitatem mutuatos eſſe, ut auguſtiori, novoque titulo, majorem ſibi penes Populum reverentiam, cultumque conciliarent. Ita enim hanc vocem explicandam cenſent, praeter Scipionem Maſſejum [1], Joh. Paullus Ricolvius, et Antonius Rivautella, in explanatione veteris Inſcriptionis, ex qua verum Vrbis Induſtriae ſitum detegere conati ſunt. En tibi illam [2].

GENIO ET. HONOR
L. POMPEI . L. F. POL. HEREN
NIANI . EQ. ROM. EQ. PVB
Q. AER. PET . ALIM. AEDIL
IIVIRO . CVRATORI
KALENDARIOR . REI . P
COLLEGIVM . PASTO
PHORORVM . INDVS
TRIENSIVM . PATRO
NO . OB . MERITA

T . GRAE . TROPHIMVS . IND. FAC

Paſtophororum caeremonias plures ſcriptores, praeter eos,

1 in veteri Inſcript. Veron. Muſ. p. 230.
2 Il ſito dell' antica Città d' Induſtria ſcoperto in un' antica Iſcrizione, ed illuſtrato. Torino 1745. 4, et inter Symb. Liter. Gori Dec. II. vol. I. pag. 146. et 140.

Digitized by Google

qui de veteri Aegyptiorum idololatria generatim [1] pertractarunt, fuse, ac erudite explicarunt. Sed praecipue consulendi sunt Gutherus [2], Cuperus in Harpocrate [3], cui adjecta est Steph. le Moine epistola singularis ad eumdem de Melanophoris [4], I. G. Bidermannus [5], Jac. Godofredus [6], Joh. Marshamus [7], Henr. Witsius [8], Jos. Laurentius [9], et Joh. Nicolaus de *Synedrio Aegyptiorum*, ubi de Sacerdotibus Aegyptiorum universe disseruit.

C A P V T V.

De Hierodulo, Hierophanta, et Hierophylace.

Sacrarum aedium custodiae, ac ministerio praepositos, interdum etiam *Hierodulos*, *Hierophantas*, *Hierophylaces* dictos fuisse animadverti velim. Ita *Hieroduli* vocem explicat Jul. Firmicus [10]; *aedituos faciet templorumque custodes, HIERODVLOS, et qui sacris officiis deputentur*; atque alibi [11], *HIERODVLOS faciet, atque Templorum servos*. Hoc etiam

1 Henr. Jac. van Beshuysen de Iside magna Deorum Matre. Servestee 1719. Frenc. Isellinus de Dea Iside in T. xxxix. collect. opuscul. scientif., et philolog. pag. 297. Joh. Olivae Exercitationes in marmor Isiacum. Romae 1719. 8. Joh. Bapt. Passerius. vol. III. Thes. gemmar. antiquar. astriferar. diss. III. Museum Romen. Sect. I. Tab. II, et Tab. III. Boernerus, in Antiq. Medicinae Aegypt. §. VIII, et §. XV. Calliachius Diss. de Osiride in T. IV. Thes. Poleni p. 305. Eberh. Rud. Rotius de Osiride, Iside, Horo, ac Typhone, Diis olim Aegypt. Jenae 1671. 4. Adam Tribbechovius in Diss. de Osiride. Kilon. 1671. 4. Cast. Innoc. Ansaldus de veteri Aegyptiorum idololatrie. Neap. 1738. 8, et in T. XXIII. Opusc. Calogera p. 135.

2 de vet. Jure Pontif. in Tom. V. Thes. Graevii pag. 419.

3 p. 129, at in T. II. Thes. Sallengr. pag. 492.

4 p. 257, et in T. II. Thes. Sellengr. p. 590.

5 in Prolusione de Pastophoris. Numb. 1746. 4. et in Otior. Liter. varii generis P. I. p. 180. Lipsiae 1751. 8.

6 ad vet. exposit. Mundi pag. 25.

7 in Can. Chronico.

8 in Aegyptiacis.

9 Varia Sacra Gentilium. in T. VII. Thes. Gronov. peg. 152.

10 lib. VIII. Matth. cep. XXI.

11 ibid. cap. XXIX.

nomen usurparunt graeci bibliorum interpretes [1], et Cedrenus in Julio [2], ut Henricus Valesius in Eusebii explanatione [3] adnotavit.

Hierophanta, *et Hierophantes* vocabatur [4] Antistes, atque interpres Sacrorum apud Graecos, et Aegyptios. Quocirca Seneca [5], et Proclus [6] translate loquentes, Philosophum, non modo unius cujusdam Civitatis, aut sacrorum municipalium cultorem, sed ingentis omnium Deorum Templi *Hierophantam* esse volebant. Hos enim Sacerdotes, inquit Dionysius Halicarnasseus, disserens de Pontificis institutione [7] *sive quis vocaverit* ἱεροδιδασκάλους, sive ἱερονόμους, sive ἱεροφύλακας, sive ut nos censemus, ἱεροφάντας, *a veritate non aberravit*. De iis ita loquitur Hesychius. *HIEROPHANTA*, *mysteriorum Dux*, *Sacerdos mysteria docens*. Nam, ut ait Diogenes Laertius [8], *HIEROPHANTA non initiatis mysteria exponit*. Ejus vero nomen prodere nefas erat iis, qui ab eodem fuerant initiati. Sic enim docet Eunapius in Maximo. *Quum igitur haec quoque egregie essent acta, quum audivisset aliquid amplius esse in graecia apud Dearum HIEROPHANTVM, citus etiam ad illum cucurrit. HIEROPHANTAE autem istius temporis, quod fuerit nomen, non mihi fas dicere. Consecrabat enim eum, qui haec scribit, et in Eumolpidas duxit.*

Praeterea insignis erat veste, coma, et strophio, ac in *mysteriis Eleusinis*, ut ab Eusebio [9] discimus, *Hierophanta quidem ad effigiem opificis ornabatur*. Et sane Plu-

1 In lib. Esdrae cap. II. VII. VIII. de Nethinnaeis.
2 pag. 167.
3 lib. I. pag. LXVI.
4 Maittaire Marm. Oxoniens. p. 405. 503.
5 in epist. XC.
6 in ejus vita c. XIX.
7 in Antiquit. Rom.
8 lib. VII. cap. CLXXXVI.
9 de praep. Evang. lib. III.

tarchus etiam Alcibiadem describit *indutum veste, qualem habens HIEROPHANTES monstrat sacra*. Aetas quoque, et vox propria esse debebat. Sic Arrianus in Epictetum [1]. *Non habes vestem, qua oportet uti HIEROPHANTAM, non comam, non redimiculum, quale convenit, non vocem, non aetatem.*

Qui vero Atheniensis non esset, ac nullis aliis sacris obstrictus, *Hierophanta* esse non poterat. Testem profero Eunapium, qui paullo post locum superius allatum, haec subdit a Meursio [2] restituta. *Es palam testificatus, quemadmodum post eum futurus esset, cui nefas erat HIEROPHANTICOS tangere thronos, quoniam aliis Diis consecratur, et juravit arcanas jurandi formulas, non curaturum alia sacra. Attamen dicebat, eum praestitem futurum, etsi Atheniensis non esset.*

Primus eorum Eumolpus fuisse traditur, et ab eo, qui de gente ipsius essent, Εὐμολπίδαι nuncupati. *Ita posteri Eumolpi*, inquit Hesychius, *vocabantur, qui primus HIEROPHANTA fuit: multi autem fuerunt eodem nomine.* Jure igitur Meursius a Suidae opinione recessit, qui inepte scripsit, *HIEROPHANTAM primum appellatum fuisse, qui decernebat ex bello discedentia sacra*. Ex Eumolpidis profecto legi deinceps *Hierophantas* consuevisse Arnobius testatur, ubi ait [3]. *Eumolpus, a quo gens fluit Eumolpidarum, et ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, et qui postea floruerunt, Caduceatores, HIEROPHANTAE, atque praecones*. Huic adstipulatur Clemens Alexandrinus in Protreptico, ubi *Eumolpidarum HIEROPHANTICVM illud Athenis genus ab Eumolpo floruisse* scribit. Adde

1 lib. III, et XXI. pag. 139.
2 in Eleusinis in T. VII. Thes. Gronov.
3 lib. V. pag. 174.

Taciti testimonium, qui haec habet [1]. *Timotheum Atheniensem ex gente Eumolpidarum, quem et Antistitem caeremoniarum Eleusi exciverat, quaenam illa superstitio, quod numen interrogat?* Videtur etiam Macrobius *Hierophantam* designare, ubi ait [2], *ut AEDITVVS responsa Numinis sui praedicat*. De eo certe loquitur Cornelius Nepos, ubi narrat [3], *allata est epistola Athenis ab Archia Hierophanta*. Denique, ne nimius sim, praeter Franciscum Roum [4], Meursium [5], Vandalejum [6], Sponium [7], Joh. Fassoldum [8], Petrum Castellanum [9], et Joh. Ionstonum [10], de *Hierophantarum* origine multo antea meminerunt Sopater [11], et Tertullianus [12].

Quum vero hoc munere toto vitae cursu fungerentur, iisque matrimonio abstinendum esset, ut incendia libidinum reprimerent, Diisque suis non minus relligiosa, quam casta offerrent sacrificia, sese cicutae liquore perungebant. Nam, veteri Persii interprete docente [13], *CICVTA calorem in nobis, frigoris sui vi extinguit, unde Sacerdotes Cereris Eleusiniae liquore ejus ungebantur, ut a concubitu abstinerent*. Alii vero a Kirchero [14] memorati tradunt, eos potu *cicutae* (quam vim Plinius [15] ei tribuit) vires libidinis extinguere consuevisse. In hanc rem audi Hieronymum [16]. *HIEROPHANTAS Atheniensium usque hodie CICVTAE sorbitione castrari, et postquam in Pon-*

1 lib. IV. Historiar.
2 lib. II. Saturnal. cap. III.
3 in Pelop. cap. III.
4 in Archaeolog. Attic. lib. II. c. VIII.
5 lib. de Sac. Eleusinis cap. XIII.
6 Diss. VI. cap. V. pag 500.
7 in supplem. ad Meursium de Populis Atticae. in Tom. IV. Thesaur. Gronov. p. 712.
8 de Festis Graecorum ibid. p. 547.
9 de Festis Graecor. ibid. p. 659.
10 de Festis Graecor. ibid. p. 984.
11 in divis. quaest.
12 lib. I. adv. Marcionitas cap. XIII.
13 Sat. V.
14 Tom. I. Oedipi pag. 240.
15 lib. XXIV. cap. XIII.
16 in fin. lib. I. contra Jovinianum.

tificatum fuerint evecti, viros esse desinere; atque alibi [1]; *HIEROPHANTA apud Athenas eviratur, et aeterna debilitate fit castus*. Ita Sacerdotes *Cereris*, ac *Deae Syriae*, Luciano teste [2], perpetuo caelibatum servabant; ac, ut taceam, ne vulgaria, et pervagata consecter, de Gallis Sacerdotibus *Rheae*, sive *Cybeles* Deorum Matris, qui genitalia sibi acuto lapide abscindebant, apud Aegyptios, Sacerdotes *Abii*, et *Anymphi* [3], ut in casta relligione manerent, herbis venenosis sese emasculabant, et virilitate privabant, et *Megabyzi*, sive Sacerdotes *Dianae Ephesiae*, ut refert Strabo [4], galli erant, sive spadones. Quae quidem lucem afferunt iis Angelomi verbis [5]. *Tradunt Haebraei emptum ab hoc Putiphare Joseph ob nimiam pulcritudinem in turpe ministerium, et a Domino, viribus ejus arefactis, postea electum esse, juxta morem HIEROPHANTARVM, in Pontificatum Heliopoleos*.

Ceterum hujusmodi Sacerdotes interdum uxores habuisse, quae *hierophantriae* dicebantur, probant veteres Inscriptiones apud Gruterum [6], et Pitiscum [7], iisdem fere verbis conceptae, quarum una haec est.

APVD REGINAM DEABVS TAVRO
BOLITAE . ISIACAE . HIEROPHAN
TRIAE DEAE HECATE GRAECO SA
CRANEAE . DEAE CERERIS

Id praecipue apud Celeenses fieri potuit, ubi quarto quoque anno novus quispiam *Hierophanta* legi pote-

1 Epist. xI. ad Gerontium de Monogam.
2 T. IIII. p. 467. Vide Theod. Canter. lib. II. c. xxI. de castu Isidis, Cybeles, Cererisque. Valesium ad Sozomeni l. v. cap. III. Huetium ad Antholog. p. 48.
3 Petri Hendreich Massilia in Tom. vI. Thes. Gronovii pag. 2960.
4 Tom. II. lib. xIv. pag. 950.
5 In Genesim c. xxxIx. in T. I. anecdot. Bern. Pez. part. I. col. 217.
6 p. cccIx. n. II. et inscr. cxcII. n. III.
7 Tom. II. pag. 94.

rat, cui uxorem ducere licebat. Tradit enim Pausanias in Corinthiacis. *Celeae autem quinque admodum stadia ab urbe absunt, et CERERI illic quadrienniis singulis, non unoquoque anno Sacrum celebrant. HIEROPHANTA vero non ad omnem vitam creatur, sed per singula festa diversus ab illis eligitur; habens etiam, si volet, uxorem. Et haec quidem discrepantia ab Eleusinis nominant.* Porro de Sacerdotibus feminis variarum Dearum apud Graecos, Romanosque, docte pertractarunt Montfauconius in Paleographia Graeca [1], et Carolus Patinus [2] in Commentario ad vetus monumentum Marcellinae, ubi agit de tribus ordinibus Antistitum feminarum, praeter quas erant etiam aliae iisdem Sacerdotibus feminis ministrantes.

Verum *Hierophantas* plerumque *Hecatae* Ministros fuisse declarant vetera monumenta. Nam praeter allatam inscriptionem, aliasque, quas proferre possem [3], lapis effossus in horto Aedis S. Mariae Novae, inter rudera Templi Solis, haec habet [4].

DEO . SOLI . INVICTO
SACRVM
T. FLAVIVS . AVG. LIBER
PERINASYVS . IEROPH
ANTA . HECATAE ET
IEROCERIX . D. S. I. M.
V. S. L. M.

1 pag. 160.
2 Patav. 1688. 4. et in Tom. II. Thes. Poleni pag. 1089.
3 apud Gruterum pag. xxvII. num. 4. xxvII. n. 9. cccIx. n. 2. Gudium p. XLIX. 4. et Sertor. Vrsatum de Notis Romanor. in T. xI. Thes. Graevii pag. 743.
4 apud Gudium p. xxIII. et Gutherum de jure Pontif. in Tom. v. Thes. Graev. pag. 49.

Itemque alter in colle Aventino repertus, est hujusmodi [1].

HECATAE SACRVM
T. FLAVIVS . ONCHESTVS . AVG. LIB
SACERDOS . SOLI . INVICTO . MITHRAE
HIEROPHANTA . HECATAE . ARCHIBVCVLVS
DEI . P. LIBERI . ET
HIEROCERIX . DEI . SOLI . PACIFERO . AN
XIII. SACERDOS . COOPTAT . COLL. FERON
. . . . SACRAVIAN
. . . . CONTVLERVN
. . . .

Aliorum etiam *Hierophantarum* mentio fit in Historia Pacificationis inter Rodulphum II. Imperatorem, et Imperatorem Turcarum anno MDCIV. [2]. *Ad proximum igitur Tentorium, illius rei gratia tapetibus structum, ostensum est, quorsum Turcae cupide adulantes.... ritu gentili, et barbaro humi se sternunt, ac uno HIEROPHANTARVM clamore, et cantu prae reliquis personante, pectora tundunt, faciem, barbas promissas palmis permulcent*. Item lex Arcadii, et Honorii de Paganis Sacrificiis, et Templis [3] memorat *Horophantas*, ubi tamen alii rectius legunt *Hierophantas*, et sacerdotes intelligunt, qui extra Vrbem per agros degebant, ut explicat Gutherus [4].

Aedituus, et Sacrorum Custos etiam ἱεροφιλαξ graece dicitur apud Scaevolam editionis Haloandri [5], et latine *Hierophylax* apud Torrentinum.

1 apud Gruterum p. XXVII. n. 4.
2 apud Ludewig. T. VI. p. 309.
3 lib. XVI. Cod. Theod. tit. X. l. XIV.
4 de vet. Jure Pontificio in T. V. Thes. Graevii pag. 81. V. Christ. Braunhardt de Hierophantis Judaeorum. in Tom. II. Thes. Theol. Philol. pag. 952.
5 Dig. l. XXXIII. tit. I. leg. XX.

CAPVT VI.

De Mystagogo, et Neocoro.

Praeterea rerum sacrarum custodiae, ac ministerio praepositus, *Mystagogus* dicebatur, ut apud Varronem [1] videmus. Hesychius etiam inquit ἱεροφάντης, μυσταγωγός, ὁ τοῦ μυστήρια δεικνύων, *Hierophantes, mystagogus, mysteria monstrans*; atque alibi μυσταγωγὸς ἱερωστης, ὁ τους μύστας ἄγων. *Mystagogus Sacerdos mystas ducens*. Huc faciunt Menandri versus.

Vnicuique daemon viro adest,
Statim nascenti mystagogus vitae.

Eodem vocabulo haud semel usus est Symmachus. Ait enim [2] *eumdemque in domus tuae SACRARIVM, tanquam MYSTAGOGVS induco*; atque alibi [3] *hunc in amicitiam tuam, tanquam MYSTAGOGVS induco*; ac rursus [4], *eos in clientelam tuam, quasi MYSTAGOGVS inducam*. Praeterea

. . . ORBIANVS
MYSTAGOGOS
. . . . PLASTES

occurrit in inscriptione Musei Kircheriani apud Maffejum [5]. Praecipue tamen *Mystagogum* vocabant, qui hospitibus sacra solebat ostendere, eorumque pretium, ac dignitatem explicabat. *Qui hospites*, inquit Tullius [6], *ad ea, quae visenda sunt, ducere solent, et unumquidque ostendere, MYSTAGOGOS vocant*. Sic etiam S. Polyeuctus martyr Melitensis in Armenia [7], profani ritus ministrum increpavit, inquiens, *o scelerate, et profanorum MYSTAGOGE simulacrorum, cur me insidiosis tuis, et uxoris lacrymis studes*

1 apud Nonium c. IV. n. 487.
2 lib. IX. episl. IX.
3 lib. IV. epist. XXVI.
4 lib. VII. epist. XLV.
5 Mus. Veron. p. CCLVII. n. 5.
6 in Verr. Act. II. lib. IV. T. IV. p. 380.
7 Sur. ex Sim. Metaphr. p. 136. act. SS. Boll. T. II. Feb. p. 650. et in Macri Hierolexico.

abducere a confessione in Christum? Deum ipsum *mystagogum* S. Methodius [1] appellavit, quod Moysen sacros ritus docuerat, ubi scripsit. *Deum Abraham, Protectorem Isaach, Sanctum Israel, Moysae MYSTAGOGVM.*

Alter vero titulus, quo sacrarum aedium Custodes gaudebant, ille profecto erat *Neocori*, ut in etymologico, et apud Suidam explicatur, probatque vetus Inscriptio [2], quam prae ceteris, qui eam ediderunt, accuratius protulit eruditissimus Joh. Christ. Amadutius [3].

AGORII

VETTIO . AGORIO . PRAETEXTATO . V. C

PONTIFICI . VESTAE	QVAESTORI
PONTIFICI . SOLI	CANDIDATO
QVINDECEMVIRO	PRAETORI VRBANO
AVGVRI	CORRECTORI . TVS
TAVROBOLIATO	CIAE . ET VMBRIAE
CVRIALI	CONSVLARI
NEOCORO	LVSITANIAE
HIEROPHANTAE	PROCONSVLI
PATRI . SACRORVM	ACHAIAE
	PRAEFECTO VRBI
	PRAEE (sic) . PRAET . II
	ITALIAE . ET . YLLIRICI
	CONSVLI
	DESIGNATO

1 in Bibl. PP. Lugdun. T. III. p. 675.

2 apud Gruterum p. 1111. n. 2. Aldum in Orthographia. Salmas. in Lamp. Struv. Ant. Rom. c. x. p. 484. Vandale in diss. de Oraculis Ethnicorum p. 124, et de Taurob. Diss. I. cap. v. p. 8. Pitiscum T. II. p. 903. Gud. p. 56. n. 2. et 105. n. 7. Joh. Jacob. Chiffletium in Geminiae Matris Sacror. titulo explicato. Antuer. 1634. p. 8. Contelorium de Praef. urb. p. 62. Corsinium in nova Serie Praefect. urbis pag. 243. Sponium in miscell. erud. ant. Sect. IV. pag. 149.

3 T. III. Mon. Matth. in Cl. x. vet. Insc. p. 107.

a latere sinistro

DEDICATA . KAL . FEBR
D. N. FL. VALENTINIANO . AVG. III
ET . EVTROPIO . CONSS

Eorum custodiae Templorum claves committebantur, ut constat ex Aristide [1], ex numo M. Antonii Triumviri, et ex Theophylacto [2]. Saepe igitur ipsae Civitates, populique *Neocoros* se dicebant, in quorum regione situm esset Templum, totius provinciae comune, et publica omnium cura tuendum. Ita *Magnetes Leucophrynae*, *Ephesii Dianae Neocori* dicebantur. Hac notione vocem νεωκόρον accepit Lucas [3]; *viri Ephesii, quisnam est hominum, qui ignorat, Ephesiorum Civitatem AEDITVAM* νεωκόρον *esse magnae Deae Dianae, et simulacri e caelo delapsi*? Pari modo insulam *Con*, ubi Templum erat *Aesculapii*, Graecorum, atque insularum cultu celebre, *AESCVLAPII MINISTRAM*, quasi νεωκόρον, Tacitus vocat, narrans [4]. *Quin etiam dixit Xenophontem eadem familia ortum, precibusque ejus dandum, ut omni tributo vacui in posterum COI sacram, et tantam DEI MINISTRAM insulam colerent*. Praeterea Iulius Firmicus ait [5]; *Serapis in Aegypto colitur, heic adoratur. Hujus simulacrum NEOCORORVM turba custodit*; atque alter Firmicus [6], *ista conjunctio faciet NEOCOROS*, quos tamen *ZACORIS* inferiores fuisse adnotavit Nicolaus Pinellus [7]. Quumque huic *Neocororum* multitudini aliquis praeesse deberet, hinc Octavius Falconerius [8] recte

1 Orat. I.
2 cap. XIX.
3 Act. c. XIX. n. 35.
4 Annal. l. XII. c. 61.
5 c. XIV.
6 lib. IV. Matheseos.
7 in additam. ad Panvin. de ludis Circ. in T. IX. Thes. Graevii p. 546.
8 ad Inscript. athlet. in T. VIII. Thes. Gronov. p. 2354.

adnotavit, Aurelium Asclepiadem in inscriptione Farnesiana πρεσβύτατον τῶν νεωκόρων, *seniorem* scilicet *Neocororum, sive Aedituorum* fuisse nuncupatum. Item, quum Imperatores in Deorum numerum referebantur, urbes in illorum honorem templa erigendi veniam postulabant, ut a Tacito [1] colligimus, ex quibus Cives sui *Neocori* fiebant. Ad id tamen SCto [2] opus erat, quod eximii honoris loco a populis habebatur. Successu deinde temporis Civitates *Neocoriam* obtinuerunt, ut pro salute Imperatoris sacra facerent, templa excitarent, ibique certamina vel jam antea Diis dicata, ut Ἄκτια, Πύθια, aut his similia, vel nova ab Imperatorum nominibus, qualia Αὐγούστεια, Κομμόδεια, aliaque ederent; unde eadem Vrbs identidem secundam, imo et tertiam obtinuit *Neocoriam*, nimirum Augustorum. De Vrbium νεωκόρων appellatione, praeter quamplures Scriptores, qui obiter de ea pertractarunt [3], praecipue consulendi sunt Albertus Rubenius [4], Ioh. Albertus Sylingius [5], Carolus Valoi-

1 lib. I. annal. c. LXXVIII.

2 Pet. Faber in semestr. lib. III. c. I. Ger. Ioh. Vossios in Etymol. T. I. Opp. p. 346.

3 Interpretes ad Actor. XIX. v. 35. Oct. Falconer. de num. Apameeosium. Selden. ad marmora Oxon. pag. 68. 97. et 100. Samuel Petitus Variar. lection. c. XXIX. in Criticis Anglicanis, et in var. lection. Petiti. Paris 1633. 4. l. IV. cap. 9. Ismael Bullialdus ad Ducam p. 225. Ducangius in gloss. graeco, et lat. Chr. Sigism. Liebe in Gotha numaria p. 101. 182. 325. 326. 332. 342. 374. 380. Gisbertus Coperus in epist. ad Anton. Vandale pag. 478. 484. 499. Andreas Morellus in specimine rei num. pag. 37. Joh. Harduinus in nomis urbium illustratis p. 2. Montfauconius Tom. II. supplem. Antiquit. explicat. p. 27. 45. 46. Anselmus Bandurius Tom. I. Numism. Imper. pag. 32. et 132. Joh. Michael Dilherrus T. I. Disputat. Philol. p. 233. Ant. Augustinus Dial. V. Seb. Erizaus Part. II. de nomismat. veter. Adolph. Mekercus, de linguae graecae pronunt. pag. 53. Norisius. Goltzius. Casaubonus ad monumentum Anciranum. Seldenus ad marmora Arundeliana. pag. 104. Santamantius in Julio Caesare. Seguin. in numismatibus p. 122. in numo Balbini. et Comes de Caylus, Recueil des antiquit. Aegyptieanes, Etrusqoes, Grecqoes, et Romaines. T. II. pag. 215. 242.

4 Diatriba de Vrbibus Neocoris ad calc. libri posthumi de re vestiaria veterum. Ant. 1655. 8. et in Thes. Graev. T. XI. p. 1347.

5 diss. de νεωκόροις. Rostoch. 1702. 4.

sius Marius [1], Iohannes Vaillant [2], et Antonius Vandale [3].

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

De Favissis Ethnicorum.

Quae hactenus studiose congessimus, haud parum lucis profecto afferent iis, quae de *Secretariis*, ac *Sacrariis Christianorum* infra disseremus. Quumque nonnulla etiam allaturi simus de *Piscinis Sacrarii*, iccirco haud abs re erit, pauca heic de *Favissis Ethnicorum*, veluti per saturam, adjicere.

Itaque *Favissae* nomen, duplicem habuit significationem. Ita enim dicebatur Templi cisterna, sive puteus in terra factus, munitusque ad aquam continendam. *FAVISSAE. locum*, inquit Festus, *sic appellabant, in quo erat aqua inclusa circa templa*. Nam sacris operaturi adspergillis utebantur, quibus et homines, et vasa aqua pura adspergebant [4]. Subinde etiam Deorum imagines lustrabant, ac sollemni ritu abluebant, ut pluribus ostendunt Matthias Zimermannus [5], Athanasius Kircherus [6], et Ezechiel Spanhemius [7].

Haec aquarum receptacula *piscina sacrificialis* interdum dicebantur, quae ad sacrificiorum usum juxta Templi aream, ubi hostiae proponebantur venales, et cetera

1 Diss. de Neocoris. in Tom. 1. Hist. Academiae Inscript. p. 71.

2 in numismat. Graecis Imperatorum pag. 16. et in Diss. de titulo Neocori in T. IV. memor. Acad. Inscript. p. 198.

3 De Neocoris Sacerdotibus, et Vrbib. Neocoris. in diss. IV. antiq. marmorumq. veterum illustrat. Amstel. 1782. 4.

4 Joh. Behm Dissertat. de lotione in obeundis sacris gentilium, Judaeorum, et Christianorum. Regiom. 1715. 4.

5 in Analectis pag. 64.

6 in Obelisci inter Isaei Romani rudera effossi Interpretat. p. 111, et 113.

7 in notis ad hymn. Callimach. in Pallad. Lavacrum.

ad Sacrificium spectantia, posita erat. Ipsis enim Templis *piscinam* additam fuisse docet vetus inscriptio [1].

Q. VIBIVS . Q. F. MAXIMVS
ARAM VOLCANO
MACERIAQ. AREAM
SAEPIENDAM . PISCINAM
QVE . EX . D. D
DE PECVNIA PVBLICA
FACIENDA COER

Praeterea *Favissae* erant cellae cisternis similes, non ad aquam, sed ad res sacras omne genus vetustate collapsas recipiendas. *Sunt enim, qui putant*, subjungit Festus, *FAVISSAS esse in Capitolio cellis, cisternisque similes, ubi reponi erant solita ea, quae in Templo vetustate erant facta inutilia*. Paria sunt, quae tradit Varro apud Gellium [2]. *Erant cellae quaedam, et cisternae in Capitolio, quae in Area sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera, quae ex eo Templo collapsa essent, et alia quaedam de relligiose donariis consecratis*. Adeo sacrarum rerum studiosi, ac reverentes erant *Aeditui Capitolini*, ut quidquid in Templo Iovis O. M. vetustate frangeretur, aut fatisceret, nunquam corrumperent, cremarentve, aut in alios usus converterent; verum omnia, cadaverum instar, in subterraneis specubus areae, seu vestibuli, diligenter

1 Gruter. p. LXI. n. 35. Struv. Antiq. Rom. c. xI. pag. 515. Laur. var. Sacr. gent. cap. vII. Guther. de veteri jure Pont. IIII. 6. Pitiscus T. II. p. 435.

2 lib. xI. c. x. V. Pomp. Sernelli del significato della parola Tesoro. in T. vII. Literarum Ecclesiasticarum p. 74. edit. Ven.

terrae mandarent, ac sepelirent, quemadmodum Festus, et Varro confirmant. Hujusmodi usum illustrant Panvinius [1], Nardinius [2], Borrichius [3], Marlianus [4], Giraldus [5], Salmasius [6], Faunus [7], Laurentius [8], Pitiscus [9], ac prae ceteris Henricus Spoor [10], qui peculiarem de hoc argumento dissertationem exaravit.

De vocis etymo si quaeras, consule Vossii Etymologicon, cum accessionibus Alex. Symm. Mazochii [11].

Haud minori studio *Vestales* prosequebantur, quidquid ad Templum *Vestae* spectabat. Nam e porta claustri Clivi Capitolini, in Angiportum, immunditiae, ac sordes e Templo egestae, stato quodam anni die, sirpeis quibusdam ab iis deferri solebant. Rem accipe a Festo [12]. *Stercus ex aede Vestae* XVIII. *Kal. Jul. defertur in Angiportum medium fere Clivi Capitolini, qui locus clauditur porta stercoraria. Tantae sanctitatis majores nostri esse indicavere.* Porro in veteri Kalendario Maffejano ad diem XV. Junii leguntur hujusmodi notae compendiariae Q. ST. D. F., nimirum ut ex Festo, Varrone, et Ovidio interpretatus est Petrus Ciacconius [13], *quando stercus delatum fas*. Varronis enim verba talia sunt. *Dies, qui vocatur, QVANDO STERCVS DELATVM FAS, ab eo appellatus, quod*

1 in descript. Vrbis Romae. in T. III. Thes. Graevii p. 362.
2 Roma antica pag. 827, et in T. IV. Thes. Graevii p. 1238.
3 Ant. Vrb. Fac. c. X. §. VIII, et in T. IV. Thes. Graevii p. 1574.
4 Topogr. Vrb. Rom. cap. XI, et in T. III. Thes. Graevii pag. 146.
5 Synt. Deor. c. XVII. p. 475.
6 Exerc. Plin. p. 852.
7 Antiq. Vrb. Rom. c. XI.
8 Var. Sacr. Gentil. cap. V, et X. in Tom. VII. Thes. Gronovii p. 182.
9 in Lexico T. I. p. 764.
10 Favissae Antiquit. Romanae, et Graec. Vltrajecti 1709. 4, et mutato titulo sub hoc indice. Deorum, et heroum, viror. et mulierum illustrium imagines antiquae illustratae. Amst. 1715. 8.
11 Neapoli 1762. T. I. p. 281.
12 lib. XIII, et lib. XIX.
13 in T. VIII. Thes. Graevii p. 8. 10.

Digitized by Google

eo die ex aede Vestae stercus everritur , et per Capitolinum Clivum in locum defertur certum. Ovidius tamen aliquantulum a Festo , et Varrone dissentit; quippe qui die xv. Iunii , non e Templo in Clivum , sed e Clivo in Tiberim stercus deferri consuevisse tradit [1].

Haec est illa dies , qua tu purgamina Vestae ,
Tibri , per etruscas in mare mittis aquas .

Verum heic fortasse erravit Ovidius , qui fastos domo extorris , et a patriis festis remotus conscripsit. Si plura cupis de hujusmodi ritu , confer Nardinium [2], Marlianum [3], Panvinium [4], Faunum [5], Bergierium [6], Drakenborchium [7], aliosque.

Jam vero , quum finem eorum , quae ad inanium Deorum cultum spectabant , demonstraverim , finem quoque de iis scribendi faciam. Haec enim *de Aedium Sacrarum Ministris , et Custodibus apud Ethnicos* dicta sufficiant; ne quis merito mihi ad aurem obganniat illud Lucilii [8], *mantissa obsonia vincit*.

1 lib. vI. Fastorum.
2 Rom. ant. pag. 755.
3 Topogr. urb. Rom. iib. xI.
4 Descr. Vrb. Rom. in T. III. Thes. Graevii pag. 267.
5 Ant. Vrb. Rom. c. xI.
6 de viis militar. c. III. §. xx.
7 in Liv. adnot. lib. xl. edit. Lugdunensis 1746. T. vI. 4.
8 apud Festum.

SYNTAGMATIS
PARS III.
DE SECRETARIIS
VETERVM
CHRISTIANORVM
APVD LATINOS

Digitized by Google

SYNTAGMATIS
PARS III.
DE SECRETARIIS
VETERVM CHRISTIANORVM
APVD LATINOS

CAPVT I.

De Secretario Minori.

Non loquar ambitioſe, nec arroganter. Sed tamen difficile dictu eſt, quantum mihi laboris impendendum fuerit, ut non ſolum tenebras remotiſſimae antiquitatis, verum etiam multo denſiorem quaſi noctem rebus offuſam, ex diſſentientium Scriptorum opinionibus diſcuterem, ſi id aſſequi poſſem, ut certo *Secretariorum Chriſtianorum* numerum, ſitum, atque uſus, tum apud Graecos, tum apud Latinos, definirem. Sic autem ferme apud omnes, quicumque de iis meminerunt, obſcuram, implexam, perturbatam temporum rationem, rerumque, ac locorum ordinem inverſum, atque praepoſterum offendi, ut diu propemodum de aſſequenda veritate deſperarem.

Iam re, quam diligentiſſime fieri potuit, perpenſa, *duo* tantum *Secretaria*, in locis plane diverſis aedium ſacrarum, exſtitiſſe viſa ſunt. Quum enim priſci Fideles *Baſilicas* ab Ethnicis aedificatas, ab omni profanae ſuperſtitionis labe rite expiatas, ad divinos uſus accomodarent, atque earum inſtar, placatis, tranquillatiſque

rebus, opibus auctis, legum, et caeremoniarum consuetudine constituta, nova Templa a fundamentis erigerent, factum est etiam, ut sacrae Christianorum Aedes, veterem *Basilicarum* formam retinuerint, earumque partes iisdem nominibus, quibus antea donabantur, vel apud eos fuerint designatae. Quocirca princeps earum pars, quae loco, ubi *Tribunalia* erant in *Basilicis Ethnicorum*, respondebat, *Tribunae* vocabulo plerumque indicabatur, et *hemycicli* formam servabat, quem etiam *absidem* vocabant, ut pluribus Ciampinius [1], et Assemannius [2] ostendunt. Saepe etiam hic idem locus *Secretarium* dicebatur, sumpta similitudine a *Secretariis Ethnicorum*, ubi *Tribunal* exstitisse vidimus. Nam, praeter *Secretarium* inter sacras *exedras*, quae veterum Christianorum Templa circumdabant, recensendum, ac deinde illustrandum, quodque ab ejus amplitudine *Secretarium majus* nuncupabant, alterum in superiori, atque intimiori Templi parte exstabat, *Secretarium minus* appellatum, ut ab altero *majori* distingueretur, quô illinc quidquid ad sacrificii usum necesse erat, deferre solebant; quodque, quum ad utrumque latus absidis positum esset, atque ab Ara principe intermedia duas in partes divideretur, interdum etiam plurali numero *Secretaria minora* dicebant. De hoc itaque primum instituendus est sermo.

Nemo ex antiquis Scriptoribus in interioris hujusce *Secretarii* situ, atque usu declarando accuratior fuit, quam Paullinus, qui in epistola ad Severum Nolanam Basilicam describens [3], duo *Secretaria*, alterum a dex-

1 Vet. Monum. Part. I. cap. I.

2 Dissert. de duabus diversis Basilicis Neapolitanis Constantiniana, et Stephan. earumque defensio. Romae 1753. 4.

3 Epist. XLI. num. XVI. edit. Heriberti Rosweidi. Antuerpiae 1621. 8.

tera, alterum a sinistra Altaris parte fuisse dicit. *Prospectus Basilicae non, ut usitatior mos est, Orientem spectat, sed ad domini mei Beati Felicis Basilicam pertinet, memoriam ejus adspiciens: tamen quum duabus dextra, laevaque conchulis intra spatiosum sui ambitum absis sinuata laxetur, una earum immolanti hostias jubilationis Antistiti patet, altera post Sacerdotem capacissime receptat orantes.* Vtriusque autem loci usum paullo infra clarius etiam illustrat hujuscemodi verbis. *In SECRETARIIS vero duobus, quae supra dixi circa absidem esse, hi versus indicant officia singulorum. A dextra absidis.*

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, et qua
Promitur alma sacri pompa ministerii

a sinistra ejusdem

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris,

Quis autem non videt, Paullinum heic de duobus illis *Secretariis* dumtaxat disserere, quae circa absidem utrimque visebantur, quin ullam de *majori Secretario* mentionem faciat, quod extra Nolanam Basilicam exstabat, aliis usibus infra declarandis accomodatum? Ceterum, etsi Paullini verba adeo perspicua sint, ut de iis ambigi minime posse videatur, tamen Cresollius [1], Bulengerus [2], de la Cerda [3], Raynaudus [4], Beveregius [5], Cabassutius [6], le Brunius [7], Remondinius [8], Georgius [9], aliique, qui eadem certatim laudarunt, ibidem Paullinum de *Secretario majori* loquutum fuisse existimarunt.

1 in mystagogo pag. 564.
2 in systamate opusculorum p. 80.
3 Adversaria sacra p. 183.
4 T. vI. opp. pag. 500.
5 Pandect. Canon. T. iI. p. 76.
6 in Notit. Eccl. Concil. p. 27.
7 in explic. missae. adit. Ven. T. iI. p. 45.
8 Storia Nolana T. I. p. 413.
9 de Liturgia Romani Pontificis Tom. I. p. 61, et T. iI. p. cxxix.

Nam plerique eorum *Secretarium* in Templis Christianorum, dumtaxat circa absidem exstitisse statuerunt. Quod quidem confirmare videtur Leo Marsicanus in vita B. Victoris III. Pontificis Romani, ubi haec enarrat [1]. *A septemtrionali autem parte Altarium B. Papae Gregorii, juxta cujus absidam bicameratam domum ad thesaurum ecclesiastici ministerii recondendum exstruxit, quae videlicet Domus* Secretarium *consuetudinaliter appellatur, eique ejusdem nihilo minus operis alteram, in qua Ministri altaris praeparari deberent, copulavit. Sane quoniam spatiandae Ecclesiae gratia partem non modicam camerae suae subtraxerat, consequenter etiam praedicto* Secretario *conjunctam eamdem cameram ampliorem priori potius, ac pulcriorem effecit*. Ibidem praeter sacram supellectilem, omnes Ecclesiae opes reconditas fuisse constat ex his, quae sequuntur [2]. *Quod ubi Jordano Principi relatum est, missis militibus, eamdem pecuniam de Ecclesiae* Secretario *abstractam ad se deferri mandavit. Fratres autem ad haec. Pecunia, quae Patri Benedicto credita est, nos alicui viventium minime damus, sed illam in* Secretario *ponentes, exinde, qui praesumserit, auferat*. Ceterum peculiare hoc exemplum nihil officit communiori consuetudini, quae *majora Secretaria* sacris aedibus continentia, in extrema earum parte, statuebat; ac propterea allatos scriptores haud recte Paullini locum explicasse, opportunius infra demonstrabimus.

Nunc eo tantum contenti simus, quod sacratissima, ac penitissima Templorum Christianorum pars, quae a Graecis Βῆμα, ἄδυτον, ἱερατεῖον, a Latinis *Sanctuarium*, *Sancta Sanctorum*, *Ara incruenta*, *Propitiatorium*, *Capitium*, *Absis*,

1 lib. III. Chron. Casin. c. xxvI. alias xxvIII. in T. IX. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 598. et in T. v. Sept. Boll. pag. 413.

2 ibid. pag. 421.

Bema, *Presbyterium*, *Tribunal* promiscue vocabatur, *Sacrarium* quoque, aut *Secretarium* dicta fuerit. Huc profecto S. Zeno respexisse videtur, ut putant Ballerinii, quum illum Templi locum describens, qui in lib. III. Regum cap. VI. *Oraculum* vocatur, et unicum Sanctuarium quidem erat in Templo Hierosolymitano, inquit [1]. *Inaestimabilia unius plenitudinis tria illi sunt membra*; unum Secretarium, *et patentes semper* XII. *portae*, *quas ab hostili defendit impulsu in modum Tau literae prominens signum*.

Hunc quidem locum eodem titulo indigitare videtur Ordo Ecclesiae Ambrosianae, anni plus minus MCXXX, qui de lampade summo mane in *Secretarium* ferenda sic habet [2]. *Hebdomadarius, sonito signo tubae ad matutinum, debet portare in* Secretarium *de ecclesia aestiva unum ferletum plenum oleo, accensum, ut lectores videant, quidquid in obscuro matutino dicendum est, et istud ferletum debet esse illius lectoris, qui in postremo indicaverit officium*. Paria sunt, quae in alio loco ejusdem Ordinis ita praescribuntur [3]. *Tunc Cicendelarius hebdomadarius porrigit lampadem accensam Subdiacono hebdomadario in* Secretario, *et praecedit eum usque ad phialas, et ille cum lampade accendit, eodem ostendente stupinos cum virga*.

Jam vero, quum hujusmodi locum ornarent, atque distinguerent *Cancelli*, *Vela*, *Gradus*, *Tribunal*, *Ara*, de iis singulatim disserendum est, ut abunde constet, quanta inter *Secretaria Judicum*, et *Christianorum* affinitas intercederet. Quod etsi a nemine, quantum equidem sciam, adhuc animadversum sit, tamen, ni mihi nimium fortasse blandior, non minimam veri speciem praeseferre vi-

1 lib. I. tract. XIV. pag. 106.

2 T. IV. Ant. Ital. Murator. col. 895, et in T. II. Gloss. Carpentier p. 385.

3 ibid. p. 865. et in eod. Gloss. p. 888.

detur. Nihil enim profecto majoribus nostris antiquius fuit, quam ut gentes superstitioni deditas, aliquando nominis, aut rei alterius similitudine, (modo nihil suapte natura superstitiosum secum ferrent), sensim ad verum Christi cultum allicerent, atque traducerent; itaque haud parum certe in suscepto relligionis propagandae studio profecerunt.

Sed, ne statim in penitiorem aditum ingrediamur, primum ante *Secretarii Cancellos* paullatim consistamus.

§. I.
De Cancellis Secretarii minoris.

Secretarium Bematis undequaque *Cancellis* munitum, ac septum fuisse scimus, quae κιγκλίδες apud Graecos [1] dicebantur. Accuratam hujusce loci descriptionem tradit Mabillonius [2]. *Post chorum Cantorum*, inquit, *sensim adsurgebant gradus Sanctuarii, quod ab eodem choro dirimebant* Cancelli. *Rugas, seu regias appellabant vel Cancellorum aditus, seu portas, vel Cancellos ipsos, easque Acolythi observabant, ut in primo nostro libello legitur, ubi Pontificis in* Secretarium *post Missam reditus describitur*. Sed, ut veterum Scriptorum testimoniis rem confirmemus, Anastasium audiamus, qui narrat, Leonem III. *Rugas majores ante* Secretarium *numero duodecim* fecisse, et Leonem IV. *Regulas de argento fusiles cum* Cancellis *in ingressu Presbyterii*. Nam *Rugarum*, seu *Regiarum* nomine *Cancellos* intelligi demonstrat idem Mabillonius [3], ubi de sacro cinere, quo feria IV. in capite jejunii populum viritim Pontifex inspergebat, monet Cajetanus [4], *notandum, quod Camerarius Papae exit* Re-

1 Theodoret. l. v. c. 18. p. 222. Synes. Cat. p. 303.
2 T. 1I. Mus. Ital. in Comm. p. xxI. et p. cxxxvI.
3 T. 1I. Mus. Ital. in Comm. p. cxxxvII.
4 in ord. XIV. cap. LXXIX.

gias, *et dat cineres stando illis, qui sunt extra*; itemque, ubi Petrus Amelius [1] docet, quo loco a Pontifice Max. cerei, ac frondes palmeae rite piatae diriberentur, ac penderet diploma, quo Pontifex Cardinali ad Altare S. Petri sacra faciendi potestatem largiebatur. Eosdem, quos Paris de Crassis [2] *antemurale* appellat, nonnunquam *Podium* dictos fuisse Mabillonius etiam animadvertit ex appendice I. Ordinis Romani [3]. Recte igitur Thomasius [4] *Pogium* sumendum esse docet, *pro iis marmoreis cancellis, sive tabulis, quibus Sanctuarium a Choro, et Ecclesia discernitur; qui ita sunt in antiquis Vrbis Basilicis constructi, ut ex illorum parte posteriore gradus Sanctuarii, sive Presbyterii sensim assurgant*. Praeterea, quum pars januae superior, arcus speciem referret, iidem *Cancelli*, qui Sanctuarium a navi separabant, in Concilio Hispaniae habito anno MDLXXXII. [5] *Arcus toralis*, seu *coralis*, ut emendat Ducangius [6], nuncupantur.

Porro Christiani veteres, quoties Templi Altare construebant, statim de septis reticulatis, seu *Cancellis*, per quae chorum a reliquo spatio in Ecclesia separarent, quoque cogitabant. Narrat enim Eusebius [7]. *Sanctuario hoc modo absoluto, et perfecto, sellisque quibusdam in altissimo loco ad Praesidum Ecclesiae honorem collocatis, et subselliis praeterea undique ordine dispensatis, decore eximieque ornato, altarique denique, tamquam Sancta Sanctorum, in medio Sanctuarii sito; ista rursum, ut a plebe, et multitudine eó non posset accedi*, cancellis *ex ligno fabricatis circumdedit*. Id etiam testatur Paullus Warnefridus de

1 in ord. XV. c. XXI, et cap. LVI.
2 in Ceremon. lib. II. cap. XXII.
3 num. II.
4 in Scholiis ad responsorialia.
5 Tom. IV. pag. 239.
6 in Glossario.
7 lib. X. Historiae Ecclesiasticae cap. IV.

Digitized by Google

Crodegango [1]. *Hic fabricare jussit . . . . . Sedem S. Stephani Protomartyris , et Altare ipsius , atque* Cancellos , *Presbyterium , arcusque per gyrum* . Itidem Acta Episcoporum Cenomanensium de Arnaldo haec habent [2]. *Denuo ipsam Ecclesiam construere coepit , et parti superiori , quae vulgo* Cancellus *nominatur , etiam tectum imposuit* . Quidquid enim inter , et infra *Cancellos* visebatur , *Cancellus* generatim dicebatur . Iccirco cecinit Johannes de Garlandia [3] .

Cancellus Templi pars intima dicitur esse .

Id etiam constat ex Hoello [4] , qui ait ; *sed et* Cancellum , *quod ejus antecessor construxerat , pavimento decoravit* . Eodem sensu usurpavit Ordericus Vitalis [5] . *Cancellum* , inquit , *veteris Ecclesiae dejecit , et eximiae pulcritudinis opere in melius renovavit , atque in longitudine , et latitudine decenter augmentavit*; atque alibi [6] , Cancellum *Ecclesiae cum domibus monasticis renovavit* [7] .

Eô , praeter sacros Ministros , solis Imperatoribus , dumtaxat munerum offerendorum , ac Altaris adolendi caussa , ut infra declarabimus , patebat ingressus . Nam Laici extra *Cancellos* consistere debebant , ut Poeta monuit ,

Infra Cancellum *Laicos compelle morari ,*
Ne videant vinum cum sacro Pane sacrari .

Propterea Synodus Turonensis II. praescripsit [8], *ut Laici secus Altare , quo sacra mysteria celebrantur , inter Clericos ,*

1 de Episcopis Metensibus .
2 cap. xxxiiI.
3 in Synonimis .
4 cap. xxxiv.
5 lib. xI. pag. 832.
6 lib. xiI.
7 Adde Hariulfum L. iI. c. viI. Chron. Senoniense l. iv. c. xxxvI. et S. Trud. l. viiI. p. 447 . Statuta Willelmi Episc. Dunelmen. , et S. Aegidii Episc. Sarisb. ann. MCCLV . Synodos Wigorniensem anni MCCXL. can. iI . Oxoniens. anno MCCLXXXVII. can. ix. xiI. xxI. Cicestrens. an. MCCXCII. can. v. Metron. an. MCCC. can. iv . Rotomagens. anni MCCCXXXV. can. viiI . Londinensem an. MCCCXLII. can. xI , et Provincial. Eccl. Cantuariens. l. i. tit. ix , et l. iiI. tit. xxviI.
8 Can. iv.

tam ad vigilias, quam ad missas stare penitus non praesumant. Sed pars illa, quae a Cancellis *versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat Clericorum*. His consona sunt, ut alias praeteream auctoritates a Martenio [1] congestas, Synodi Romanae verba sub Eugenio III [2], quae renovavit Leo IV, ubi jussit [3]. *Seculares . . . . nec inter sacros* Cancellos *ordinibus debitos, nisi permittente Episcopo, adtentent accedere*. Idque ipsis Hospitalariis Ordinis Hierosolymarii Statuta vetabant [4]; *ne fratres nostri, quum divina celebrantur*, Cancellum, *seu chorum intrent, nec Altari adhaereant*. Hinc, si forte quempiam ex ordine Sanctuarii, ob poenam patrati criminis luendam, ad *communionem laicam* [5], redigerent, eum e vestigio, ut notant Lindanus [6], Albaspinaeus [7], Petrus de Marca [8], Rigaltius [9], et Card. Bona [10], e consessu Cleri *extra Cancellos* depellebant.

Quid vero a pluribus Conciliis praestitum non est, ut multo magis feminae illinc removerentur? Audi Laodicenum, quod statuit [11]: *non oportere mulieres ingredi ad Altare*, et Nannetense diserte indicens [12], *ut nulla femina ad Altare praesumat accedere, aut Presbytero ministrare,*

1 T. I. de ant. Eccl. rit. p. 341.
2 Can. XXXIII.
3 an. DCCCLIII. can. LIII.
4 tit. III. §. VII.
5 Consule Cabassutium de laica, et peregrina Communione. in ejusdem notit. Concilior. p. 387. Lugd. 1670. 8, et in ejusd. notit. Eccl. p. 50. ibid. 1680. fol. Maldonatum in Tract. de Ceremoniis pag. CLVIII. in T. III. Bibl. Ritualis Fr. Ant. Zaccariae. Sarnellium in Basilicograph. c. XXX. Walchium de translat. ministrorum in veter. Eccl. Jenae 1745. Phil. Tilemannum Schenck de commun. peregrina. Marpur. 1695. 8. Henr. Rixner. de Commun. laica, peregrina, ac praesanctificatorum. Helmst. 1670, et 1673. 4. Boutium de Communione peregrina, veteri Clericorum censura. Lips. 1742. 4.
6 Panopl. lib. IV. c. LVIII.
7 Observat. lib. I. c. IV.
8 in diss. select. interpr. cap. Clericus q. q. num. XVI. pag. 369, et ad calcem Balutii de emend. Gratiani p. 583.
9 in Cyprian. epist. LII. ad Anton.
10 de rit. Eccl. lib. II. c. IV. n. 6.
11 Can. XLIV.
12 an. DCCCXCV. Can. III.

aut infra cancellos *stare*. Praeterea, ne ulla obtenta caussa, intra Altaris *Cancellos* pedem ponerent, monet Capitulare Heitonis Episc. Basileensis [1], *quod si pallae Altaris lavandae sunt, a Clericis abstrahantur, et ad* Cancellos *feminis tradantur, et ibidem repetantur*.

Verum pro diversa temporum varietate, et sacrarum aedium structura, diversam fuisse constat disciplinam ordinis Communionis, et Oblationum. Quod enim ad sacram synaxin spectat, hanc Episcopus, aut Presbyter stans in medio Altari, Viris Principibus, si forte sacrificio adessent, et Sacerdotibus concelebrantibus, mox Diaconis retro Altare, postea Subdiaconis, et Clericis in Choro superiori juxta *Secretarii Cancellos*, ac demum aliis fidelibus impertiebat, qui extra *Cancellos* in solea [2] morabantur, primum pueris, deinde viris, ac demum mulieribus.

Refert enim Joh. Moscus [3] priscam consuetudinem, *ut pueri*, quibus interdum ad oblatas conficiendas utebantur, ut infra videbimus, *in missis ante* Sacrarium *assisterent, primique post Clericos communicarent sanctis Christi Dei nostri, venerandisque mysteriis*. Ceterum frequentius pueris consumendas panis Eucharistici reliquias, quae communioni superessent, impertitas fuisse, recte Possinus [4] adnotavit. Nam, inquit Evagrius [5], *vetus est consuetudo Constantinopoli, ut quoties ex sacris partibus immaculati Corporis Christi Dei nostri magnus numerus superfuerit, pueri impuberes ex iis, qui gramaticorum Scholas frequentant, evocentur, qui eas manducent*. Quam quidem

1 cap. xvI.
2 Goar. in ord. sacr. ministr. p. 18.
3 in Prato spiritual. cap. ult.
4 in observ. ad Pachymerem p. 364.
5 in lib. IV. Historiae Ecclesiasticae cap. xxxvI.

Digitized by Google

consuetudinem Nicephorus [1] sua aetate adhuc viguisse testatur. Eamdem in Gallias translatam fuisse produnt verba Conc. II. Matisconensis [2]; *quaecumque reliquiae sacrificiorum post peractam missam in* Sacrario *supersederint, quarta, et sexta feria innocentes pueri ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur; et indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant*. Praeterea celebris est historia Eucharistiae per *puerum* Serapioni transmissae a Dionysio Episcopo Alexandrino [3]. Notum est etiam antiquitus, vel ipsis *infantibus* Eucharistiam fuisse impertitam, ut peculiaribus dissertationibus plures demonstrarunt [4].

Verum, etsi Concil. II. Turonense, una cum Bracarensi [5], eodem anno DLXIII. laicis, ac praesertim mulieribus vetasset apud Altare, *intra Cancellos* consistere, dum sacrum peragebatur, tamen permisit [6], *ut ad orandum, et communicandum laicis, et feminis paterent Sancta Sanctorum*. Id etiam constat ex Gregorio Turonensi, qui narrans, cujusdam mulieris nervos, qui pridem dirigue-

1 lib. vII. c. xxv.

2 Can. vI.

3 Eusebius lib. vI. c. XLIV.

4 Bona rer. Liturg. l. II. c. xIx. §. II. Grancoles. enc. Sacrem. P. I. p. 205, et 207. Martenius de ent. Eccl. rit. l. I. cep. I. ert. xIv. n. 12. Acamus in Epist. de Poedobaptismo. Sarnelli, in che differiscono le oblazioni dalle oblate. in T. vII. Liter. Eccl. pag. 37. Agnellus Onorato Dissert. della Communione de' fanciulli. fra le sue Diss. Lucca 1737. 4. pag. e17. Claud. Espencaeus de adorat. Eucharistiee lib. II, ubi de Eucharistia pueris data. in Tom. x. Thes. Theol. Zaccariae pag. 217. Joh. Frid. Mayerus de Eucharistie infantibus olim data. Lipsiee 1673. 8. Corn. Dieter. Kochius Helmst. 1724. Chr. Eberh. Weismannus de praepostera Eucharistiee infantum in ecclesiam reductione. Tub. 1744. Petr. Zornius in Historia Eucharistiee infantum ex antiquitatibus Ecclesiarum, tum Occidentelium, tum Orientalium, secundum decem seculorum seriem, et multiplicem verietetem illustrata. Berolini 1736. 4. Jac. Peircius in Schediasm. quo confirmatur antiqua consuetudo ad Eucharistiam admittendi infantes. Londin. 1728. 8. Joh. Haiden de instituta Ecclesiee infantibus mox cum baptismo conferendi Sacramente Confirmationis, et Eucharistiee. Hildebrandus in rituali Euchar. vet. Eccl. Helmst. 1712. 4. c. v.

5 Can. xxxI.

6 Can. Iv.

rant, repente solutos evasisse, subdit [1], *et sic propitiante Domino, usque ad Altare sanctum ad communicandum propriis gressibus, nullo sustentante, pervenit*.

Quod vero ad oblationum a feminis deferendarum disciplinam pertinet, variam fuisse compertum est. Nam Theodulphus Episc. Aurelianensis cavit in suo Capitulari, ne *feminae accedant ad Altare, sed suis locis stent, et ibi Sacerdos earum oblationes accipiat*. Verum eas Atto Episc. Basileae ad Chori *Cancellos* sese conferre, ibique oblationes Sacerdotibus praebere posse concedit. *A Presbyteris, quum oblata a mulieribus offeruntur, ad* Cancellos *accipiantur, et ad Altare deferantur*. Verum de oblationum ritu paullo infra sermo recurret.

§. II.

De Velis Secretarii Minoris.

Quandoquidem *Secretarii Cancellis*, ubi κιγκλίς, seu *porta cancellata* erat, quodammodo nunc insistimus, eam reseremus, oportet, ut sacra item *velamina*, quae *Secretarium* obducebant, intueamur. Nam, praetermisso *Ethnicorum* usu jam supra descripto, ut olim in Templo, et Tabernaculo Hierosolymitano *vela* fuisse scimus [1], ita et in Templis Christianorum, circa *Secretarii* adytum *vela* pendebant, quae *cortinas* etiam, sive *aulaea* interdum vocabant.

Innumera sunt exempla, quibus rem firmare possem,

1 lib. II. de mirac. S. Martini Episc. Turonensis c. XIV.

2 Joh. Christ. Wichmanshausen de velis Tabernac. et Templi. Wittemb. 1718. 4. Johann. Christoph. Kirchmajerus de velo Tabernaculi interiori, ejusque mysterio. Marburgi 1736. 4. Joh. Gerard. Schiede in Observat. sacris de codice Bibliorum Ebraico mss. Bibl. Casellanae, et de velo Taberrac. interiori. Bremae 1748. 8. et in Misna Shekalim T. II. edit. Surenhusianae p. 204.

praesertim ex Anastasio, quum nihil frequentius in Pontificum vitis occurrat, quam *vela* Templis oblata. Verum, ne quid dicam de iis, quae ad exteriora ostia, ceterasque sacrarum aedium partes spectabant, quaeque commemorant Epiphanius [1], Gregorius M. [2], Gregorius Turonensis [3], et Dionysius [4], nonnulla tantum seligam, quae propius ad rem nostram pertinent. Itaque Johannes VI [5], *in Basilica B. Paulli Apostoli inter columnas altaris, dextra, laevaque,* vela alba *constituit*. Zaccarias [6] *in Ecclesia SS. Principum Apostolorum Petri, et Paulli pendentia* vela *inter columnas ex palliis sericis fecit*. Leo III [7], *fecit in circuitu altaris B. Petri Apostoli nutritoris sui* tetravela *rubea holoserica*; atque alio loco [8], *fecit et in circuitu alia* vela *alba holoserica rosata, quae pendent in Arcu de Ciborio*: ac rursus [9], *fecit* vela *in Basilica Sanctae Dei Genitricis ad Praesepe ..... intro regias majores, atque ante* Secretarium *numero* XII. Sergius [10] *fecit et in circuitu Altaris Basilicae suprascriptae* tetravela VIII. Stephanus V. [11] *fecit etiam in eadem Basilica egregii Doctoris gentium belotera* IV .... *contulit in eadem Basilica Apostolorum cortinam lineam unam, velothera serica tria in circuitu altaris*. Praeterea *vela, quae sacrum altare circumdant,* legimus in Gregorio IV. Haec autem *vela*, ut facilius adduci, reducique possent, a ligneis, aut ferreis, quandoque etiam aereis, aut argenteis regularibus pendebant, quos grae-

1 T. II. Opp. edit. Patav. ep. CCCXVII. ad Joh. Hieros.
2 lib. VIII. ep. XV. l. IX. ep. XXXVIII. lib. XI. ep. XIV.
3 lib. I. de Mirac. S. Martini, et l. II. Hist. cap. XXIX. et XXXI.
4 in epist. ad Demophilum.
5 Tom. I. §. III. pag. 317.
6 Tom. II. §. XIX. pag. 75.
7 ibid. pag. 304.
8 num. IV.
9 §. XXXVI. pag. 262.
10 num. X.
11 num. XII. et XIV.

ci κιόνια vocant, et *Cancellos fusiles* Leo Ostiensis, de quibus post Bulengerum [1], et de la Cerda [2], pertractarunt Ducangius [3], et Mabillonius [4].

Hujusmodi *velorum* meminit Athanasius, [5] qui ab Arianis *subsellia*, *thronum*, *mensam ligneam*, vela *Ecclesiae* τα βῆλα τῆς Ἐκκλησίας direpta, et in Vrbis foro combusta fuisse narrat. De iisdem velis loquitur Theodoretus, ita Basilicam Hierosolymitanam describens [6]; *porro sacrum altare regalibus* velis, *et aureis donariis gemmarum fulgore distinctis cernebatur ornatum*. Forte etiam de his *Secretarii velis* accipiendus Hieronymi locus, ubi de Nepotiano [7], *erat solicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta*, vela *semper in ostiis*. In hunc certe ritum Paullinus prospexit, ubi cecinit [8], *et velamine clausi*

Altaris faciem signo pietatis adornat,

aliisque locis, quorum explicatio petenda est ab eruditissimo Rosweido [9], qui ad eadem de *velorum usu in Templis Christianorum*, copiose, ac exquisite pertractavit.

Duplex vero hujusmodi *velum* fuisse constat. Alterum Episcopi sedem, et altare circumvestiebat. Porro de *velatis Episcoporum Cathedris* celebris est ille Augustini locus in epistola ad Maximum; *transit honor hujus seculi, transit ambitio*. *In futuro Christi judicio nec* absidae gradatae, *nec* Cathedrae velatae *adhibebuntur ad defensionem*. Huc faciunt etiam illa S. Paciani contra haereticum An-

1 in system. Opuscul.
2 in adversar. sacr.
3 in Glossario.
4 T. II. Mus. Ital. in comm. p. CXXXVIII.
5 in hist. Arianor. ad Monach. n. LVI.
6 Hist. Eccl. lib. I. cap. XXXI.
7 epist. LX. num. XII. edit. Vallars.
8 Natal. VI. vers. XXIX, et Carm. XVIII. et in Poemate XIX.
9 in notis ad Paullinum pag. 849.

tistitem prolata ; *an Novacianus , quem absentem epistola Episcopum finxit , quem , consecrante nullo ,* linteata sedes *excepit* . Alterum vero ex intercolumniis pendebat, quodque, dum sacra peragebantur, removeri consuetum erat. Iccirco eadem, quod instar januarum plicatilium, utrimque reducerentur, Chrysostomus [1], cum Evagrio [2], ἀμφίθυρα appellat, monens, quum *Sacrarii* portarum *vela* sursum trahuntur, cogitandum nobis esse, caelum superne quodammodo deduci, et Angelos descendere. Rectius certe quam fecit Varro, qui [3] *caelum*, quod *antiqui*, ut ait Porphyrius [4], *peplum vocarunt*, *cortinae Apollinis* superstitiose adsimilavit. Atque hinc preces, quas Sacerdos, missis Cathecumenis, effundebat, Fidelium Liturgiam exorsus, quibusque recitatis, ac *velamine* parum elevato, altare ingrediebatur, *oratio velaminis* dicebantur. Munus autem reducendi *vela* Acolythis impositum erat, qui ex Conc. Narbonensis praescripto [5], *Senioribus* vela *ad ostia sublevabant*. Quae quidem ibidem appensa fuisse, liquet ex charta donationis Ecclesiae Cornutianae a Suaresio edita, in hunc modum. *Item ante Regias Basilicae* vela *linea plumata majora fissa numero tria* . *Item* vela *linea pura tria* , *ante Consistorium* velum *lineum purum* I, *et intra Basilicam pro posticia* vela *linea rosulata* vI, *et ante* Secretarium, *vel curricula* vela *linea resoluta pansilia* , *habentia arcus* iI. Recte igitur Mabillonius [6], praeter vela *ad portas Basilicae*, agnovit item *ad altare quadruplicia* , *quae ab Anasta-*

1 Hom. iiI. in ep. ad Eph. n. v. p. 1052.
2 lib. vI. cap. xI.
3 lib. vI. de L. L.
4 pag. 259. V. Herm. Henr. Pagendarm de Peplo veterum . Vitemb. 1702. 4. et Henr. Guil. Trumphium de pulvillis, et peplis Prophetissarum . Helmst. 1702. et in P. I. Thes. Theol. Phil. p. 972.
5 Can. xiiI.
6 Tom. iI. Mus. Ital. Comm. xx.

sio tetravila *dicuntur*. Nam a Synesio [1], *velum Portae Sanctae* cum *velo sacrae mensae* conjungitur , et καταπέτασμα μυστικὸν appellatur, quod Gregorius Turonensis [2] *coopertorium* vocat, *quo altare dominicum cum oblationibus tegebatur*.

Nonnullis vero anni diebus alia *vela* depromebantur, quibus, non sine mysterio, sacrum Altare praecingeretur. Nam, ut omittam *velum*, quod prima Dominica Quadragesimae inter Chorum, et Altare appendebatur, quodque praeter ipsius *Secretarii* custodem elevare nemo poterat, ut jubent Ordo Cluniacensis [3], et Constitutiones Hirsaugienses [4], Durandus, et Belethus, nocte natalis dominici, Altare *tribus velis* diversi coloris coopertum fuisse narrant. Accipe rem a Durando [5], ex quo eam Belethus [6], et Macer [7], exscripserunt. *Ante nocturnos solent in quibusdam locis super Altare tres panni poni ad designationem praemissorum temporum, et in singulis nocturnis singuli amoveri. Primus niger, pro tempore ante legem; secundus albus pro tempore revelationis; tertius rubeus pro tempore gratiae, propter dilectionem Sponsae candidae, et rubicundae.*

Quae quum ita sint, quis non Ducangio [8], et Binghamo [9] subscribat, qui *Secretarii* nomen ei Bematis parti datum fuisse docuerunt, quae erat inter *vela Sanctuarii*, et *vela Ciborii*, sive Altaris, et spatium inter *vela Altaris*, speciatim *Presbyterii*, *Secretarii*, aut *Sacrarii*, nomine fuisse distinctum?

1 ep. LXVII. p. 240. edit. Petav. iI.
2 in vit. PP. c. viiI. n. xI.
3 Part. I. c. LXIII. pag. 257. in vet. Disc. Mon.
4 ibid. lib. iI. p. 522.
5 in Rat. div. Off. c. LXIX.
6 lib. vI. de Off. Nat. Dom. p. 271.
7 in Hierolexico pag. 26.
8 in Peull. Silentiarium pag. 17.
9 pag. 248.

§. III.

De Gradibus Secretarii minoris.

Jam vero per *gradus*, qui ad *Presbyterium* ducebant, et nos adscendamus. Nam etsi ad Aram Templi Hierosolymitani exteriorem per *gradus*, ab Exodo [1] diserte prohibitos, adscensus non esset, ut imperite plerique pingere solent, sed tantum per acclives tramites ab Ezechiele [2] memoratos, tamen in Templis Christianorum per eos ad adytum, intimam nempe, sanctioremque sacrarum aedium partem procedi consuevisse, satis aperte demonstrant, ne ex Vrbe discedamus, veteres, quae supersunt, Basilicae, S. Clementis, SS. Silvestri, et Martini, S. Mariae in Cosmedin, S. Praxedis, S. Chrysogoni, S. Laurentii extra pomoerium, quas Mabillonius [3], Rondaninius [4], Ioh. Ant. Filippinus [5], Crescimbenius [6], Davanzatus [7], Piazza [8], peculiariter illustrarunt. Id etiam ipsum *Bematis* nomen declarat, quod ex iis huic Templi loco appositum fuisse patet. Nam Festum Manichaeorum, *Bema* [9] nuncupatum, tali nomine designatum fuisse compertum est, quod, ut perhibent Egesippus [10], S. Augustinus [11], et S. Anselmus Epi-

1 XX. 26.

2 XLIII. cap. VII.

3 T. II. Mus. Ital. in Comm. p. XXII.

4 de Clementa P. et M. ajusque Basil. in urbe Roma lib. II. Romae 1706. 4

5 Ristretto di tutto quello, abe appartiane all'antichità, a veneraziona della Chiesa da' SS. Silvestro, a Martino da' Monti. Roma 1749. 4

6 Storia della Basilica Diaconala, Collagiata, e Parrocchiale di S. Maria in Cosmedin. Roma 1715. T. II. 4

7 Notizie al Pellegrino dalla Basilica di S. Prassade. Roma 1723. 4

8 Gerarchia Cardinalizia pag. 376.

9 V. Alticozzi in duplici de Manichaeorum haarasi dissert. Isaac da Baausobre. Histoire critique da Manichae, et du Manicheisma. Amstel. 1702. Pfaffium in Introduction. in Hist. Thaolog. literar. Part. III. pag. 250.

10 lib. I. aap. LXVII.

11 contra Epist. Manich. eap. VIII. et lib. XVIII. contra Faustum c. IV.

scopus Havelbergensis [1], tribunali quinque *gradibus* instructo, et pretiosis linteis adornato, diem, quo *Manes* interfectus est, insigni pompa celebrabant.

Super hos *gradus*, qui *Solea* a Graecis vocantur, quique ante *Cancellos* jacebant, ecclesiastici officii partem decantatam fuisse scimus, quae, docente Honorio augustodunensi [2], *Graduale a gradibus dicitur, quia in gradibus canitur*.

Monet enim Ordo Rom. vI. [3]. *Finita vero lectione, illis, qui* gradualem, *et alleluja cantaturi sunt, juxta pulpitum in inferiori* gradu *standum est*. His gemina sunt, quae habet vetus expositio Missae [4]; *ideo responsorium dicitur, quia alio desinente, id alter respondeat, quod et Itali traduntur primum invenisse. Et hoc quidem* Gradale *dicitur, eo quod juxta pulpiti* gradus *cantatur*. Quibus consonant, quae de ritu canendi responsorii *Gradalis* refert altera Missae expositio Sec. IX. [5] *responsorium* Gradale *psallitur, et dicitur responsorium, quod uno cessante, hoc ipsum alter respondet*. Gradale *autem dicitur ab aliorum distinctione responsorium, quod hoc in* gradibus, *hoc est in pojo psallatur*.

Id etiam Leo Ostiensis declarat, ubi recensens ornamenta a Desiderio Abbate comparata, qui in Casinensis Ecclesiae instauratione *secus Altare, et in choro* gradibus *illis, quibus ad idem Altare adscenditur, crustis pretiosorum marmorum decenti varietate distinxit*, haec subnectit [6]. *Fecit et libellum ad cantandum ante Altare, sive* in gradu.

Ibidem Clerici nonnulla interdum legere solebant,

1 lib. III. Dialogor. cap. xvIII.
2 lib. I. cap. xcvI.
3 num. v.
4 Liturg. Rom. Pont. ap. Georg. T. II. p. 134.
5 ibidem pag. 135.
6 lib. III. cap. xx.

Digitized by Google

quin super ambonem conscenderent, a Sozomeno [1] *Bema lectorum* nuncupatum. Id enim docet lex Alemannorum praecipiens [2]. *Si Clericus, qui in* gradu *Ecclesiae publice lectionem recitat, vel* gradale.... *aliquam injuriam passus fuerit*. Verum non modo lectio in *gradu* facta, sed etiam lectio instituta *in gradu suo*, nimirum, quin se de consueto loco dimoverent, honori habita fuit. Quod quidem colligimus ex iis Legatorum Hormisdaę verbis [3], *Libellum suscepimus, et praesente omni clero, vel plebe*, in gradu suo, *a Servo vestro Petro Notario S. E. R. est relectus*.

Praeterea ad eosdem Presbyterii *gradus* amandari solebant Monachi pro levioribus culpis, ut poenam luerent, ab usibus antiqui Ordinis Cisterciensis ita praescriptam [4]. *Venient ad* gradum.... *et tunc petant veniam ante* gradum, *aut flexis genibus in terra*; ac rursus [5]. *Si quis de comedentibus, vel servitoribus offenderit aliquo modo, petat veniam ante* gradum; atque alibi [6], *ante* gradum *Presbyterii satisfaciat*. Ac passim eamdem formulam in Instituto Cisterciensi Rainardi Abbatis [7] occurrere Ducangius [8] adnotavit.

Saepe etiam, quod peculiari animadversione dignum est, in iisdem *gradibus*, Episcopi sedentes, ut observat Valesius [9], sermones ad populum habebant, quemadmodum docet Childeberti Regis constitutio a Sirmondo [10] allata. Nam Nazianzenus [11] valere jubet eos, qui *cancellatae portae* vim inferentes eam sermonis tempore impellebant. Qui-

1 lib. IX. cap. II.
2 tit. XVI. §. II.
3 In exampl. suggestion. Garmani, et Joh. Episcoporum. T. IV. Coll. Labbè col. 1482.
4 cap. LXXV. de Monachis, qui ad opus *Dei* tardius veniunt.
5 cap. LXXVI.
6 cap. CXIV.
7 c. XLV. LXII. LXXXI. LXXXVIII. LXXXIX. XCIV. CII.
8 in Glossario.
9 ad Socratis lib. VI. cap. V.
10 Tom. I. Concil. Gall. p. 300.
11 in Oratione XXXII.

bus Nazianzeni verbis lucem afferre videntur illa Sidonii [1] carmina.

> *Seu te conspicuis* gradibus *venerabilis Arae*
> *Concionaturum plebs sedula circumsistit.*

Eadem tradidit Monachus Sangallensis de quodam Episcopo [2], *post Evangelii lectionem adscendit ad* gradus, *quasi ad colloquendum populum*. Hoc enim loco exedram Episcopo concionanti positam fuisse putavit eruditissimus Petrus Lazerus [3], de qua meminit Augustinus, ubi refert [4] *sermonem redditum de superiori loco*, quoties Episcopus a Throno absidae, ubi residere, ac concionari solitus erat, Clericos, ac populum alloqui nollet. Neque mirum videri debet, Episcopos, ut facilius, commodiusque audirentur, in variis Ecclesiae locis concionatos esse; cujus rei plura afferunt exempla Frid. Borromaeus [5], et Bernardinus Ferrarius [6], inter quae praecipue memorandum est, quod Socrates tamquam singulare quidpiam tradidit de Joh. Chrysostomo [7], qui ad populum verba fecit ex ambone.

§. IV.

Tribunal, et Ara Secretarii minoris.

Sacrum Altare, quô per *gradus* hactenus descriptos adscendebatur, ita *ab altitudine nominatum*, ut cum aliis interpretatur Isidorus [8], *quasi alta ara*, quodque *in Tem-*

1 carm. xvI. ex recens. Sirmondi v. 124. pag. 252.

2 lib. I. cap. xx.

3 de Liminibus Apostol. Romae 1775. 4. pag. 15.

4 lib. xII. de civitate Dei c. xxvIII.

5 de Episc. concion. Mediol. 1632. fol.

6 de ritu Sacrarum Concionum. Mediol. et 1621. Lugduni 1662. Paris. 1662. Vltrajecti 1692. Venetiis 1731.

7 lib. vI. cap. v.

8 lib. xv. Origin. cap. IV.

plo, ut notat Rupertus Abbas [1], *quomodo Christus toti Ecclesiae dignitate, et honore, praeeminebat*, etiam *Tribuna* vocabatur, quasi *Tribunal*, ut fratres Macri explicant in *Hierolexico*, quod pone esset Cathedra Pontificalis, quemadmodum in aedibus S. *Caeciliae trans Tiberim* [2], *S. Agnetis via Nomentana* [3], aliisque in Vrbe adhuc exstantibus palam est. Haud aliter profecto videtur accipienda hujusmodi vox in Ordine Romano [4]. *In hoc honorabili ministerio debet Pontifex venire in* Tribunal *Ecclesiae, et inclinare caput contra Altare*. Quid, quod legimus in vita S. Dionysii Mediolanensis [5]; *et coeperunt se Ariani intra Ecclesiam cum Catholicis miscere, ita ut Episcopi illorum* Tribunal *conscenderent*?

Plura vero exhibet hujusce vocis exempla Graecorum Euchologium. Nam, ubi *ritus faciendus in ordinatione Diaconi explicatur*, haec legas [6]. *Egressi duo Diaconi e sancto* Tribunali, *Diaconum ordinandum in solea stantem assumunt, et in sanctum* Tribunal *inducunt*. Atque haec extrema verba in *ritu de ordinatione Episcopi servando* [7] repetuntur, ubi paucis interjectis, *confestim dicitur ter, Domine miserere, ab eis, qui sunt intus, et extra* Tribunal. Neque praeteream, quae continet Ordo Syrorum Nestorianorum *de ordinatione Episcoporum*, ubi legimus [8]. *Egrediuntur Sacerdotes, et Diaconi ad* Tribunal, *portantes luminaria, et turibula; unusque de Presbyteris crucem portat, et Episcopus procedit cum eo, et dum laudem recitat Episcopus,*

1 lib. v. de divin. Offic. cap. xxi.

2 Jac. Laderchi acta S. Caeciliae V. et M. et Transtiberina Basilica seculorum singulorum monumentis asserta, et illustr. Romae 1723. 4.

3 Piazza Gerarchia Cardinalizia p. 602.

4 T. II. Mus. Ital. p. 56.

5 T. vI. Maii Bolland. p. 46.

6 apud Martene T. II. de Ant. Eccl. rit. pag. 265.

7 ibid. pag. 271.

8 ibid. pag. 316.

adscendunt Tribunal ; ac paullo infra, *eius vice dixerunt hymnum Cancelli, cum quo egrediuntur* ad Tribunal. Item ritus Ecclesiae Toletanae ex Missali Mozarabum, ubi exhibent *orationem ad benedicendam lucernam*, haec addunt [1]. *Quum tota cera accensa fuerit, praecedunt Clerici, et Levitae lucernam, et lucerna Episcopum, atque Presbyteri, et vadunt per bubata ad chorum, dumque adscenderint juxta* Tribunal, *ab Episcopo imponitur antiphona*.

Nonne item verba actorum S. Bertrandi, de hoc eodem loco intelligenda sunt [2], *apud* Tribunam *majoris arae, et penes monumentum, in quo praefati corpus Praesidis in pace quiescit?* Ego vero non modo haec, sed etiam illa Antonii de Yepez [3], pro abside accipienda esse puto, *sub hac* Tribuna *jacet corpus quondam Wifredi Comitis*. Hoc enim privilegio Antistitum, ac principum virorum, qui de Ecclesia benemeriti fuerant, exuvias decorabant. Verum ibidem multo frequentius SS. MM. cineres recondebant. Profecto tradit Evagrius, ut inferius ostendam, infra testudinem ab Oriente Euphemiae Martyris reliquias fuisse repositas; idque pluribus aliis contigisse constat. Quae quidem perspicue demonstrant, Martyres, qui *Aras* in *Secretariis Judicum* positas invicte despexerant, ac tormenta sibi illata magnanime superaverant, postmodum in *Aris*, et *Secretariis* Christianorum, mirabili, ac felici rerum commutatione, publico honore, ac cultu fuisse affectos.

Post haec, quis non una mecum fateatur, magnam inter utrumque *Secretarium* similitudinem intercedere? Ambo *Cancellis* munita, *Velis* cooperta, *Gradibus*, *Tri-*

1 T. III. Martene p. 459.
2 in T. II. Junii Bolland. p. 802.
3 T. IV. chronicae Ordinis S. Benedicti p. 362.

Digitized by Google

bunali, *Ara* instructa vidimus; Clericos autem, *Cancellariorum* vices referre, qui nempe, ut animadvertimus, *Cancellorum* fores observabant, ac *vela* reducebant; Presbyteros, *Honoratorum* instar, ibidem considendi privilegio donatos; Episcopos demum eodem loco, seu concionantes, seu rei divinae adstantes, *Judicum* veluti personam sustinere. Satis itaque, ut opinor, ex his constaret, haud absonum certe esse, quod initio statueram, etsi quoad usum dissimilia, multo tamen quoad formam similia, inter se esse *Ethnicorum*, et *Christianorum Secretaria*. Ceterum, mea quidem sententia, nulla alia re magis eadem inter se convenire videntur, quam ob *Conciliorum* usum, quibus apud Christianos frequenter inservierunt, quaeque nunc enumeranda suscipio.

§. V.

De Conciliorum celebratione in Secretario minori.

Etsi inficiandum minime sit, *Concilia* in *majoribus* quoque *Secretariis*, de quibus infra disseremus, fuisse celebrata, quippe quae plerumque magis ampla, et spatiosa, ingentem Episcoporum numerum, qui ea conflare solebant, commodius recipere possent, tamen ea vel *in minora Secretaria* saepe coacta fuerunt. Nam, uti Mabillonius [1], et Hieronymus de Prato [2] apposite observant, Christiani veteres, qui *Secretaria* ex Ethnicorum imitatione, ut alia quamplurima, in suos usus transtulerunt, eadem, illorum instar, pro loco judiciis ferendis, ac negotiis dirimendis accomodato, usurparunt.

Porro Consessus Episcoporum, qui de re Christia-

1 T. II. Mus. Ital. in Comm. p. XXIII. 2 in notis ad Sulpic. Sever. p. 369.

na, seu de Clericorum caussis deliberaturi, in unum conveniebant, graece συνέδριον, συμβούλιον, σύνοδος, latine *Concilium* vocabatur. Hujusmodi *Conciliorum* celebrationem Arnulfus Sagiensis Archidiaconus sancitam fuisse dicit, [1] *ut inde virtutum doctrina, malorumque correctio proveniret, et velut exercitus sui facultate conspecta, ipsam se plenius Ecclesia mater cognosceret, ut adversum vitia severius insurgendo, instantium bellorum triumphos posset confidentius auspicari.*

Sapienter autem Martenius [2] pronunciat, consentaneum fuisse, Ecclesiae negotia non modo in Templis, sed in sacratiori eorum parte, penes Sanctuarium pertractari, ut Praesulum, qui eò conveniebant, animi, loci ipsius dignitate, ac reverentia permoti, ad Relligionis tuendae studium, vehementius excitarentur. Id autem praecipue eluxit in Chalcedonensi Concilio, quod Liberatus Diaconus actum fuisse tradidit in *Secretario*, Patresque omnes ejus sessiones celebrasse *ante Cancellos SS. Altaris. Adveniens*, inquit [3], *Marcianus Imp. ad* Secretarium *cum judicibus, et sacro Senatu, allocutionis verba fecit in* Concilio.

Quinam vero locus esset *ante Cancellos*, quem Liberatus *Secretarium* nominavit, egregie demonstrat Card. Baronius, cujus haec sunt verba [4]. *Meminisse debes, quod et in antiquis Basilicis cernitur inter Ecclesiae gremium, et absidem, ubi sedes Episcopi locari solebat, esse Sanctuarium collocatum, quod quidem Altare erat primarium in medio situm, undique circumcirca* cancellis *septum*; ac deinde interjectis Eusebii verbis a nobis supra allatis, haec subnectit. *Ante igitur Altaris* Cancellos *absidem respicientes, apparet congregatum fuisse* Concilium, *totumque occupasse locum, qui interjacet*

1 contra Girardum Egolism. Ep. c. II.
2 de ant. Eccl. ritibus T. II. p. 862.
3 in Breviar. cap. XIII.
4 in Tom. VI. pag. 139.

inter Cancellos, *et absidem, ubi erat thronus Episcopalis, qui quidem in amplioribus Basilicis haud mediocris latitudinis, et longitudinis existebat, et quidem capax cujusvis numerosi consessus Episcoporum*. Ac demum ita rem absolvit. *Intelligis, puto, et ex his, quam procul absit, ut veritatis scopum attigerint, qui de* Secretariis *aliter sunt opinati*; nempe ii, qui Liberati verba de *Secretario majori* accipienda esse existimarunt. Recte igitur Mabillonius [1], *aliquando Concilia in Sanctuariis, seu Presbyteriis, quae nonnunquam etiam* Secretaria *vocantur, celebrari* consuevisse pronuntiat.

Ibidem vero solos Antistites, ac Sacerdotes sedendi potestatem habuisse, tenendum est. Et sane in Constitutionibus Apostolicis Diaconi *stantes* describuntur, et Eugenius II. [2], ac Gelasius, Diaconis in Presbyterio *sedere* vetarunt, seu quum divina peraguntur, seu quum ecclesiasticus quicumque tractatus habetur [3]. Praeterea in Concilio Lateranensi, quod Cennius in lucem edidit, *adstantem Anastasium Archidiaconum, et cunctos relligiosos Dei famulos videmus*. Quis autem ignorat pervulgata Hieronymi verba [4], *Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemtibiles facit. Ceterum etiam in Ecclesia Romana, Presbyteri* sedent, *et* stant *Diaconi*? Quod semper in usu fuisse, si Diaconos Cardinales excipias, docet Ordo Romanus apud Mabillonium, qui jubet [5], ut *corona facta de sedibus Episcoporum, Presbyteri à tergo eorum resideant, quos tamen sessuros secum Metropolitanus elegerit, qui utique et cum eo judicare aliquid, et definire possunt. Diacones in conspectu Episcoporum* stent. Qua in re vides etiam *seden-*

1 T. II. Mus. Ital. in Comm. p. XXII.

2 in Synodo Part. II. pag. II.

3 Concilium Lateranense Stephani III. anno DCCLXIX. Romae 1735. 4.

4 in Epistola VI.

5 Ordo XIV. §. CIV. de ordire, qui observatur in celebratione Concilii generalis.

di privilegium, quod *Honoratis* tantum, et Caussarum Patronis in *Judicum Secretariis* tributum fuisse novimus [1], id in *Secretariis Christianorum*, Presbyteris dumtaxat, honoris caussa, concessum, quos Concilium Matisconense II. in Can. xv. *Clericos Honoratos* appellat; quo nomine Sacerdotes, et Diaconos designatos fuisse docet S. Karolus [2].

Quid plura? frequens *velorum* indicatio, quae in Conciliorum historia, quae in *Secretaria* coacta sunt, saepe occurrit, aperte declarat, pone *Sanctuarium* habita fuisse, quod unice *velis* obducebatur. Haud enim scio, in *majoribus Secretariis*, quae infra describenda erunt, unquam *vela* fuisse appensa. Atque, ut cetera omittam exempla, illud tantum proferam Synodi Romanae [3] sub Zacharia habitae in *Patriarchio Lateranense*, *in Basilica*, quae appellabatur, *Theodori* [4], ubi legitur. *Denaeardus relligiosissimus Presbyter pro velo est, et petit ingredi. Quid praecipitis? dictum est, ingrediatur; quumque ingressus fuisset, Zacharias Sanctus Papa dixit ... Quid ergo denuo nostris* Secretariis *te ingredi postulasti*? Atque alibi in eadem Synodo habemus [5], *praesto est pro foribus*, quibus nempe *velum*, uti jam vidimus [6], suspensum erat.

Praeterea plura etiam Concilia in Templis habita fuisse scimus, ac Romae praesertim *apud Cineres B. Petri*. Saepe enim Bonifacius II. *congregavit Clerum in Basilica B. Petri Apostoli*; ne quid modo dicam de Synodo, quam celebravit in *Consistorio B. Andreae Apostoli*, ubi etiam

1 pag. 14.
2 in Act. Eccl. Mediol. fol. 548. v. Sarnellium in T. I. Liter. Eccl. p. 27. che i Preti virtuosi, e dotti debbano esser tenuti in pregio da' loro Prelati.
3 sess. II.
4 Rasponus de Patriarchio, et Basilica Lateran. lib. IV. c. IV. de Orat. S. Sebastiani, seu de Basilica Theodori Papae pag. 353.
5 sess. III.
6 pag. 25.

ante consessum Episcoporum, cui Gregorius M. praeerat, absolutam esse scimus S. Gregorii Episcopi Agrigentini caussam; quod de iis singulatim alibi opportunius disserendum erit. Siricius item, quidquid contra Quesnellius [1] obmussitet, a Schelestrato [2], Balutio [3], Coustantio [4], Petro Lazero [5] vindicatus, Synodum congregavit anno CCCLXXXVI, ex qua celebrem scripsit epistolam, istiusmodi verbis exorsus; *quum in unum plurimi fratres convenissemus, ad S. Petri Apostoli reliquias.* Quae quidem, aliaque multa, ne lectores fatigem, consulto omittenda, in *Presbyterio*, seu *minori Secretario* acta esse, quis non agnoscat?

Etenim ille idem locus, qui sacros Antistites, Presbyterosque excipiebat ceteris diebus, ad rem divinam peragendam, precesque concinendas, iisdem commodam veluti stationem exhibebat, ad Conciliorum celebrationem. Huc etiam revocanda sunt acta Synodi VI. Oecumenicae habitae Cpoli sub Justiniano anno DCLXXX. *die* XII. *mensis Novembris*, ut ait Anastasius in vita S. Agathonis [6], *in Basilica, quae et Trullus* [7] *appellatur, intra Palatium, sub regali cultu residente Constantino Augusto, et cum eo Georgio Patriarcha Constantinopolitano, et Macario Antiocheno.* In iisdem actis, Synodi locus *Secretum* dicitur [8], quod Anastasius Palatii *Secretarium* fuisse declarat, inquiens [8], *alia die catholicae fidei defensor pius*

1 in opera S. Leonis M.

2 in antiquit. Eccl. illustr.

3 de Synodo Teleptensi. post Petri de Marca opus de Concord. Sacerdot. et Imp. edit. Nanc. 1708. fol. col. 1243.

4 in Epistol. Rom. Pont. p. 683.

5 de Conciliis Romanis prioribus IV. Ecclesiae seculis. Romae 1755. 4. p. 20.

6 T. I. p. 278. §. VI.

7 Meursius in τροῦλλος. Bulengerus de Templis lib. III. cap. XXIX. Allatius de Templis recentiorum Graec. epist. II. n. III, ubi plura de Trullo, ac Templis Trullatis.

8 ibid. p. 280. §. VII.

9 in Act. V. sub finem.

Digitized by Google

Princeps in Secretario *residens, inquisitione de ipsis Codicibus facta, ita reperit falsa ipsa noviter addita fuisse.*

Singulae vero Conciliorum Sessiones, quae in *Secretario minori* habebantur, *Secretaria*, ex ipso loco mutuato nomine, fere semper appellabantur, quod in aliis etiam Conciliis, quae in *majora Secretaria* cogebantur, usuvenisse compertum est. Habes hac de re in pluribus Conciliis exempla. Nam, ut praeteream memoratam Conc. Chalcedonensis historiam, ubi legitur, *soluto primo Conventu, secundo* Secretario *interloquentibus judicibus*, ac paullo infra, *tertio Secretario*, Concilii Lateranensis prima sessio [1] dicitur *Secretarius* I, secunda [2] *in Secretario* II. Praeterea in Conc. Rom. II. sub Zacharia anno DCCXLV. in fine actionis I, *SS. ac Beatissimus Papa Zacharias dixit, quia hodie jam tardior hora est, venturo* Secretario, *relictis iterum vita eorum, et actibus, communi consensu mediante Deo, quid fieri debeat, pertractandum est*. Eodem modo loquutus est actione II. *Gregorius Notarius regionarius, et Nomenculator dixit. Juxta vestri Sancti Apostolatus praeceptum, quod in praeterito* Secretario *jussistis, Denaeardus relligiosus Presbyter adest pro velo, quid praecipitis? dictum est, ingrediatur; quumque ingressus esset, Zacharias SS, ac BB. Papa dixit: actus illius nefandissimi Aldeberti, sive cetera, quae de eo sunt scripta, quae, praeterito* Secretario, *prae manibus gerebas, coram praesente Concilio, porrige legenda*. Praeterea totidem Synodi V. consultationes, seu sessiones, totidem diebus confectae, *Secretaria* nuncupatae fuerunt.

1 Tom. III. pag. 687. 2 Ibid. pag. 710.

§. VI.

De ritu ibidem Oblationes deponendi, antequam ad Altare deferrentur.

Jam vero ad ceteros usus *Secretarii minoris* explicandos progrediamur. Ac primo, quum nefas esset non modo haereticorum, eorumque omnium, qui ab Ecclesiae communione sejuncti erant, sed etiam illorum, qui odiis inter se dissidebant, vel qui pauperes oppressissent, vel qui aliena rapuissent, seu demum qui Ecclesiasticam immunitatem violassent, oblationes accipere, iccirco, ut sciret Episcopus, quemadmodum Auctor Apostolicarum Constitutionum [1] praescribit, *a quibus accipere oblationes deberet, et a quibus accipere non deberet*, eae primum in *Secretario minori* deponebantur, nimirum in loco a sacra mensa sejuncto, qui a graecis *Prothesis*, aut παρατράπεζον, a Latinis *Oblationarium* dicebatur, aut *Paratorium*. Ibi enim Presbyter Episcopo inserviens, aut Diaconus Presbytero ministrans, an admittendae, et ad aram deferendae, an potius repudiandae essent, sedulo inspiciebant. Praeterea, quum panis cum caseo, ut Epiphanius [2], et Augustinus [3] ab Artotyritis fieri voluisse narrant, cum sale subactus, oleo, et sale conglutinatus, oleo, et ture confectus, aliaque a Francisco de Berlendis [4] descripta, ab altari rejicerentur, quô tantum, quae *Christus obtulit*, Concilium III. Chartaginiense [5] offerenda indixerat, ipsarum rerum offerendarum delectum prius haberi oportebat. Hujusmodi ritus, qui a S. Germano Episcopo Constantinopolitano memoratur [6], apud graecos adhuc

1 haeres. LXIX. num II.
2 de Haeres. cap. XLVIII.
3 lib. IV. cap. VI.
4 de Oblationibus p. 7.
5 con. XXIV.
6 in Theoria rerum Ecclesiasticarum.

retinetur, qui, teste Goaro, panem in missa consecrandum offerunt in continenti *Secretario*, priusquam in mensam propositionis inferatur.

§. VII.

De Sacerdotum Ordinationibus in Secretario minori.

Edmundus Martene [1] in lucem protulit Ordinem Syrorum Nestorianorum, a Johanne Morino latine redditum, qui ritus in Sacerdotum ordinationibus servandos ita describit. *Accedunt ordinandi ad Episcopum, qui tondet eorum capillos, et cingulo ligat lumbos eorum, ipsi autem stant ante* gradum *Altaris. Episcopus vero ad Altare ingreditur, et incipiunt* Pater noster. *Archidiaconus statuit ordinandos* coram gradibus Secretarii, *ut inde tollant vestes, et operimenta sua exteriora. Jungunt autem manus suas, et partes lectionum, et stolas gestat unus ex Diaconis.* Vides heic *Sanctuarii gradus* diserte *Secretarii gradus* fuisse appellatos, super quos Episcopus ordinandos sacro chrismate signabat. Id enim liquet ex iis, quae infra adjiciuntur [2]. *Archidiaconus exclamat, Lectores ordinandi sunt, orate pro illis, et jubet eos adscendere in primum gradum.* Quapropter ambigendum minime est, allati Ordinis verba ad *Secretarium bematis* esse referenda, ubi majores ordines sollemni ritu conferebantur [3]. Nam in *majori Secretario*, seu *Diaconico*, minorum dumtaxat ordinum collatio in usu erat, ut loco suo demonstrabimus.

1 Tom. II. de ant. Eccl. rit. p. 301.
2 ibid. pag. 302.
3 V. Haberti ἀρχιερατικὸν. Paris. 1643 fol. Joh. Morinum de Sacris Eccl. Ordinat. Paris. 1655, et Bruxell. 1686. fol. P. III. Hallier, et Sbaraleam de sacr. Ordinationibus. p. 141. Edmund. Martene l. 1. de Antiq. Eccl. rit. pag. 337, et Andream Quenstedium de minorum Ord. Eccles. Ministris, et Sacer. consec. Vitemb. 1679.

Digitized by Google

§. VIII.

De Viduarum Profeſſione in Secretario minori.

Inter auguſtas, piaſque caeremonias, quas in *Bematis Secretario* identidem celebrari in more poſitum erat, haud poſtremo quidem loco memoranda eſt ſollemnis *Viduarum Profeſſio*. Ibi enim *ſecundum hunc caſtimoniae gradum*, ut cum Hieronymo [1] loquar, coram Epiſcopo profitebantur, et ab eo veſtem vidualem accipiebant. Id conſtat ex Canone XXVII. Concilii Arauſicani I, ubi praeſcribitur [2], *viduitatis ſervandae profeſſionem coram Epiſcopo in* Secretario *habitam*, *impoſita ab Epiſcopo veſte viduali non eſſe violandam*; *ejus vero robatorem*, *vel ipſam talis profeſſionis deſertricem merito eſſe damnandam*. Eas ab hujuſmodi veſte *pullatas Viduas* vocat Vincentius Lirinenſis [3], et *ſanctae profeſſionis* [4] *Viduas*, *continentiam profeſſas* [5] dicit Salvianus. In Conciliis vero Gallicanis *Profeſſae*, *Conſecratae*, *Benedictae* promiſcue nuncupantur; ut adnotavit Ducangius [6], qui protulit eorum loca, eaſque priſcas *Diaconiſſas* fuiſſe contendit [7].

1 in Epiſt. XXVI.
2 apud Regionem in I. append. p. 405.
3 In Commonitorio I.
4 in lib. III. ad Eccl. Catholicam.
5 in Praef. ad eoſdem libros.
6 in notis ad Alexiadem pag. 418.
7 V. Morinum in exercitat. de Diaconiſsis earum ordinat., et miniſteriis ſecundum Eccleſ. Graecae, et Latinae praeſim in comm. de ſacr. Eccl. Ordin. Amſt. 1695. fol. P. III. p. 143. Cabaſſutium in diſs. de Diaconiſsis. In Notit. Eccleſ. Lugdun. 1680. fol. p. 25. Agnellum Onorato in Diſs. delle Diaconeſſe. inter ejuſd. Diſs. Lucae 1727. 4. p. 64. Pomp. Sarnellium, perchè il ſeſſo feminile impediſca il ricevimento del Sacramento dell' Ordine? in Tom. IX. Liter. Eccl. pag. 27. Joh. Piniun in Tractatu de Eccleſiae Diaconiſsis. in Tom. I. Septemb. Act. SS. Bollend. p. I. Joh. Phil. Odelemium in Diſs. de Diaconiſsis primitivae Eccleſiae. Lipſiae 1700. 4. alioſque plures a Fabricio in Bibliographia antiquar. pag. 663, et Walchio in hiſtor. eccl. p. 444. commemoratos.

Nunquam tamen, doctissimis ceteroqui viris, Martenio [1], Balutio [2], Maurinis [3], et Galliciolio eorum asseclae [4], Dom. Georgio [5], et Liberato Fassonio [6] adsentiar, qui hanc professionem in *majori Secretario* haberi consuevisse tradunt. Nemo enim non videt, haec tantum de *Presbyterio*, ut recte opinati sunt Franciscus Aduars [7], et Christ. Nettelbladt [8], accipienda esse, ubi, uti nunc etiam fit, sese voto obstringebant profitendae castitatis. Nil enim, quominus ita opinemur, vetant Martini Bracarensis Episcopi verba [9], *non liceat mulieres in* Sacrario *ingredi*, quae consonant Conciliorum sanctionibus supra allatis [10]. Nam vel in *Secretarium majus* feminis praeclusus erat ingressus. Nihilominus pro nuptiarum celebratione, ac pro virginum, et viduarum professione, ac velamine, vel ipsis mulieribus in utrumque *Sacrarium*, *majus* nempe, ac *minus*, ob sacras obeundas caeremonias, patebat accessus.

1 T. II. de Ant. Eccl. rit. p. 553.
2 in not. ad Caesarium Arelatens. p. 226.
3 in T. II. Opp. S. Gregorii pag. 503.
4 T. IX. edit. venet. oper. S. Gregorii.
5 T. I. de Litur. Rom. Pont. p. 69.
6 de Puellarum Monasteriis. pag. 89.
7 in Tom. V. Operum Ant. Augustini. p. 548. in Part. II. l. I. Tit. XXV.
8 Programma de velo viduarum, virginumque. Griph. 1738. 4.
9 cap. XLII.
10 pag. 16.

CAPVT II.

De Secretario majori.

Quicumque in sacrarum rerum cognitione plane hospes non sit, ac peregrinus, probe profecto noscet, circum vetustiores, insignioresque Basilicas nonnulla exstitisse aedificia, quae vulgo *exedrae* dicebantur, eo quod, ut docet Walafridus Strabo [1], *extra haererent*, quasque interdum porticibus conjunctas fuisse colligimus [2]. Et sane dubitare nemo potest, vel circa Templum Hierosolymitanum, hujusmodi aedes ad Sacerdotum, qui ibidem sacrificia peragere debebant, hospitium, et sacrae supellectilis custodiam fuisse excitatas; quum id manifesto liqueat ex lib. 1. Machabaeorum [3], ubi tamen eas *Pastophorii* titulo efferri, loco suo ostendemus. Hieronymus [4] *pro thalamis triginta, quos vertere septuaginta, sive Gazophylaciis, atque Cellariis, ut interpretatus est Aquila, Symmachum* ἐξέδρας *posuisse* notat; et paullo post, *statim intuitus est triginta thalamos, vel Gazophilacea, sive, ut Symmachus interpretatus est, Exedras, quae habitationi Levitarum, atque Sacerdotum fuerant praeparatae*. Item Templi *exedram* Josephus commemorat [5].

Nec secus agendum sibi esse existimarunt Christiani veteres, qui statim ac sacras Aedes libere excitare potuerunt, cubicula Templis adjicienda curarunt, ubi sacra vasa, et quidquid pro Altari, et Sacerdotum ministerio oporteret, sancte, ac relligiose custodirent. Nam Eu-

1 in lib. de reb. Eccl. cap. v.

2 ex vet. Inscript. 55. 3. 172. 3.

3 cap. iv. v. 38. et 57.

4 In cap. xv. Ezechielis.

5 In lib. xxI. antiquitatum Judaicarum cap. vII.

sebius Caesareensis, postquam magnificentissimum Templum in Vrbe Tyro a Paullino exstructum descripsit [1], *inde ad ea, quae extra Templum posita sunt, conversum, exedras, et* οἴκους βασιλείους, *domus Basilicas,* ἀνακαμπτήρια, *diversoria,* καταγώγια, *habitacula, utrimque fabricasse* narrat. Praeterea alterum Antiochiae Templum a Constantino erectum memorat [2], *plurimis circumquaque cubiculis, et exedris circumdatum*, ut Valesius [3], et Binghamus [4] explicarunt. Hujusmodi vero *exedrae* interdum etiam *accubitus*, vel *accubita* vocabantur, ac praesertim *triclinia* aedibus sacris adjuncta, de quibus praeter Macrum [5]; praecipue consulendi sunt Ducangius [6], et Alemannus [7].

Quapropter mirandum minime est, circum Basilicam Vaticanam plura aedificia, vel a vetustissimis temporibus constitisse, de quibus construendis mire solliciti fuerint Romani Pontifices. Nam, ut nonnulla ex iis commemorem, ad Septemtrionem veteris Basilicae exstabat aedes *S. Johannis ad Fontes*, utpote eam Petrus Mallius [8] appellat, quod ibi situm esset Basilicae *Baptisterium*, a Damaso, et Prudentio celebratum. Idem Oratorium a Symmacho exstructum, et a Leone III. instauratum Alpharanus [9] indigitat, quod primitus a Basilica sejunctum fuisse videtur, ex veteri Christianorum instituto, qui separatim *Baptisteria* aedificabant. Verumtamen in posteriori murorum constructione intra Basilicam ab Adriano IV. inclusum fuit. In eadem Alpharani tabula, ex hoc ipso latere, aliae etiam aedes occurrunt Basili-

1 lib. x. c. IV. p. 474.
2 lib. III. cap. L. pag. 606.
3 in Euseb. edit. Cantabrig. p.474. et 606.
4 Orig. Eccl. l. VIII. T. VII. p.252. 274.
5 in Hierolexico p. v.
6 in Constantinopoli Christiana.
7 de Lateranens. Parietinis.
8 in Comment. de Basil. S. Petri. in T. VI. Jun. Bolland.
9 num. 31, et 32.

cae contiguae, nimirum S. *Ambroſii* [1], S. *Vincentii* [2], et S. *Gregorii* [3]. Verum praecipue memoranda sunt Templa *S. Apollinaris*, *S. Mariae in Turri*, *S. Andreae*, et *S. Petronillae*, praeter Monasteria SS. *Johannis, et Paulli*, S. *Martini*, S. *Stephani Majoris*, et *Minoris*, S. *Theclae*, sive *in Hieruſalem*, de quibus ſeparatim, ac peculiariter diſſeremus.

Ceterum inter exedras Christianorum Templis continentes, primum sane locum ſibi vindicabant *Secretaria*, quae, ut a deſcripto *Bematis Secretario* distinguerent, *majora* nuncupabant. Itaque, abſoluta *Secretarii minoris* deſcriptione, alterius hujuſce exedrae illuſtrationem aggrediamur.

§. I.

De ſitu, in quo veteres Chriſtiani majora Secretaria ſtatuebant.

Veterum Templorum Ichnographiae, quas complures nobis exhibent, tum e noſtratibus Catholicis, tum ex heterodoxis Scriptoribus [4], *Secretarium majus* in extrema Templi parte, auſtrum verſus, collocatum fuiſſe demonſtrant. Nam, ut ait Amalarius [5], *maſculi ſtant in auſtrali*

1 litt. z.
2 litt. aa.
3 litt. cc.
4 Ducangius in deſcr. aedis S. Sophiae et in Cpoli Chriſt. lib. III, et IV. Sarnellius in Baſilicographia. Neap. 1686. 4. Mabillonius T. II. Muſ. Ital. in Comm. p. XXIV. Goarius in Euchologio Graecor. Allatius de Templis recentiorum Graec. et de Narthece vet. Eccl. Agripp. 1645. 8. Bocquillotius Traitè Hiſtorique de la Liturgie pag. 56. Beveregius in Pandect. Canonum ad Synodum 4. p. 71. Ludolphus in Hiſt. Aethiopica p. 371, et 735. Voigtius in Thyſiaſteriologia p. 236. Frid. Spanhemius in T. 2. Hiſt. Eccl. p. 862. Th. Smith. de ſtatu Eccl. Graecae p. 51. Joh. Fabric. de Templis veter. Chriſt. Helmſt. 1704. 4. Speelmannus in T. I. Conc. Britan. p. II. Binghamus in l. VIII. Ant. Eccl. p. 172.
5 de officiis Eccleſiaſticis liber III. cap. II.

parte, et feminae in boreali[1]. Quem quidem ritum ab Hebraeis quoque servatum fuisse, Ezechielis [2] loca nos docent. Id certe, ne quid modo dicam de *Basilicae Vaticanae Secretariis*, quae omni aevo ad austrum posita fuisse declarabimus, in Basilica Lateranensi praestitum fuisse constat, cujus ichnographiam protulerunt Rasponius [3], et Ciampinius [4]. Quum enim veteres Basilicae plerumque Solem orientem respicerent, austrum habebant ad sinistram introeuntium.

Verum aliam quoque caussam hujusce *Secretariorum* positus adducunt Fratres Macri in Hierolexico. Ea enim ad australem aedium sacrarum partem a Christianis collocata fuisse putant, ut illa Prophetae Habacuc verba, *Deus ab austro veniet*, in mentem facilius revocarent. Quocirca, ut docet Amalarius [5], *Secretarium ab australi parte* exstructum declarat, *Dominum Jesum a parte meridionali ortum esse. Nam Hierusalem in meridie habet Bethleem, a quo loco ipse Salvator venit*. Haec si Cl. Alex. Aurelius Pelliccia animadvertisset, profecto non affirmasset [6], navim mulierum *in Ecclesiis* altera viris destinata, *breviorem forte evasisse*, quod *eo latere* plerumque Secretarium *esset, ad absidae nimirum laevam*.

Ceterum, etsi in locorum divisione, ligneis parietibus habenda, et a Cyrillo, Ambrosio, et Augustino praescripta, laeva pars viris fuerit assignata, fatendum tamen est cum Binghamo [7], et Thoma Milles [8], diversam

1 V. Micrologum cap. IX, Honorium Augustodunensem l. I. c. CXLV. l. III. cap. LXVI, et Durandum lib. I. Ration. cap. I. mem. XLVI.

2 cap. VII. n. XIV, et XVI.

3 de Patriarchio, et Basil. Lateranens. lib. IV. cap. XX. p. 386.

4 de Sacr. Aedif. a Constantino constr. cap. II. pag. 14.

5 in Introitus pag. 334.

6 in Christ. Eccl. Politia T. I. p. 199.

7 lib. III. c. V. §. VI.

8 In adnotation. ad Praefat. S. Cyrilli Hier. p. 10. Oxon. 1703.

aliquando in hac re Ecclesiae disciplinam fuisse. Quandoque enim viceversa, viris dextera, mulieribus laeva donata fuit. Quod etiam de *Secretariis* dicendum est, ut patet ex positu *Secretarii* veteris Diaconiae S. Mariae ad Scholam Graecam, a dextra ingredientium, propterea quod auster ejusdem Basilicae, ut recte animadvertunt Mabillonius [1], et Crescimbenius [2], introeuntium dexterae obversus erat. Hoc idem *Secretarium* a Nicolao instauratum fuisse tradidit Anastasius, ubi praeclarissimi Pontificis gesta commemorans, ait [3]. *Renovavit in Basilica Dei genitricis Mariae, quae dicitur Cosmedin*, Secretarium, *ibique pulcri decoris fecit triclinium cum caminatis ad honorem, et decorem ejus. Pari modo juxta idem* Secretarium *porticum renovans illic construxit, atque aedificavit Oratorium in honore Sancti Nicolai, et plurima dona ibi contulit almus*. Quod dum praestitit Nicolaus, Gregorii IV. exemplum imitatus est, qui, teste eodem Anastasio, *dum diligenter cerneret, quod ejusdem venerabilis Diaconiae* (Martyris Georgii, ubi porticum picturis ornaverat, et absidam a fundamentis erexerat) Secretarium *prae nimia vetustate marcesceret, a noviter pro ipsius amore, vel gratia aliorum, ad meliorem erexit honorem*.

§. II.

Majorum Secretariorum antiquitas.

Secretaria usque ab antiquioribus Ecclesiae seculis, inter praecipuas sacrarum Aedium partes fuerunt adnumeratâ; ac praecipuo cultu observata. Querebatur enim S. Cae-

1 loc. cit. pag. XXII.

2 Istoria della Basilica Diaconale, Collegiata, e Parrocchiale di S. Maria in Cosmedin. Roma 1715. c. xv. dell'antico Segretario pag. 158.

3 Tom. III. §. LII. pag. 201.

sarius Episcopus Arelatensis [1], *quanti in porticibus Basilicarum, vel in* Secretariis, *detractionibus, vel otiosis sermonibus occupantur, inter quos non parvus solet etiam esse numerus Clericorum*. Ex quibus liquet, olim piaculo adscriptum fuisse, quod in *Secretariis* otiosi sermones sererentur. Porro in extremis sepulcralis monumenti verbis [2] a Flavio Lacanio positi Domnino Episcopo Viennensi, qui circa annum DXXXVI. rebus humanis interesse desiit, *Secretarii* constructio ita memoratur.

EX VOTO
FLAVIVS . LACANIVS . V. C.
CVM . SVIS . FECIT . DE . PROPRIO
BASILICAM . SECRETARIVM
ET . PORTICVM

Ejusdem loci meminit Charta Reginardi Episcopi Biterrensis anni CMXXXIII [3], *et quantum ibidem ad pertinendum est, id est in Ecclesia S. Petri in sacris* Secretariis, *et Coemeteriis*. Occurrit etiam in vita S. Adelgisi Episcopi Novariensis, ubi legas [4]. *Reliquiae primum S. Gaudentii a vetere Ecclesia S. Gaudentii in Ecclesiam S. Vincentii illatae sunt .... et adhuc in ea Ecclesia sunt, quae a parte illius novae Ecclesiae meridionali remanet, nunc quidem* Secretarii *loco*. Verum hujusmodi locorum antiquitatem, quae mox afferemus, luculentius ostendent.

1 Homilia VIII. pag. 61. editionis anni 1669.
2 In diquisition. Antiquit. Viennensium lib. III. pag. 291.
3 apud Sammarth. Tom. VI. Galliae Christ. col. 127.
4 in T. III. Octob. Bolland. die VI. pag. 945.

§. III.

De Conciliis ibidem celebratis.

Bematis Secretarium non modo nomine, ac nonnullis ornamentis, sed variis etiam usibus, *Judicum Secretariis* simile fuisse vidimus. Idem de hoc altero, saltem ex parte, dicendum esse, unusquisque deprehendet. Nam Ducangius [1], adsentiente Binghamo [2], hunc locum *Secretarii* denominationem ex eo accepisse conjecit, quod *Consistorii*, aut Ecclesiae *tribunalis*, interdum etiam *carceris* vicem referret.

Verumtamen ultro Henrico Valesio [3] concedendum esse profiteor, hujusce loci usum, haud ante seculum IV. in Ecclesia invaluisse. Refert enim Eusebius [4], inter cetera objectum fuisse Paullo Samosateno a Malchione viro disertissimo in Antiocheno Concilio, quod circiter annum CCLXX. habitum fuit, ac tum inter alias ejus condemnationis caussas, eam quoque adnumeratam fuisse, quod *Tribunal, et sublimem Thronum, non ut Christi discipulus, sibi ipse construxerat, et perinde ac seculares Magistratus, ut* vertit Valesius, SECRETARIO *uteretur*. Scilicet nondum usus invaluerat ea usurpandi, ac propterea res tum castigatione digna videbatur; quippe quae Paullo Ethnicorum invidiam, et Christianorum odium conflaverat. Ceterum subsequutis temporibus, tam longe aberat, ut hujusmodi usus vitio verteretur; quin contra ab omnibus Ecclesiis communiter acceptus, et gloriae ductus fuerit. Ab ipso enim Iudicum ethnicorum more, cujus imitatio, uti absona, et absurda, antea improbabatur, manasse

1 in notis ad Paull. Silentiar. p. 594.

2 T. III. antiquit. Christ. pag. 263.

3 in notis ad Marcellinum p. 287.

4 in Hist. Eccl. lib. VII. p. 361.

videtur, ut *Secretaria* prope Ecclesias haberent Episcopi, in quibus potissimum, audiendis, ac dirimendis negotiis vacarent, quod etiam a Valesio [1], praeter Mabillonium [2], et Hieronymum de Prato [3], animadversum video. Siquidem sacri Antistites erant judices Christianorum, qui ex consilio Paulli Apostoli [4], et Conciliorum praescripto [5], Ethnicorum Magistratuum judicia defugiebant, quemadmodum Johan. Seldenus [6], Christophorus Wollius [7], et Christianus Weismannus [8], pluribus demonstrant. Id vero praecipue constat ex pluribus Synodis, ac Conciliis, quae in has etiam exedras coacta fuisse notum est, quaeque ad rem confirmandam mox recensebimus.

En igitur, quae in amplissimis Conciliorum collectionibus, de eorum sessionibus in *Secretario* habitis licuit invenire. Ac primo Synodus Arelatensis anno CCCXIV. celebrata haec habet. *Quum Arelate in* Secretario *Ecclesiae convenissemus*. Sic tertium, quartum, quintum, et septimum Concilium Carthaginiense [9], *in* Secretario *Basilicae restitutae* acta fuisse constat, itemque VI. in eadem urbe *in* Secretario *Basilicae Fausti*. Alterius etiam Synodi Carthaginiensis ibidem habitae, sed in alterius Basilicae *Secretario* memoriam habemus; *Carthagine in* Secretario *Basilicae S. Martyris Agilei, quum*

1 ad Marcell. p. 87.

2 T. II. Mus. Italici in comm. praev.

3 in notis ad Sulpic. Sever.

4 ad I. Cor. VI.

5 Agathense c. XXXII. Tom. IV. Conc. pag. 1388. Chalcedonense, c. IX. p. 179. ibid. Carthaginiense III. c. IX. Tom. II. pag. 1168. Milevitanum cap. XIX. T. II. pag. 1542. Antiochenum cap. XI. et XII. Veneticum c. IX. T. IV. p. 1056. Cabillonense cap. XI. T. VI. p. 389. 390, et Matisconense cap. VIII. T. V. pag. 968.

6 de Synedriis Hebraeor. lib. II. c. VII. Francof. ad Viadrum 1734. 4.

7 de Tribunalibus profanarum gentium Christo, ejusque Legatis merito odiosis. Lipsiae 1731. 4.

8 de Compromissis Christianorum foro gentili praeferendis. Tubingae 1732.

9 T. I. Conc. Hard. pag. 485.

Bonifacius Episcopus Ecclesiae Carthaginiensis, cum Coepiscopis suis diversarum provinciarum Africanarum consedisset. Milevitanum quoque anno ccccxvI., *in Secretario Basilicae* actum fuit. Haec autem scimus de Concilio Constantinopolitano anno DXXVI.[1]. *Congregata sancta, et magna Synodo reperta in praedicta magnificentissima Vrbe* (Constantinopoli) *in* Secretario *Episcopi*. Ac paullo infra[2]. *Congregata rursus sancta, et magna Synodo, prolatis sanctis, et tremendis Evangeliis, et praesid. SS. Archiep. N. Flaviano in* Secretario *Episcopii*. Quae quidem verba in actione vII. occurrunt, ac plane gemina sunt iis actionis ultimae. Sic etiam alio loco[3]. *Domnus autem Samuel jam male habebat; deinde convocavit omnes in* Secretario, *et dixit, quoniam audivi, quia Cyrus, et Eulogius profecti sunt, ut me accusarent, hos a communione suspendi, ut cognoscatis, quia excommunicati sunt*. Quid, quod legimus in Conc. Hispalensi II. anno DCIX?[4] *In Nomine Domini, et Salv. N. J. C. Isidorus, Rufinus, Fulgentius, Cambra, Fidentius, Theodulfus, et Honorius Episcopi, qui pariter in Vrbe Hispalensi pro aliquibus Ecclesiasticis negotiis coadunati sumus, consedentibus nobis in* Secretario *Sacros. Hierusalem Hispalensis Ecclesiae, cum illustribus Sisiscbo rectore rerum publicarum, atque Suascilane actore rerum fiscalium, adstante relligiosissimo Clericorum coetu*. Neque omittenda sunt, quae habet Isidorus, Pacensis Episcopus in Chronico. *Hispalensem Isidorum Metropolitanum Pontificem clarum doctorem Hispania celebrat, qui anno septimo suprafati Principis Sisebuti, contra Acephalorum haeresim magna auctoritate Hispalim in* Secretario *Sanctae Hierusalem Concilium agitat*. Item Africani ple-

1 Tom. II. pag. 110.
2 ibid. pag. 158.
3 ibid. pag. 526.
4 Tom. III. pag. 1935.

narii, et Caesaraugustani Conciliorum inscriptiones, eadem in *Secretariis* habita fuisse demonstrant.

Hoc amplius, audi Capitula Caroli C. in Synodo Confluentina [1]. *Haec sunt nomina Episcoporum, qui anno Incarn. Dom.* DCCCLX. *Non. Junii in* Secretario *Basilicae S. Castoris consideraverunt cum nobilibus Laicis firmitatem, quam gloriosi reges nostri Hludovicus, et Karolus, atque Klotarius inter se fecerunt.* Alia nobis oggerit Gregorius Turonensis, inquiens [2]. *Recedente vero Rege ad metatum suum, nos collecti in unum sedebamus in* Secretario *Basilicae B. Petri.* His consonant, quae tradidit Guilielmus Bibliothecarius sub Anastasii nomine in vita Hadriani II. de legatis Basilii Imp. [3]. *Huic sanctissimo Papae Hadriano cum Episcopis, et proceribus in* Secretario *Sanctae Mariae Majoris, juxta morem Sanctae Sedis Apostolicae residenti, se satis humiliter praesentarunt, dona, et epistolas obtulerunt.* Adde, quae Eddius Stephanus, in vita S. Wilfridi de Concilio Romano scriptum reliquit [4]. *Agatho SS. ac ter Beatissimus Episcopus S. Catholicae, atque Ecclesiae Vrbis Romae dicit. Wilfridus Deo amabilis Episcopus Sanctae Evoricae Ecclesiae pro foribus nostri* Secretarii *moratus, ad nostrum* Secretarium *juxta suam postulationem cum petitione, quam secum adferre dictus est, admittatur. Wilfridus Deo amabilis Episcopus, dum* venerabile Secretarium *ingrederetur, dixit.* Quae quidem lucem afferunt non modo jam allato [5] Synodi Zachariae loco, sed etiam iis Synodi Lateranensis secundae verbis [6]. *Theophylactus Primicerius Notariorum Apostolicae Se-*

1 Tom. v. pag. 503.
2 lib. v. cap. XIX.
3 pag. 234. §. XXV. Tom. III.
4 cap. XXVIII. in Actis SS. Ord. Bened. Sec. IV. Part. I. T. v. pag. 6511. apud Speelmannum, in Collect. Conc. Britann. Surium die XII. Octobr. pag. 179, et in Bolland. Tom. III. April. p. 292.
5 pag. 15.
6 Tom. III. pag. 710.

dis dicit: *suggero vestrae Sanctissimae Beatitudini* (Martino), *quoniam pro foribus adstat venerabilis* Secreti *vestri Stephanus reverentissimus Episcopus*.

Atque hinc patet in *Secretaria* convenisse, quoties aliqua de re deliberaturi essent, ut etiam probat historia translationis S. Arnulfi Mart. Mosomum, ubi haec narrantur [1]. *Crastino autem mane facto, hora diei quasi prima, jam Episcopus Monachos nos in proximo adesse sciebat, in* Secretario *clericos omnes coadunari facit, et praesente forti custodia sui dedit optionem; eligat quisque, quod sibi utilius videtur, an fieri monachum, aut cedendo vacuare locum*.

At inquies, quid, si quis haec omnia, quae de *majoribus Secretariis* accipienda esse putas, ea potius de altero *Bematis Secretario* superius descripto intelligenda esse contenderet? Equidem non obsistam; de his enim, magnam partem, nihil certi statuere possum, quum res sit nimis ambigua, et obscura. Illud tantum dicam, de *Secretariis Majoribus*, Conciliorum loca a me nuper allata interpretatos fuisse Baronium [2], Cabassutium [3], Martenium [4], aliosque doctissimos Viros [5].

Id tamen certe pronuntiari potest de Pontificiis Comitiis, quae semel, atque iterum in *Sacrario S. Mariae supra Minervam* celebrata sunt. Nam e vivis sublato Martino V, anno MCDXXXI, ut narrat Ciacconius [6], vII. *Kal.*

1 in Tom. vII. Act. SS. Ord. S. Bened. pag. 356. in Tom. vII. Spicil. Dacherii pag. 623, et in Tom. v. Julii Bolland. pag. 582.

2 Ann. Eccl. vI. p. 139.

3 in Notit. Eccles. Concilior. p. 27.

4 De antiquit. Eccl. ritibus Tom. II. pag. 862.

5 Ducangius in Glossario, in Cpolis Christ. lib. II. cap. iv. n. xix. et xx. et lib. III. c. xxxIII. et in Paull. Silentiar. p. 593. Raynaudus T. vI. p. 500. Maurini in adnotat. ad Gregorii M. Opp. T. II, l. I. p. 503. Balutius in notis ad Caesar. Arelatens. Paris. 1669. pag. 226. Pagius in notis ad T. iv. Anastasii edit. Blanch. pag. 50. Mabillonius T. II. Mus. Italic. in Comm. p. XXII. Dominicus Georgius in T. I. Liturgiae Rom. Pontificis p. 69.

6 Tom. II. pag. 867.

Martii Cardinales XIV, *qui tunc in Vrbe erant, seu* XIII, *ut* adnotat Oldoinius [1], *Conclave ingressi sunt paratum in* Sacrario *S. Mariae supra Minervam Ordinis Praedicatorum .... Gabriel Condolmerius, qui Romam inde veniens, mortuo haud multo post Martino* V, e XIV. *Cardinalibus, qui tunc in Conclavi apud Minervam aderant, Pontifex creatur in* Sacrario, *aut sacro Vestiario*.

Post Eugenii obitum Cardinales duodeviginti, ut Ecclesiae orbitati consulerent, absolutis parentalium caeremoniis sollemnibus, in eumdem locum convenerunt. Sic enim scriptum reliquit Manettus [2]. *Patres sacrum Basilicae ejus, quae vulgo* Minerva *nuncupatur, Conclave ingressi*. His consonat Anonymus scriptor vitae Nicolai V, qui haec memoriae tradidit [3]. *Finitis exequiis decima post obitum Eugenii die, Cardinales apud Minervam hora vespertina convenerunt ..... quarta vero die Veneris* II. *Martii, et die tertia hora vesperarum in S. Maria de Minerva in Roma Papa factus, et publicatus*. Eadem narrat Dominicus Georgius [4] in ejusdem Pontificis vita. Verum memoria sollemnis utriusque electionis caeremoniae coloribus adumbratae adhuc exstat super ostium ejusdem *Sacrarii*, hac epigraphe subjecta.

MEMORIÆ CREATIONIS HIC HABITÆ
SVMM. PONTIF. EVGENII IIII. ET NICOLAI V.

1 in Tom. II. pag. 885.
2 de vita Nicolai V. in T. III. Rer. Ital. Murator. pag. 917.
3 apud Murator. loc. cit. pag. 868. et apud Balutium T. VII. Miscell. p. 506.
4 pag. 3.

Digitized by Google

§. IIII.

De ritu vetustissimo ibidem Sacramentum augustum sub utraque specie adservandi.

Triplicem *Eucharistiae* servandae modum apud veteres in usu fuisse probant Martenius [1], et Mabillonius [2]. Verum ex iis antiquior is certe fuit, ut in *Secretario* custodiretur, ex quo in capsula, quae ab Esychio *arca illuminationis*, ab aliis *arcula*, *vasculum*, *conditorium*, *cophinum*, *artophorium*, *hierotheca*, *pyxis*, *pyxomelum*, *peristerium*, *armarium*, et *turris* diversimode fuit appellata, Pontifici ad Altare Sacra operaturo praeferebatur, uti prolatis Romanorum Ordinum testimoniis infra ostendemus. Hinc autem, sollemni Sacro absoluto, ad *Secretarium* referebatur, ubi jugiter, nunc in eadem capsula, seu columba, nunc in calice suspenso, ac pendente, vel in muri foramine, aut in ima parte Crucis, summa reverentia servabatur [3].

1 de ant. Eccl. ritib. T. I. c. v. art. III. p. 669.

2 T. II. Mus. Ital. in Comm. p. cxxxix.

3 De ritu Eucharistiae in *Secretariis*, quae recte Alfredus ad hist. Gent. Angl. Bedae lib. I. c. I. *Eucharistiae Porticus* nuncupavit, in turribus, in columbis aureis, argenteis, aut ex aurichalco, apud graecos praecipue usitatis conservandae, consule Diurnum Rom. cap. IV. tit. II. Testament. Perpetui Episc. Turon. T. V. Spicil. Acher. Anastasium in Hilario Pont. Bern. in Consuet. Cluniac. cap. XXXVII. et Vdalricum lib. II. Amphilochium in vita S. Basilii Caesar. cap. VI. Miracula S. Dionysii lib. III. de miraculis S. Mariae Laudun. c. XXVIII. et Hermannum. Adde, praeter peculiarem Joh. Andr. Schmid de hoc argumento diss. Helmst. an. 1711. 8. Durantum de rit. l. I. c. XVI. Joh. Bapt. Thiers. Traitè de l' exposition du Sacrament de l' autel c. IV. p. 67, et in dissert. sur les principaux autels des Eglise c. XXIV. p. 189. Chardon Hist. des Sacrements T. II. cap. X. pag. 252. Espencaeum de adoratione Eucharistiae c. IV. Lugd. 1519. Waltherium de triplici Christi coena p. 228. Ducangium in descript. S. Sophiae n. LXIV. Selvag. lib. III. c. X. §. I. Binghamum T. III. pag. 635, et VI. p. 410. Catalanum in Pontif. Tom. I. Dom. Georg. in liturg. Rom. Pont. T. I. cap. XVI. pag. XCIII. Raym. Besozzium Storia della Basilica di S. Croce in Gerusalemme cap. XI. p. 95. Robertum Sala in lib. II. rer. liturg. Card. Bonae cap. XVII. num. I. Joseph. Allegranze Diss. sopre il Sarcofago di S. Aquilino p. 40. fra le spiegaz. di alcuni sacri monum. antichi di Milano 1757. 4, ceterosque sacrorum rituum explanatores.

Quid autem illustrius, ac luculentius proferri potest ad hujusce loci sanctitatem, ac dignitatem demonstrandam, quem proinde quanta relligione, ac cultu veteres Christiani prosequerentur, facile quisquam intelliget? Hac enim potissimum de caussa huic loco illud idem nomen inditum fuisse puto, quod etiam ad sanctiorem Templi partem indicandam usurpabant.

Quumque *Eucharistiam* sub utraque specie a seculo IV. adservatam fuisse prodant plura PP. testimonia [1], iccirco conjiciendum est, vel pretiossimum *Christi* sanguinem in *Secretario* fuisse servatum, quem certe Mediolani *in Dolio aureo* repositum in Sanctuario fuisse tradit Ambrosius [2].

Sic etiam Christiani veteres SS. MM. sanguinem *doliolis* includebant [3], eaque persaepe in vasculis vitreis pingebant, aut lapidibus [4] insculpebant. Id enim non modo, eo consilio faciebant, ut asseribus vimine constrictis, quibus *dolia* compacta sunt, concordiam, mutuumque Christianorum amorem indicarent, qui sanguine Martyrum magis quodammodo coalesceret; verum etiam, ut sese *Christi Sanguinis* pretio, cujus symbolum *vinum* erat, redemptos, et in Ecclesiae sinum, cujus figuram *dolium* esse contendebant, receptos esse, mystice ostenderent.

Praeterea, ut eleganter explicat Ant. M. Lupus [5], hujusmodi symbolo firmam illam fidem, ac persuasionem

1 Chrysostomus in epist. Rom. Pontif. apud Coustant. T. I. p. 783. Ciprianus de lapsis. Basilius epist. 389. Cyrillus Alaxandriaus. in Praefat. adv. Antropomorphitas. Anastasius. in vita Nicolai I. apud Murator. T. III. col. 253, et Vita S. Galli. cap. XIV.

2 epist. IV. num. IV.

3 Boldettus lib. I. c. XXXIII. p. 163.

4 ibid. pag. 164, et lib. II. cap. IV. pag. 368. 370. Aringus T. II. pag. 213. 259. 317. Lupus in monum. S. Severae pag. 37. Murator. Thes. nov. Inscript. Tom. IV. p. 1918. Mamachius Orig. et Ant. Christ. T. III. p. 91, et 102.

5 in Dissert. II. pag. 205. in posthuma Opp. edit. cura, et studio Franc. Ant. Zaccaria, Faventiae 1785. 4.

denotabant, qua sese e mortis sinu expergitos, novam, immortalemque vitam sumpturos esse pro certo habebant, Dei ipsius virtute, qui aquam in vinum mirifice commutavit in sex hydriis Canae Galileae [1]. Magnam enim *vinum* inter, et *animam*, itemque inter *dolium*, quod a *vino* pretium accipit, et *corpus*, quod *anima* orbatum deformatur, ac foetet, similitudinem intercedere putabant; ac proinde Hugo a S. Victore [2], quum *cellam vinariam* in Canticis *Ecclesiam* appellatam esse animadvertit, Christifideles hujus *apothecae* veluti *dolia* nuncupavit.

Nunc autem mittam duo illa *dolia* [3], alterum apertum, alterum clausum, in quibus, quid repositum fuerit, incertum, in aede Vestae servata; neque locum illum [4] commemorem, *in Vrbe vocatum* doliola, *quia invadentibus Gallis Senonibus Vrbem, sacra in eodem loco* doliolis *reposita fuerunt; qua de caussa eodem loco ne despuere* [5] *quidem alicui licebat*. Nefas enim esset, tantae mysteriorum, et relligionis sanctitati, inania, ac superstitiosa ethnicorum commenta interserere.

Eucharistiae in *Secretario majori* servandae usum, saltem in *Basilica Lateranensi*, usque ad *Gregorii* xI. aetatem perseverasse conjecit Mabillonius [6], quod idem Pontifex in *Rubrica* 1I. [7] *suarum Constitutionum de reliquiis sacris*,

1 Joh. Tabing Diss. Phil. de hydriis in Cana Galileae. Bremae 1693, et in Tom. xI. Thes. Ikenii p. 473. Matthei Orstii Diss. de Hydriarom sex Joh. 1I. capacitate. Exst. in Criticis Pearsonii Tom. Ix. pag. 3656.

2 Serm. XLV. Institut. Monastic.

3 Panvinius de Civitate Romana c. xl. de Virginibus Vestal. pag. 304. in Tom. 1. Thes. Graev.

4 Festus in *Doliola*.

5 Item in Templis Ethnicorum, neque exspuere, neque emungi licebat, ut discimus ex Ariano in Epictet. Diss. 1. l. Iv. cap. xI. V. Jos. Laurentium l. 1I. Polymath. c. Ix. Apostolium in proverb. *Thamyris insanit*, et Joh. Gregorium Anglum cap. xxxI. Observ.

6 in T. 1I. Mus. Italici.

7 ibidem p. 581. num. xvIII.

rebus, *et aliis Mobilibus Lateranensis Eccclesiae*, *et earum custodia* praescribat, ut vetera ejusdem Templi instrumenta, *intra claves reliquiarum*, *et Cancellorum* Sacristiae, *ubi est Mensa Domini* reclusa, custodiantur. Quamquam martenius [1], contra Mabillonii sententiam, rectius, ut puto, ibidem dumtaxat innui contendit *Mensam Domini*, quae a Joh. Diacono [2] memoratur, ubi Christum in Coena Paschali cum Apostolis accubuisse ferunt, quaeque adhuc in *Basilica Lateranensi* summa relligione adservatur, ut Rasponius [3], Ciampinius [4], Crescimbenius [5], aliique ejusdem Basilicae Scriptores testantur.

§. V.

De Caeremoniis, *quae ante Sacrorum celebrationem in Secretariis agebantur*.

Hactenus vetustiores usus, quibus *Secretaria* inservierunt, explanavimus, quosque penitus jampridem desuevisse scimus. Nunc autem ceteros prosequamur, qui licet aliis parum, aut nihil vetustate concedant, nihilominus, aliqua saltem ex parte, hodieque retinentur, ac vigent. Itaque ex tribus antiquissimis Ordinum Romanorum libellis, qui pertinent ad Sacrum Pontificale; quosque post Georgium Cassandrum, et Melchiorem Hittorpium [6], longe auctiores, et emandatiores edidit Mabillonius [7], illustriora proferam loca, quorum praesidio ea, quae in *Secretario* Pontifex obibat, antequam sollemni pompa ad Altare procederet, veluti ob oculos videamus.

1 loc. cit.

2 Tom. II. Mus. Ital. in append. Ord. Rom. §. III. de Arce, et SS. Sanctorum, quae sunt in Basilica Salvatoris pag. 564.

3 de Patriarchio, et Basil. Lateranensi.

4 de sacr. Aedific. a Constantino constr.

5 Stato delle SS. Chiesa Papale Lateranense nell' anno 1723. 4.

6 Coloniae 1561, et 1568.

7 in Mus. Ital. Paris. 1724. T. II. 4.

Digitized by Google

§. vI.

De iis, quae ante Pontificis ingressum in Secretarium, ibidem praestabantur.

Quoties Romanus Pontifex ad sacras Vrbis aedes, ubi supplicia stativa celebranda erant, procedebat, bini *Ostiarii* [1], sese ad eas in antecessum conferebant, ad *Secretarii* januas custodiendas. Id enim Cencius diserte memorat, ubi ait [2]. *Ostiariorum duo semper, quando Dominus Papa equitat, ad stationes debent ire cum eo, ad* Secretarium *custodiendum*. Nunc autem praeter eos, qui *Pontificalis Sacrarii* ingressum tuentur, ac *Mazzieri* ab argentea clava, quam manibus gestant, vulgo appellantur, iidem *Ostiarii* [3], *virgae rubeae* nuncupati, ab hujusce coloris, virga holoserico villoso rubeo, et argenteis lineis, vulgo *cannelli*, ornata, custodiae Camerae paramentorum, quam vocant, intersunt, ac Praesuli juniori e xiI. Viris, Pontificis Crucifero comitantur. Antiquitus vero nonnulli eorum, pone *Magistrum sacri hospitii*, stare solebant. Et sane idem *Magister*, qui usque a Martini V. aevo, e nobilissima de Comitibus familia seligitur [4], etiamnum, ubi Pontifex ad sacrum adstat, seu rei divinae operatur, adhuc stat pone binos *Ostiarios*, ad

1 Tom. iI. Mus. Ital.

2 in Ord. xiI. §. XLIV. pag. 196.

3 Statuti del Collegio de' Maestri Ostiarj della Camera de' Paramenti del Sommo Pontefice, detti de virga rubea, confermati per Bolla Apost. da Clemente x. l'anno 1671. 8. Roma 1671. 4.

4 Barth. ab Apuliola In Chron. Bonon. an. MCCIII. T. xviiI. Murat. col. 248. Riccobald. Ferrariens. Hist. Imper. in vita Henr. V. apud Eccardum in corp. Hist. med. aevi T. I. col. 1168, et in Tom. ix. Murat. col. 126. Volaterran. in Comm. urban. lib. xxiI. Caeremoniale S. R. E. lib. I. cap. iI. §. ix. et lib. iiI. cap. iI. §. iI. p. 197. Contelorius, in Genealogia Familiae Comitum Romanor. an. 1650. 4. Franc. Valesius, in Dissert. de Turri Comitum. T. xxviiI. Opusc. Caloger. p. 32. Georgius T. iI. Liturg. Rom. Pont. in diss. de Hierarchia S. R. E. cap. vI. pag. cv.

Ostium Pontificii Sacrarii praetoria Helvetiorum cohorte stipatus, ac circumseptus. Accipe, quid de ejus munere adnotavit Petrus Morettus [1], Benedicti Canonici locum [2] illustrans, ubi *Dominus Hospitii* nominatur. *Hujus Officialis Pontificis et nomen, et munus heic descripta suadent, non alium fuisse, quam qui nunc dicitur* Magister sacri Hospitii, *cujus adhuc aliqua est, licet levissima, cura in publicis Papalibus epulis, ut fert Caeremoniale R. E. lib. 1. sect. III. et lib. II. tit. de publica compotatione. Idem etiam reputatur, veluti nobilis laicus, in primariis sacris functioribus exceptor, introductorque Ordinum Pontificii Sacelli, nec non custos interior augusti consessus, et nonnihil ageret, si qui Romam convenientes Principes supremi introduci publice deberent in Palatium. Quae nescio-quid sapiunt antiqui muneris*. Haec eadem in suas adnotationes ad Caeremoniale [3] Catalanus derivavit [4].

Age vero, quid a *Mappulariis*, et *Cubiculariis*, quorum vicem *Floreriae*, quam vocant, Custodes in praesens exercent, eodem loco agendum erat, a Cencio audiamus [5]. *Mappularii, atque Cubicularii unum fere officium exercentes, quando Dominus Papa coronatur, et in stationibus omnibus debent accedere ad Palatium Domini Papae; et accipientes carpetam, tapetum, fatestorium, pulvinar, et predelam, debent portare ad equitaturam, quae omnia ista debent portare cum scriniis Capellae ducta a marescallis usque ad locum, ad quem Dominus Papa proposuit equitare. Quum autem ibi Ca-*

1 de Presbyterio Part. 1. Sect. vI. p. 65.

2 Tom. II. Mus. Ital. pag. 122.

3 Tom. I. pag. 152. tit. III. §. v.

4 Consule Stephani Balutii vitas Paparum Avenionensium. Parisiis 1693. 4. T. 1. pag. 1089. et Coll. act. vet. Tom. II. num. CLXV. Murator. antiq. med. aevi. et Gattico ect. rel. Caerem. T. 1. p. 265. tum maxime Philippi Mar. Renazzi Notizie Storiche degli antichi Vicedomini del Patriarchio Lateranese, e de' moderni Prefetti del S. Palaz. Apost. ovvero Maggiordomi Pontifizj. Roma 1784. 4.

5 loc. cit. §. xxII. pag. 197.

Digitized by Google

pella deponitur, praedictae scholae debent interesse, et omnia, quae supra diximus, accipere, sicut prius, et ad Secretarium *deportare. Vbi, quum Dominus Papa exuit mantum, et stolam, atque mitram, debent, donec officium celebratur, studiosius custodire.* Hujus tamen custodiae amplam sane mercedem referebant, ut discimus ex eodem Cencio Camerario, qui alterius usus notitiam prodidit, a nemine, quantum equidem sciam, animadversam. Nam, postquam strenas descripsit, quae iis debebantur, in die coronationis, ac in consecratione nonnullius Episcopi a Pontifice peractae, haec statim adjungit [1]. *Notandum, quod si forte, quando Dominus Papa est in* Secretario, *et post Missam celebratam,* aliquid fuerit pedibus Papae oblatum, ipsorum est de jure, *auro excepto, et argento laborato, pannos etiam, seu toaleas, quae omnia sunt de camera, excepta ratione guidonum scholae, quam debet habere. Hoc idem dico de addextratoribus.* Ex quibus constat, praeter *salutationes*, quas in *Secretario* Pontifices excipere consuevisse, loco suo demonstrabimus, interdum etiam *oblationes* quantivis pretii ante eorum pedes a fidelium liberalitate largitas esse.

Quae vero Cencius *Cubiculariorum* curae commissa fuisse scripsit, Cajetanus ad *Clericos* spectasse tradidit, qui eos ita sui muneris admonendos putavit [2]. *Quum ergo praedicti* Clerici, Capellae *curam habentes, pervenerint ad Ecclesiam cum eadem Capella, de convenienti loco, in quo Pontifex sacris vestibus indui debeat, provideant, ita, quod si in ipsa Ecclesia* Secretarium *sit, sive* Sacristia *conveniens, in qua Pontifex celebraturus indui soleat, ibidem faciunt deponi Capellam, et sternantur tapete, seu tapetia, et praeparent faldistorium cum cossino, et panno, qui ipsum cooperiat,*

1 ibid. num. 46. pag. 198.

2 in Ord. XIV. §. LIII. pag. 291.

et scabello. Exponant etiam in apto loco, prout melius poterunt, sacras vestes, quibus Pontifex, et Ministri induendi sunt, et alia, quae ad mysterium sunt opportuna, ut in promptu haberi possunt. Si vero in eadem Ecclesia non sit Secretarium, *sive* Sacristia *conveniens, deponatur Capella, ut fiant, quae praedicta sunt, in aliquo apto loco prope Altare; et si forte in Ecclesia illa consuetum esset, quod Pontifex longe ab Altari induatur, et cum ordinata processione ad Altare procedat, consuetudo servanda est.*

§. VII.
Quid post ingressum Pontificis in Secretarium agi consueverat?

Statim ac Pontifices in *Secretarium* ingressi erant, ut sacris vestibus induerentur, in *sella* ibidem apposita considebant. Quo vero ritu, quoque *Secretarii* loco collocanda esset, incompertum est, quum nihil de hac re innuant romani Ordines, quos infra afferemus. Georgius [1] tamen id etiam erui posse existimavit ex Codice Ratoldi Abbatis Corbejensis, ubi haec habentur [2]. *Hora vero diei tertia arma sibi* (Episcopo nimirum) *deferantur Sacerdotalia, quae induet extra chorum sinistrae partis, in loco* Secretarii. *Dum introierit in* Secretarium, *dicat hanc orationem*. Praeterea clarius rem constare subjungit ex Caeremoniali Episcoporum, quod ita monet [3]. *Aderunt etiam ibi* (in Secretario) *sedes pro Episcopo versus cornu dextrum, vel sinistrum Altaris pro situatione, et commoditate loci, et sedilia pro Canonicis, et aliis circum circa*. Verum nescio, cur utrumque locum vir eruditissimus pro *majori Secreta-*

1 T. 1. Litur. Rom. Pont. lib. 1. p. 39.
2 in Missa veteri p. 259. et apud Martene Tom. 1. de ant. Eccl. rit. p. 562.
3 lib. II. cap. VIII. §. III.

rio acceperit, quum palam sit, ibidem de *bematis Secretario*, seu de *Presbyterio* intra Ecclesiam, sermonem haberi.

Cujusmodi vero formae, ac structurae esset Pontificis *Sella*, Chimentellius [1], Bonannius [2], Pompejus Sarnellius [3], ac Dominicus Georgius [4] praesertim inquirere conati sunt, eamque sellae curuli veterum Romanorum poene similem fuisse opinantur. Verum constat ex Sulpitii Severi testimonio, modestiae gratia [5], S. Martinum, *in* Secretario *sedere consuevisse in* sellula *rusticana, ut est in usibus servulorum, quas nos rustici Galli* tripetias, *vos scholastici, aut certe qui de graecia estis*, tripodes *nuncupatis*. Quae quidem alterum Sulpitii locum de *Secretario majori* accipiendum esse liquido declarant. *Illud*, inquit [6], *non praeteribo, quod in* Secretario *sedens, nunquam* cathedra *usus est. Nam in Ecclesia nemo unquam illum sedere conspexit*. Ibi enim, ut Valesius [7], et Hieronymus de Praro [8] opinati sunt, nihil aliud innuere videtur Sulpitius, quam Martinum, dum orationi vacabat in *bematis Secretario*, nunquam sedisse, sed stantem, aut flexis genibus preces fudisse; quum vero in *Secretario majori* sacra indumenta sumeret, aut de re ecclesiastica deliberaret, haud in *Cathedra*, sed in *sellula rusticana* sedere consuevisse.

Postquam Pontifex in *Secretario* consederat, ut sacra ornamenta susciperet, Diacones e *Secretario* exibant, ut ante illius fores *planetas*, minime vero *dalmaticas* induerent, quemadmodum Georgio excidit. Siquidem Ordo Rom. antiquior haec habet [9]. *Qnum vero Ecclesiam in-*

1 de honore bisellii c. XI. p. 40.
2 de Eccl. Hierarchia c. LXXII. p. 299.
3 Se Trono, o Baldacchino sia lo stesso, e del Faldistorio. in T. IX. Lit. Eccl. p. 160.
4 loco cit. pag. 77.
5 in Dial. II. de virtutib. S. Martini p. 275.
6 in Dial. II. pag. 98.
7 ad Marcell. pag. 87.
8 in observat. pag. 369.
9 Ordo I. n. V. p. 6. in T. II. Mus. Ital.

troiret Pontifex, non adſcendit continuo ad altare, ſed prius intrat in Secretarium, *ſuſtentatus a Diaconibus, qui eum ſuſceperint de ſellario deſcendentem : ubi dum intraverit, ſedet in* ſella ſua, *et Diacones, ſalutato Pontifice, egrediuntur* Secretarium, *et* ante fores *ejuſdem mutant veſtimenta ſua, et parat Evangelium, qui lecturus eſt, reſerato ſigillo ex praecepto Archidiaconi ſuper* planetam *Acolythi; et ſi neceſſe fuerit propter majora Evangelia, duobus Acolythis ſuper* planetas *tenentibus parat Evangelium. Quo facto, Acolythus Evangelium usque ante Altare in Presbyterium, praecedente eum Subdiacono ſequente, qui eum deſuper* planetam *illius ſuſcipiens, manibus ſuis honorifice ſuper Altare ponat. Nam egredientibus Diaconibus de* Secretario, *remanent cum Pontifice Primicerius, Secundicerius, Primicerius defenſorum, Notarii Regionarii, et Subdiaconus ſequens, qui tenet pallium Pontificis in brachio ſuo ſuper* planetam, *in ſiniſtro brachio, cum acubus.* His autem plane gemina ſunt, quae tradit Ordo III.[1].

Deinde veſtes quotidianas exuebat, quae cujusmodi eſſent, a Cencio Camerario jam audivimus[2]. Sed quum in vetuſtiori Ordine Rom. eae ſecus deſcribantur, praeſtat ejusdem verba recitare, quae ita habent[3]. *In primis camiſcia, et cingulum, deinde tonica ſerica, orarium, planeta, et pallium, ſeſtace (ideſt ſudarium) in manu. Calciamenta vero tam Pontifex, quam etiam et omnes reliqui ſive feſtis diebus, ſive quotidianis, uno modo induuntur; item diaconi.* Nam Romani Pontifices, vetuſtiſſimis temporibus, *planeta* ſemper induti incedebant, quam ceteris veſtibus ſuperimponere in uſu habebant, ut deinde *cappa* praeſtiterunt, quam *planetae* ſucceſſiſſe notum eſt.

1 num. 5. pag. 54.
2 pag. 48.
3 ibid. in ord. v. de Miſſa Epiſc. num. 4. quotid. diebus qualiter Pont. induitur. p. 65.

Vix autem quotidianas vestes deposuerat, *sacra Paramenta* a Subdiaconis regionariis delata suscipiebat hoc ordine [1]. *Defert ea plicata Cubicularius tonsoratus, accepta a manibus Ostiarii juxta caput scamni. Subdiaconi regionarii, secundum ordinem suum, accipiunt ad induendum Pontificem ipsa vestimenta, alius cingulum, alius anagolajum, id est amictum, alius lineam dalmaticam, et alius majorem dalmaticam, et alius planetam: et sic per ordinem induunt Pontificem'. Primicerius autem, et Secundicerius componunt vestimenta ejus, ut bene sedeant. Novissime autem, quem voluerit Domnus Pontifex de Diaconibus, vel Subdiaconibus, cui ipse jusserit, sumit de manu Subdiaconi sequentis pallium, et induit super Pontificem, et configit eum cum acubus in planeta retro, et ante, et in humero sinistro, et salutat Domnum, et dicit* Jube Domne benedicere. *Resp.* Salvet nos Dominus. *Resp.* Amen. Eadem strictim habentur in Ordine II. [2]. At in Ord. III. [3] praescribitur, ut Diaconus Pontifici Pallium infigat, de cujus usu in *Secretario* infra disseremus. Hoc ceteris Metropolitanis, nonnisi statis diebus, ac dumtaxat e *Secretario* ad Altare, et in reditu ab Altari ad idem *Secretarium*, post Sacri absolutionem, gestare licebat, ut Johannes VIII. vetustissimae consuetudini insistens, Waloni Metensi Episcopo praescripsit, quum eidem anno DCCCLXXVIII. *pallium* concessit [4], *sub ea videlicet ratione, ut a* Secretario *usque ad sacrum Altare, et ab Altari usque ad* Secretarium, *sicut prisca exstitit palleatis consuetudo*, indueret. Omnia vero desunt in Ordine IV, cujus fragmentum dumtaxat habemus. Sed quintus ordo, qui *de Pontificalibus indumentis* inscribi-

1 In Ord. I. num. 6. pag. 6.
2 num. 2. pag. 42.
3 num. 6. pag. 54.
4 pag. 64. num. 1. pag. 64.

tur, sacras Pontificis vestes ita recenset [1]. *In primis camisia, et cingitur supra. Dein linea cum cottis, serica, et cingulum. Post haec mittitur anagolai; exinde dalmatica minore, postea majore dalmatica, et supra orarium. Post haec planeta, et supra mittitur pallium. Nam his diebus Natalis Domini, Pascha, S. Petri, et die ordinationis suae, alius coloris planeta induitur. Sestace in manu portat, item calciamenta, insuper odhones, dein campagos.* Ceterum, etsi hic Ordo Pontifices primo loco camisiam, sive albam induisse scribat, id tamen post desumpta calceamenta usuvenisse putandum est. Heic enim unice, ni fallor, intelligendum est, camisiam ante ceteras vestes assumi consuevisse, haud habita caligarum ratione, quibus semper primo loco Pontifices induti sunt, post pedum ablutionem, de qua infra habendus est sermo, quamvis nullam de iis mentionem faciant primi IV. Rom. Ordines.

Accuratam, ac pereruditam harum omnium vestium descriptionem contexuit idem Georgius [3]. Itaque, ne rursus jam actum agam, ac eamdem cantilenam recinere videar, consule, sis, ejus *disquisitiones de sacro ministerio*, universo operi de *Liturgia Romani Pontificis* praefixas, ubi singula docte, et fuse explicantur [4]. Praete-

1 pag. 64.

2 Tom. IX. Concil. pag. 239.

3 Tom. I. pag. XXXIII. CXXXVIII.

4 Si plura etiam cupies, adeundi sunt Rainold. in colloquio cum Hard. p. 951. Bruno Signiensis Episc. in expos. Vestim. Episcopal. in Tom. XII. Spic. Dacherii pag. 93. Bened. XIV. de sacrificio miss. Joh. de Tour de amictu, veste Sacerd. de origine, antiquitate, et sanctitate vest. sacerdotalium legis eatorae, mosaicae, et Evangelicae. Paris. 1662. 4. Jac. Boilavil historica disquisitio de re vestiar. hominis sacri vitam communem more civili traducentis. Amst. 1704. 12. Phil. Bonannius la Gerarchia Ecclesiastica considerata nelle vesti sagre, e civili, usate da quelli, i quali la compongono. Roma 1720. 4. Catalanus in rituali, et Pont. Andr. Saussayus in Panoplia Episcopali, et Sacerdotali. Barth. Piazza in Iride Sacra. Fabius de Albertis de sacris utensilibus. Access. S. R. R. Decis. ad materiam pert. collectio. Romae 1753. T. I. fol.

rea, quum Subdiaconis regionariis ab Alexandro VII. subrogati fuerint XII. Viri, et Acolythis Apostolicis *Votantes*, uti vocant, *Signaturae Justitiae*, ut suus Romanis Caeremoniis honos, ac dignitas egregie constaret, vide Dominicum Berninum [1], Fatinellum de Fatinellis [2], et Franciscum Antonium Vitale [3], qui de eorum Collegiis, et privilegiis peculiariter disseruerunt; iisque, si lubet, adde, quae a Dom. Georgio [4], Ant. Novaes [5], et in postrema editione vernaculae descriptionis Aulae Romanae [6], de Sacro sollemni, quod P. M. facit in Vaticano, adstantibus Patribus Cardinalibus, et Romanorum Praesulum Corona, tum in die Natali D. N. Jesu, tum in Paschatis, ac Petri, et Paulli, Vrbis propugnatorum festis, in medium afferuntur.

Heic autem adnotandum est, sacra indumenta, quae nunc ad Pontificem per manus Acolythorum deferuntur, ut eadem sub Solio Pontificali ad laevam *Confessionis*, de industria hanc ob caussam erecto, Diaconi Cardinalis Evangelium dicturi ministerio sumat, dum interim hora tertia canonica a Schola Cantorum praecinitur, antiquitus in *Secretario* eidem oblata fuisse.

1 Il Tribunale della Sacra Rota Romana descritto. Roma 1717. fol. cap. v. p. 117.

2 De Referendariorum Votantium Signaturae Iustitiae Collegio. Rom. 1696. pag. 130.

3 De jure Signaturae justitiae in ordinem redacto. Romae 1756. pag. 201.

4 in dissertatione praemissa T. II. de Litur. Rom. Pont., de Hierarchia S.R.E. cap. IV. de Subdiac. p. XLIII. et v. de Acolythis pag. LXXIV.

5 Sacro rito antico, e moderno della elezione, coronazione, e solenne possesso del Rom. Pontefice. Roma 1769. 8.

6 Lo stato presente, o sia la relazione della Corte di Roma del Cav. Luradoro accresciuta, e illustrata da Francesc'Antonio Zaccaria. Roma 1744. Tom. I. pag. 186.

§. VIII.

Pontificis sacris vestibus induti e Secretario ad Altare procedentis pompa describitur.

Jam vero Pontificem sacris indumentis ornatum e *Secretario* sollemni pompa egredientem prosequamur. Tres primi Ordines hujusmodi ritum exacte describunt. Sed quum nonnulla paullulum inter se discrepent, quaeque in uno desideres, in altero declarentur, eos tibi ante oculos proponere trifariam dispertitos satius duxi, ut, uno veluti obtutu, quaecumque in iis variant, quaeque ibidem supplentur, statim agnoscas. En igitur tres columnas trium Ordinum Romanorum.

ORDO I. [1]

Deinde Subdiaconus regionarius tenens mappulam Pontificis in sinistro brachio super planetam revolutam, exiens ad regiam Secretarii, *dicit.* Schola. *Resp.* adsum. *et ille.* Quis psallet? *Resp.*, ille, et ille. *Et rediens ad Pontificem Subdiaconus porrigit ei Mappulam, inclinans se ad genua illius, et dicens.* Servi Domini mei, talis Subdiaconus regionarius leget Apostolum,

ORDO II. [2]

His ita compositis, Invitante ad regiam Secretarii *praefato Subdiacono Scholam, quartus scholae, qui semper nunciat Pontifici de cantoribus, adstans ante faciem Pontificis, et nutum ejus ad psallendum expectans, statim dum innuit ei, egreditur* ante fores Secretarii, *et dicit* Accendite. *Qui dum incenderint, statim Subdiaconus sequens, tenens thymiamaterium aureum pro*

ORDO III. [3]

Deinde Subdiaconus regionarius referens ad Pontificem, qui debeant legere, aut cantare, ponit mappulam in brachio sinistro Pontificis super planetam, cum disciplinali ad genua ejus inclinatione, et pronunciat, talem Subdiaconum regionarium epistolam legere; et talem responsorium, et talem alleluja cantare; et postea non licet in loco lectoris, vel cantoris alte-

1 num. 7. pag. 7.

2 num. 3. pag. 43.

3 num. 7. pag. 55.

et talis de schola cantabit. *Et postea non licet alterum mutare in loco lectoris, vel cantoris. Quod si factum fuerit, Archiparaphonista a Pontifice excommunicabitur, id est quartus scholae, qui semper Pontifici nunciat de cantoribus. Quod quum nunciatum fuerit, statim sequitur Subdiaconus adstans ante faciem Pontificis, usque dum ei annuat Pontifex, ut psallant; cui dum annuerit, statim egreditur* ante fores Secretarii, *et dicit*. Accendite. *Qui dum accenderint, statim Subdiaconus sequens thymiamaterium aureum, pro foribus ponit incensum, ut pergat ante Pontificem. Et ille quartus scholae pervenit in Presbyterio ad priorem Scholae, vel secundum, sive tertium, inclinato capite, dicit*, Domne jubete.

foribus, ponit incensum, ut pergat ante Pontificem. Et ille quartus scholae ad priorem, vel secundum, sive tertium, inclinato capite dicit, Domini jubete. *Tunc statuuntur duae acies in choro per ordinem, ab utroque latere, et mox incipit Prior scholae antiphonam ad Introitum. Subdiaconi vero de schola levant* planetas *cum sinu: quorum vocem diaconi dum audierint, continuo intrant ad Pontificem in* Secretarium.

rum mutare; quod si factum fuerit, excommunicabitur Archiparaphonista, id est quartus scholae, qui semper debet Pontifici de cantoribus nuntiare. Statuuntur enim per ordines acies duae, et paraphonistae quatuor a foris hinc inde: sed infantes infra per ordinem ab utroque latere. Postquam autem Pontifex ad psallendum annuerit Archiparaphonistae, dicit sive acolythis stantibus ante fores Secretarii *cum cereostatis, sive Subdiacono regionario, qui ante se ad processionem debet thymiamaterium portare*. Accendite.

Tunc illi elevantes se, per ordinem vadunt ante Altare, et statuuntur per ordinem acies duae tantum; paraphonistae

Tunc Pontifex elevant se, dat manum dexteram duobus Presbyteris; et illi, osculatis manibus ipsius, procedunt cum

Sed ille quartus scholae perveniens in Presbyterium, ubi Chorus in quatuor (ut dictum est) ordinatus assistit reve-

quidem hinc inde a foris; infantes ab utroque latere infra per ordinem. Et mox incipit prior scholae antiphonam ad introitum: quorum vocem Diaconi dum audierint, continuo intraut ad Pontificem in Secretarium. *Et tunc Pontifex elevans se, dat manum dextram Archidiacono, et sinistram secundo, vel qui fuerit in ordine; et illi osculatis manibus ipsius, procedunt cum ipso sustentantes eum. Tunc Subdiaconus sequens cum thymiamaterio procedit ante ipsum, mittens incensum, et septem Acolythi illius regionis, cujus dies fuerit, portantes septem cereostata accensa, praecedunt ante Pontificem usque ante Altare.*

ipso, sustentantes eum, praecedentibus ante eos diaconibus septem. Tunc ministri cum thymiamaterio, et turibulis non amplius ternis, procedunt ante ipsum mittentes incensum, et septem Acolythi portantes septem cereostata foras Ecclesiam accensa, procedunt ante Pontificem usque in chorum. Post turibula portatur Evangelium propius Episcopo. Eadem autem processio fit ab Austro in Septemtrionem. Tunc procedit Pontifex, et antequam veniat ad scholam, dividuntur cereostata, quatuor ad dexteram, tria ad sinistram.

renda dispositione, postquam dixerit, inclinato capite ad Priorem Scholae, vel secundum, sive tertium, Domini jubete, *mox antiphonam ad introitum incipit prior scholae. Quorum voce audita, intrant Diaconi ad Pontificem in* Secretarium: *et ab Archidiacono, atque secundario acceptis utrimque, et osculatis manibus Pontificis, procedunt cum ipso, sustentantes eum. Reliqui gradus procedunt in ordine suo: excepto, quod unus de regionariis Subdiaconibus debet praecedere cum thymiamaterio. Quem sequuntur septem Acolythi illius regionis, cujus dies fuerit, portantes septem cereostata accensa ante Pontificem, usque dum ad Altare venerit. Sed antequam perveniat processio ad scholam, dividuntur cereostata, quatuor dextera ad partem, et tria ad sinistram. In hoc honorabili ministerio debet Pontifex venire in Tribunal Ecclesiae.*

Vides igitur, in Ordinibus I, et II, minime vero in III, a Subdiacono pro *Secretarii foribus* in thymiamaterium incensum immitti, ut pergeret ante Pontificem. Quocirca vel in Missa Illyrici, et Ratoldi legimus orationes *ad imponendum incensum*, et ad osculandum Evangelium in egressu e *Secretario*, quod Episcopus, antequam ex eo egrederetur, tus in turibulum imponebat, et Evangelium osculabatur. Item hinc constat, in Ordinibus I, et III. praescriptum fuisse, ut Archidiaconus dexteram Pontificis e *Secretario* egredientis sustentaret, et Diaconus sinistram, contra quam jubet II, qui duobus Presbyteris Pontificis brachia sustinendi curam relinquit. Ceterum Innocentii III. aetate adhuc duo Diaconi e *Secretario* Pontificem ad Altare ducebant, ut idem Pontifex [1] testatur. Ac propterea Georgius [2], quae tradidit Joh. Diaconus [3] de Primicerio, et Secundicerio, *qui in Rom. Ecclesia in omnibus processionibus manuatim ducunt Papam, cedentibus Episcopis, et ceteris Magnatibus*, de aliis pompis, praeter eam, quae ante missarum sollemnia peragebatur, intelligenda esse censuit; nisi potius cum eruditissimo Praesule Galletto [4] opinemur, Primicerium, et Secundicerium e Diaconorum numero fuisse, quibus iccirco id muneris, vel pro sacri pompa, assignatum fuerit. Praeterea in Ord. II. septenus Diaconorum numerus indicatur, qui Pontificem e *Secretario* egredientem praecedere debebat, etsi de hoc ritu ne verbum quidem in Ord. I. Alia vero ibidem obversantur adnotatione dignissima, quae inferius explicabimus. Heic modo tantum observandum est,

1 de myster. missae lib. I. c. V. et VI.
2 Tom. II. Liturg. Rom. Pont. p. 26.
3 de Bas. Later. c. XI. in T. II. Mus. Ital.
4 del Primicero della S. Sede Apostol. e di altri Vffiziali maggiori del S. Palazzo Lateranense. Roma 1776. 4.

Digitized by Google

Diaconos, extra *fores Secretarii*, *planetis* indutos, (quas in Presbyterio deponebant, ut *dalmaticis* ornarentur), rursus eò regressos, ut una cum Pontifice ad Altare procederent. Hujusmodi usum confirmat epistola Joh. Ravennatis Archiepiscopi ad Gregorium M [1] ubi ait. *Quoniam jam de* Secretario *descendentibus filiis Ecclesiae*, *et* ingredientibus Diaconibus, *ut mox procedatur*, *tunc primus Diaconus Episcopo Ravennatis Ecclesiae pallium consuevit induere*.

§. VIII.

De Eucharistia ante Pontificem e Secretario praelata.

Insignius venerandae antiquitatis monumentum, quod exhibet Ordo I, ubi sollemnem Pontificis ad Altare procedentis pompam describit, illud profecto est, quod statim ac Pontifex e *Secretario* exibat, ei obviam veniebant duo Acolythi, qui vas, ubi *Eucharistia* condita erat, manibus tenebant, eamque Subdiaconus, vasis operculum discooperiens, Pontifici, et Diacono praeeunti ostendebat. Pontifex vero, inclinato capite, summa relligione *Eucharistiam* adorabat. Accipe, quomodo augustam hujusmodi caeremoniam explicet idem Ordo [2]. *Acolythi tenentes capsas cum* Sanctis *apertas*, *et Subdiaconus sequens cum ipsis tenens manum suam in ore capsae*, *ostendit* Sancta *Pontifici*, *vel Diacono*, *qui praecesserit*. *Tunc inclinato capite Pontifex*, *vel Diaconus salutat* Sancta, *et contemplatur*, *ut*, *si fuerit superabundans*, *praecipiat*, *ut ponatur in* Conditorio. *Tunc peraccedens*, *antequam veniat ad scholam*, *dividuntur cereostata*, *quatuor ad dexteram*, *et tres ad sinistram partem*.

1 l. II. Ep. S. Gregor. ep. LV. Ind. XII. 2 num. 8. pag. 8.

Audisti ex vetustissimi hujusce Ordinis loco *Eucharistiam*, nullo alio adjecto vocabulo, *Sancta* appellatam fuisse, ut pluribus aliis exemplis confirmat Mabillonius [1], et solide probat Dominicus Georgius [2], adversus Harduini sententiam, qui perperam id inficiatus est. Quis enim ignorat, Diaconum antequam sacra Eucharistia celebraretur, elata voce exclamare solitum, Ἅγια ἁγίοις, nimirum *Sancta Sanctis*, quemadmodum docent auctor Constitutionum Apostolicarum [3], Cyrillus Hierosolymitanus [4], et Chrysostomus [5]? Ibidem vero Georgius *Eucharistiam* Pontifici ad Altare e *Secretario* procedenti dumtaxat ostensam, nunquam vero ante eum praelatam fuisse pronunciavit. Ceterum etsi tacite, pluries [6] tamen operis decursu, falsam hanc, quam animo imbiberat, opinionem retractavit. Certum enim est, vetustioribus temporibus Pontificem e *Secretario* exeuntem praecedere consuevisse Acolythos, et Subdiaconum, qui Crucis loco, de qua nihil in antiquioribus Ordinibus, *Eucharistiam* praeferebant. Sequebantur duo Hypodiaconi, quorum unus aureum turibulum, thymiamate refertum gestabat, alter *Evangelii* codicem; de cujus ritus significatione, iis omissis, quae legere est apud Catalanum [7], haec habe ab Innocentio III. egregie prolata [8]. *Subdiaconus, qui praecedit, Johannem Baptistam significat, qui praecessit in spiritu, et virtute Eliae, parare Domino plebem perfectam. Hic ante Pontificem portat Codicem, quia Johannes ante Christum praedicationem Evangelicam inchoavit*. Praeterea sacram pompam augebant VII.

1 in Comment. pag. XXXVI.
2 T. I. de Liturg. Rom. Pont. p. 40.
3 Homil. XVII. in Hebr. pag. 1873. et homil. CXXIII. T. V. p. 809. edit. Savil.
4 lib. Tom. 13. p. 8. 22. et 34.
5 lib. VIII. cap. VIII.
6 Catech. myst. V. §. XVI.
7 de Codice S. Evangelii. Rom. 1733. lib. III. cap. II.
8 de Officio Missae lib. II. cap. 2.

Acolythi illius regionis, ubi statio celebranda erat, vII. candelabra accensa gestantes, vII. Subdiaconi, ac vII. Diaconi regionarii, dum interim Episcopi, et Cardinales Presbyteri, Pontificis adventum stantes in Presbyterio expectabant.

Verum seculo IX. nonnihil immutatum fuisse constat ritum Pontificis egressus e *Secretario*, quo Ordo II. ab Amalario [1] explicatus, a Micrologo [2] in pretio habitus, quemque iccirco Panvinius [3], cui Balutius [4] subscripsit, Gelasianum, a Gregorio M. emendatum fuisse putat, ita pompae descriptionem absolvit [5]. *Pertransit Pontifex in caput scholae, et in gradu superiore, inclinato capite ad Altare, primo adorat* Sancta, *et stat semper inclinatus usque ad versum Prophetalem*. Heic igitur *Sancta* jampridem in Altari collocata esse cernimus, quae, quum illuc Pontifex pervenit, adorabat; secus quam vidimus in alio Ord. quem hanc praesertim ob caussam Mabillonius [6], contra Panvinii sententiam, ceteris antiquiorem putavit. Multo enim vetustior est certe ritus, qui in eo describitur, deferendi *Sancta*, nempe *Eucharistiam*, initio Missae Pontificalis, e *Secretario* usque ad Altare. Quapropter mirandum minime est, alia etiam in supra allatis ejusdem Ordinis verbis diversa a I. Ord. exemplo obversari. Heic enim aliorum vice, quos supra memoravimus, a duobus Presbyteris Pontificis brachia sustentata, librum Evangeliorum, non pompae initio, sed prope Pontificem delatum, tria turibula pro uno, quod Subdiaconus cum thymiamate ante Pontificem praeferebat, gestata audivimus. Praeterea heic

1 egloga in Ord. II.
2 in cap. IX.
3 in cod. ms. Vat.
4 In appendice Capitularium.
5 num. 4. pag. 43.
6 in admonit. ad eumdem Ord. p. 46.

Digitized by Google

etiam ipsa candelabrorum accensio, non ante fores *Secretarii*, sed extra Ecclesiam, et totius pompae cursus ab Austro ad Septemtrionem designatur.

Ceterum, etsi ex hoc Ordine appareat, *Sancta* in Altari jam exstitisse, prius quam Pontifex e *Secretario* eô deveniret, tamen I. Ordinis testimonium satis aperte declarat, in *Capsa* Pontifici sacra operaturo *Eucharistiam* fuisse praelatam. Quod etiam patet ex Can. xvII. Conc. I. Arausicani, ubi *cum capsa et calix offerendus, et admixtione Eucharistiae consecrandus dicitur*. Quae quidem verba, quamvis implexa, et obscura, egregie Mabillonius [1] explicavit, qui ab hoc Canone praescriptum fuisse putat, ut una cum Capsa, ubi *Eucharistia* initio Missae ad Altare deferebatur, Calix quoque afferretur, qui deinde consecratus, utramque speciem consecratam, *Eucharistiae* particulae immissione, in se conjungeret, ac contineret. Duplex vero *Eucharistiae* particula in calicem immittebatur, una ante oblatae fractionem ex *Eucharistia* pridie consecrata, quam Pontifex ab Acolytho in capsa ostensam adoraverat, ejusque partem, quae *superabundans* erat, reponi praeceperat in *conditorio*, ubi *Eucharistia* asservari solebat. Altera post oblatae fractionem ex ipsa oblata. Quod fortasse institutum fuit, ut Sacrificii unitas, et perpetuitas veluti quaedam servaretur. *Non enim*, ut Amalarius [2] pronunciat, *vacat a mysterio, quidquid in officio agitur juxta Constitutionem Patrum. Si hoc ita agitur in Rom. Ecclesia, ab illis potest addisci, quid significet* bis positus panis in calicem.

Deinde ex novi Sacrificii oblatione una particula reservabatur, ac, teste eodem Amalario [3], *remanebat in Al-*

1 in Comm. p. cxxxix. et p. xxxvI. 2 in l. III. c. xxxI. 3 l. III. c. xxxv.

tari ipſa particula uſque ad finem miſſae, *quia*, ut docet I. Ordo Rom. [1], *ita obſervant*, *ut dum Miſſarum ſollemnia peraguntur*, *Altare ſine ſacrificio non ſit*. Hinc autem, ſacro abſoluto, eadem pompa ad *Secretarium* referebatur.

Verum cito obſolevisse ritum *Eucharistiae* praeferedae Romano Pontifici, dum ad ſacrum ſollemne celebrandum ſeſe conferebat, ex eo conjicere licet, quod nihil apud Amalarium [2], Benedictum Canonicum [3], Cencium Camerarium [4], de eodem memoratum invenias. Hujuſce tamen uſus veſtigium apparet Seculo XIV. Nam Jacobus Cajetanus in Ordine XIV. ubi agit *de officio feriae* VI. *in Paraſceve*, qua die Pontifex ſacra pompa ab aede Lateranenſi ad Baſilicam S. Crucis, ſtationis celebrandae cauſſa, cum Corpore Domini procedebat, haec inquit [5], ab Ord. x. deſumpta [6]. *Junior Presbyterorum Cardinalium ferat adornatam Capſidem cum Dominico corpore heſterno die reſervato*: *et ſic Subdiaconus cum Populi Cruce proceſſionem praecedente*, *omnes diſcalceati ſine cantu pſallendo ad Eccleſiam S. Crucis*, *quae eſt in Jeruſalem*, *ubi ſtatio fieri debet*, *ordinate procedant*, *quando Dominus Papa eſt Laterani*, *quando autem illuc pervenerint*, *ingrediantur Eccleſiam ſine cantu*, *et proſtrati in medio Eccleſiae diutius orent*. *Presbyter*, *qui portat Corpus Domini*, *ponat illud in* Secretario, *dum Dominus Papa praeparat ſe*. *Illo praeparato*, *reportet illud ante Papam in proceſſione ad Altare*. *Euchariſtia*, quam a *Coena Domini* in ſequentem *Paraſceven* in *adornata capſide* adſervatam deſcribit Cajetanus, in *capſula corporalium* repoſita dicitur a Benedicto Canonico,

1 Tom. II. Muſ. Ital. pag. 14.
2 lib. III. cap. II. et v.
3 in Ord. XI.
4 in Ord. XII.
5 §. XCIII. pag. 336.
6 num. 14. pag. 102.

qui ait [1]. *Quidam Cardinalis honorifice portat Corpus Domini praeteriti diei conservatum in capsula corporalium*. Id autem postea penitus desuevisse perspicuum est ex Ord. xv. Petri Amelii, ubi legas [2]. *Papamet ad armariolum, seu cophinum vadit, et Corpus Christi portat ad altare cum illa tobalea de sirico coopertum, cum uno capite, et cum alio, qui sibi pendet super humerum sinistrum, licet secundum dominum Jacobum Gaytani junior Presbyter Cardinalis Corpus Christi antiquitus ad altare portare consuevit*. Inficiandum tamen minime est, veterem servandae *Eucharistiae* consuetudinem pro sequenti Sacrificio, quae pro singulis festis diebus antiquitus obtinebat, *feria* v. in Caena Domini pro sacro *Praesanctificatorum* adhuc retineri.

Hinc etiam repetendum esse duco ritum vetustissimum, qui hodieque usurpatur, adorandi Sacramentum augustum publice expositum, priusquam Pontifex hexaphoro sublatus, sollemni pompa ad princeps Altare deferatur, sive ut sacro adstet, sive ut ipse sacrum faciat.

Verum ritus *Eucharistiam* e *Secretario* in capsa ad Altare deferendi, initio *Missae fidelium*, postquam *Missa Cathecumenorum*, quibus sacra mysteria majores nostri occultabant, expleta fuerat, alibi etiam viguit, et apud Gallos praesertim in usu fuisse docet Martenius [3]. Insignem enim locum habemus Gregorii Turonensis, qui rem aperte ita declarat [4]. *Quum tempus ad Sacrificium offerendum advenisset, acceptam turrem, in qua mysterium dominici Corporis habebatur* (diaconus quidam impurus) *ferre caepit ad ostium* (unde ex *Secretario* in Basilicam aditus erat), *eoque* Templum *ingresso, ut eam altari*

1 ord. xI. num. 42. pag. 137.
2 §. LXXVII. pag. 493.
3 in T. v. Anecdotorum pag. 9?.
4 de gloria Mart. l. 1. cap. LXXXVI.

superponeret, *elapsa de manu ejus capsa*, *ferebatur in aera*.

Siquidem S. Oddo Abbas Cluniacensis [1], qui hanc Gregorii historiam explicavit, *turris* nomine, *capsam cum Corpore Domini* designatam intellexit, eique plane subscripsit Mabillonius [2], qui *Eucharistiam* in illa turri adservatam fuisse, minime dubitavit.

Quis itaque Dallaeo [3], et Samueli Basnagio [4] jure non succenseat, una cum Paciaudo [5], Besozzio [6], et Georgio [7], quod optimorum codicum diligenter a Ruinartio inspectorum fidem sollicitent, ut pro *mysterio* substituant *ministerium*, ac proinde suadeant, in ejusmodi turricula Calicem, et patenam ad sacrum faciendum dumtaxat exstitisse; Christi vero corpus, neque in *Secretariis*, neque in Templis unquam fuisse adservatum? Atqui vel ipsam *ministerii* vocem pro *mysterio* indicando usurpatam fuisse, plura nos docent exempla; et argenteae, aureaeque turriculae, quae, instar nostrarum pyxidum [8], mobiles erant, ac gestatoriae, ut dominici Corporis *mysterium* continerent, Templis oblatae occurrunt a Felice Episcopo Bituricensi [9], Remigio, et Lando Rhemensibus [10], et ab Hugone Fontanellensi [11], aliisque.

Etsi vero vel apud Gallos ritus deferendae *Eucharistiae* plane desueverit, tamen in plerisque eorum Ecclesiis

1 in Collat. lib. II. cap. XXXII.
2 in Comm. praevio pag. CXL.
3 de cultu. relig. Latin. lib. VI. c. VII.
4 Annal. Polit. Ecclesiast. Tom. I. ad ann. CCIX. Roterod. 1716.
5 de cultu S. Joh. Bapt. Romae 1755. p. 391.
6 Storia della Basilica di S. Croce in Gerusalemme c. XI. pag. 93.
7 T. I. Liturg. Rom. Poot. in c. XVI. de sacro Ministerio pag. XCV.
8 Sarnelli, perchè la Pisside, in cui si conserva la SS. Eucaristia si benedisce, non si consagra, come il Calice? in Tom. VII. Liter. Eccl. pag. 84.
9 in Tom. X. Bibl. PP. edit. Lugd. in Venantii Fortunati l. III. carm. XXV.
10 in Hist. Rhemens. Flodoardi lib. I. cap. XVIII. in Tom. XXII. Bibl. PP.
11 in Metropoli Rhemensi Merlotti T. I. lib. II. cap. XXXIX.

sollemnis pompa festis diebus ad omnem splendorem, gravitatemque composita, e *Secretario* ad Altare, adhuc retinetur, ac praecipue in Turonensibus Ecclesiis S. Martini, et S. Gratiani, in quibusdam festis sollemnioribus, quae VII. *Candelabrorum* vulgo appellantur, quia, ut notat le Brunius [1], VII. Acolythi, VII. Subdiaconi, et VII. Diaconi pompae intersunt.

Et sane in antiquo rituali Eccl. S. Martini Turonensis praecipitur [2]. *Si festum* VII. *Candelabrorum venerit Dominica*, fiat processio in cappis sericis. *Ad Missam debent priores esse revestiti in albis, et in cappis sericis; et debet Decanus se vestire in* Secretario, *Thesaurarius in Thesauro, Cantor in Camera, Subdecanus ante* Secretarium. Sic etiam in Ord. edito a Card. Bona ex cod. Chisiano, hujusmodi pompa describitur [3]. *Quum Clerici incoeperint* Gloria *post introitum, procedat, antecedente eum Diacono, et ante eum Subdiacono cum libro Evangelii, et ante Subdiaconum Acolytho cum thymiamate, ante quem duo alii Acolythi praecedant cum candelabris, et luminaribus, et sic ordinate exeant a* Secretario.

§. X.

Romanorum Ordinum loca, in quibus Pontifex ad diversa sacrarum Vrbis Aedium Secretaria sollemnioribus anni diebus procedens occurrit.

Etsi hactenus caeremonias omnes explanavimus, quas in *Secretariis* obibant Pontifices, antequam pergerent ad Altare, sacris operaturi, tamen haud abs re esse puto, si ex romanis Ordinibus loca decerpam, in quibus ad va-

1 in Explicat. Missae a Joh. Dalmeso latine reddita. Venet. 1770. T. 1. p. 46.

2 apud Martene in Tom. 1. de antiq. Eccl. rit. pag. 569.

3 apud Martene in T. 1. de ant. Eccl. rit. pag. 604.

ria Templorum Vrbis *Secretaria* Pontificis accessus memoratur. Itaque ab Ord. I. exordiar, qui ritus in aede *S. Anastasiae* servandos feria IV. in capite jejunii ita describit [1]. *Colligunt se omnes ad Ecclesiam S. Anastasiae circa horam septimam. Ingreditur Pontifex in* Secretarium, *induit se vestibus. Schola vero canit antiphonam ad introitum*: ac paucis interjectis; *ut autem prope Ecclesiam venerint, incipient letaniam, ut autem ingressi fuerint Ecclesiam, Pontifex ingreditur in* Secretarium. *Schola pergit decantando usque ad Altare*. Postquam vero ceteras caeremonias ibidem expleverat a pluribus copiose descriptas [2], ad proximam Aedem S. Sabinae in Aventino sitam pergebat, ubi sacrarum Stationum seriem auspicabatur, quae reliquo Quadragesimae cursu per statas Vrbis Ecclesias celebrandae erant, ac Subdiaconus regionarius ante Communionem sacri sollemnis, quod absque *Kyrie eleison* precatione fiebat, jam antea in Litaniis recitata; ut explicat Benedictus [3], elata voce indicebat. *Crastina die veniente, Statio erit in Ecclesia S. Georgii ad velum aureum*. Schola respondente, *Deo gratias*. Audi Cencium Camerarium, qui ritus ea die obeundos ita exponit [4]. *Deinde praecedentibus in ordine suo, D. Papa nudis pedibus cum psalmodia sequitur processionem usque ad S. Sabinam, et ipsum praecedit Crux sua, quam portat unus de Subdiaconibus suis, et Crux*

1 feria IIII. initium Quadrages. p. 17.

2 Fil. Cappello Breve notizia dall'antico, e moderno stato della Chiesa Collag. di S. Anastasia. Roma 1722. 8. Crescimbeni Storia della Basilica di S. Anastasia titolo Cardinalizio. Roma 1722. 8. Nic. Antonelli de ritu inspergendi sacri cineris super caput Rom. Pontif. Exst. in vet. Missali Lateran. p. 309. Card. Tomasi Scrittura, nella quala si prova, che l' istituzione della Feria IV. in capite jejunii è stata prima di S. Gregorio M. contro l'opinione del Menardo. Exst. in Missali vet. Lateran. et in T. VII. operum Thomasii editionis Vezzosii. Barth. Piazza, Gerarchia Cardinal. p. 392. Annal. Ord. Praed. Rom. 1756. fol. Joh. Gab. Mittwood Exercit. de capite jejunii. Lips. 1693.

3 in Ord. XI. num. 34. et 35. p. 134.

4 in Ord. XII. num. 15. pag. 176.

Digitized by Google

Sancti Petri , quam portat Prior Subdiaconus Regionarius . Quumque intraverit Ecclesiam , intrat Secretarium ; *et Mappulariorum , et Cubiculariorum schola habent ibi aquam calidam paratam ad abluendos pedes ipsius . Sciendum vero est , quod in introitu Ecclesiae Acolythi debent recipere Crucem Sancti Petri , et portant usque ad Altare cum Subdiaconis regionariis faciendo litaniam . Et pedibus ablutis , Dominus Papa paratus ad Altare accedit .*

Heic autem mecum obiter animadverte usum lavandi pedes in *Secretario* , qui passim in Rom. Ordinibus memoratur . Praeter enim allata Cencii testimonia , Canonicus Benedictus [1] de *die Parasceves* ait . *Quum venit ad Ecclesiam praedictae Bas. (S. Crucis in Hierusalem)* lotis pedibus , *calceatus accedit ad Altare* . Quod in *Secretario* faciendum esse demonstrant Ordo x [2] , et xiv [3] , ubi ejusdem diei ritus ita exponuntur . *Surgentes ab oratione , Dominus Papa cum Clero intret* Secretarium , *et abstracta planeta cum pallio sedet in sede sua , et* lotis pedibus *ministri calcient eum , non sandalia , sed quotidiana calciamenta* . Quum enim Pontifex nudis pedibus semper incederet , ac plerumque aestuosa , aut lutulenta via , ad supplicia stativa celebranda , necesse erat , ut , vix ad sacras aedes pervenerat , pedes ablueret . *Sciendum tamen* , inquit Cencius [4] , *quod Dominus Papa in omnibus processionibus , in quibus pedes vadit , pedibus discalceatis incedit , una tantum excepta , in Exaltatione S. Crucis , scilicet mense Septembri* . Idque alibi etiam confirmat . *Notandum est , quod Dominus Papa , et Cardinales in omnibus aliis processionibus , praeter istam , pedibus excalceatis incedunt* .

1 Ord. xI. pag. 137.
2 pag. 102.
3 pag. 336.
4 num. 12. pag. 173.

Atque hinc Pontifices in *Litaniis majoribus*, ne, quum essent plerumque aetate confecti, de via languerent, inter eundum identidem quiescebant in *Lecto*, qui in *Secretariis S. Clementis*, *S. Mariae Novae*, et *S. Marci*, aliisque locis parabatur. Profecto Cencius haec tradidit [1]. *Quum autem Dominus Papa venerit cum processione ad Ecclesiam S. Clementis, ibi* quiescit *in* lecto, *superposito tapete, et herbis circumquaque positis, quae tamen fiunt a Clericis ejusdem Ecclesiae S. Clementis. Postquam vero quieverit, surgens vadit, praedicto modo usque ad Ecclesiam S. Mariae Novae: ubi, dum praedicto modo* quiescit, *unus de Schola Crucis cantat Letaniam. Surgens pergit praedicto modo usque ad Ecclesiam S. Marci, ubi, sicut superius scriptum est*, requiescit. *Et postquam pausaverit, surgit, et memorato modo incedit usque ad locum, qui* Parion *nuncupatur, Cruce S. Petri, quae de consuetudine ipsa die apud S. Marcum debet afferri, post Crucem S. Laurentii, et ante Crucem S. M. Majoris, in ordine praecedente. Ibi autem Dominus Papa praedicto modo* quiescit, *et post quietem incedit, sicut prius praemissum est, usque ad Pontem S. Petri; ibique modo praelibato* quiescit, *et ab illo loco surgens praetaxato modo, incedit usque ad locum, qui dicitur* Cortina, *et* quiescit lecto *ibi a Schola virgarum praedicto modo aptato, surgensque accedit ad gradus Ecclesiae S. Petri, et super gradibus vergens faciem ad Orientem, primitus intrat Ecclesiam, Primicerio cum Schola Cantorum* Te Deum laudamus *cantante: factaque oratione, post* Te Deum laudamus *super rota, in introitu quasi Ecclesiae, pergit ad* Secretarium, *et* ablutis pedibus, *ibi indutus, sicut moris est, et alibi scriptum, ad altare pro Missa cantanda incedit*. Haec eadem ita explanaverat Be-

[1] §. xxxix. Qualiter Dominus Papa pergit in Lit. majori in festo S. Marci. n. 64. p. 203.

nedictus in ordine xI. [1]. *Quum autem venerit processio ante Coloseum, Subdiaconus regionarius incipit septiformem Letaniam. Basilicarii vero respondent illud idem, usque ad septimum. Quum autem venerit ante S. Mariam Novam, in praeparato* lecto *Dominus Pontifex cum Episcopis, Cardinalibus, et Diaconibus* quiescit, *donec letania finiatur. Qua finita surgit Dominus Pontifex, dicit* Oremus; *Diaconus* flectamus genua. *Resp.* Levate. *Pontifex dicit orationem: Diaconus,* Procedamus cum pace; *et redeunt omnes in processione per viam sacram ad clivum argentarii praelibatum. Subdiaconus incipit quinqueformem Letaniam eo ordine, quo prius, usque ad* Lectum *ante S. Marcum, ubi Dominus se pausat, sicut in primo. Deinde revertuntur in processione usque ad arcum triumphalem Theodosii, Valentiniani, et Gratiani Impp. ubi incipit triformem Letaniam, usque ad* Lectum *in ponte Adriano. Venientes ad S. Laurentium in porticu majore, ubi incipit simplicem Letaniam usque ad* Lectum *cantari ante S. Mariam in Virgari, in fine Cortinae. Finita letania, aliisque officiis, adscendit ad Bas. S. Petri, ubi est statio, ibique Dominus Pontifex cantat Missam*. Ex his locus, ubi Pontifex sacris vestibus exornatur, quoties sollemne sacrum facturus est, vel eidem adstat, etiam nunc *Lectus Paramentorum* vulgo nuncupatur.

Neque vero quidquam Pontifices in Templis praestabant, quin prius ad *Secretarium* sese conferrent. Refert enim Ordo VIII. [2], *quum Episcopus est ordinandus, alia die, quod est Dominica, procedit Domnus Apostolicus in Ecclesia, ibique Episcopi, et Presbyteri cum eo, et ceteri ordines Clericorum consistunt: et ingreditur Domnus Apostolicus* Secretarium, *et jubet scholam psallere*.

1 num. 57. pag. 146. 2 pag. 88.

Hic idem usus apud alios etiam Antistites vigebat; Nam Pontificales Beccensis Monasterii rituum in Episcopi ordinatione servandorum enarrationem ita exordiuntur [1]. *Episcopum, qui ordinandus est, duo Episcopi per manus de* Secretario, *antequam Evangelium legatur, deducant ante Altare*. Ritus Ordinationis Archipresbyteri apud Syros Maronitas hic erat [2]. *Primum accedet ille, quem elegit Spiritus S. et ingredietur in* Secretarium. *Inclinabit autem caput coram Pastore, manus habens junctas, caputque deteget, et induet Ordinis sui vestimenta. Tumque egredientur pulcro, et decenti ordine*. Pontificale Cameracense absolvit *Ordinem ad benedicendam Ecclesiam* hujusmodi verbis. *Tunc secedit Dominus Episcopus in* Secretarium, *et imponit Cantor introitum. Postea procedit Pontifex ad Altare cum ordinibus suis*. Item ordo mss. Wertinensis monasterii, ubi legitur *denunciatio scrutinii ad electos, quod in* III. *hebdomada in* XL. II. *feria initiatur*, haec habet [3]. *Inde vero procedant* IV. *Diaconi de* Secretario *cum* IV. *libris Evangeliorum, praecedentibus eos duobus candelabris cum turibulo, et incenso, et imponunt ipsa Evangelia super* IV. *angulos altaris.*

Haud absimile est, quod legimus in Ordine IX. de *gradibus Rom. Eccl.* [4]. *Sabbato egreditur Pontifex ad S. Petrum, et universae regiones cum eo Letaniam canendo. Ingrediente Papa in* Sacratarium, *ipsi praestolantur adventum ejus in Presbyterio*. Nil enim refert, quod litera immutata, ibidem *Sacratarium* pro *Secretarium* occurrat, quum palam sit, *Secretarium* heic designari. Idem dicas de tribus aliis locis ejusdem Ord., ubi *Sacratarium* effertur,

1 Martene T. II. de ant. Eccl. rit. p. 181.
2 ibidem pag. 290.
3 ibid. p. 113.
4 num. 2. pag. 90, et ex Pontificali Salisburgensi T. II. de ant. Eccl. rit. apud Martene pag. 151.

quò novus Pontifex ingrediebatur, ut Pontificalia sumeret indumenta, quòque redibat, ut ea ibidem deponeret, sollemni sacro absoluto. En tibi illa [1]. *Ingrediens vero* Sacratarium, *induitur indumenta Pontificalia, et veniens ad Confessionem S. Petri, prosternit se in orationem, schola canente Introitum*. Et paullo infra [2]. *Ingressus in* Sacratarium *jam nunc sedet in sella Apostolica*. Ac demum in Ord. IV. Temporum [3]. *Hora tertia, vel quali voluerit, ingrediuntur Pontifex, vel Levitae in* Sacratarium, *et induunt se vestimentis relligiosis, cum quibus debent celebrare missarum sollemnia*. Itaque hujusmodi vox, quattuor exemplorum auctoritate, Ducangii lexico adjungi poterit. Silentio praeteream, quae refert Ordo Card. Cajetani, *ad benedicendum Imperatorem, quando coronatur*, quum de hac re in sequenti libro copiosius, atque opportunius disserendum sit.

Praestat nunc audire Canonicum Benedictum, qui, postquam sacrum sollemne summo mane ad S. Anastasiae celebratum, alterumque posthac in Vaticano descripsit, die Natali D. N. Jesu, de pompa deinde in Templo Liberiano habenda haec literis tradidit [4]. *Propter parvitatem diei, et difficultatem viae facit Stationem ad S. M. Majorem, et vadit in* Secretarium. *Cubicularii custodiunt* Secretarium. *Prior Episcopus servit de libro, Archidiaconus de Evangelio, Subdiaconus Regionarius prior de mappula; prior Basilicarius de epistola, Primicerius, et schola de cantu; et sic sustentatus a duobus Diaconis, Archidiaconus sine socio solus procedit ante Pontificem, et sic intrat in processione; omnis ordo in suo loco, bini et bini procedunt,*

1 n. 5. pag. 92, et apud Martene p. 152.
2 ibid. n. 6, et T. II. Martene pag. 153.
3 §. CV. pag. 398, et T. II. Mart. p. 848.
4 in Ord. XI. num. 17. pag. 126.

Acolythi cum candelabris, et Crux Domini Pontificis ante processionem. In introitu Ecclesiae Cubicularii alte portant mappulam supra caput Pontificis. Heic *mappulae* usum, quam *conopeum*, et *linteum extensum* paullo infra [1] idem Benedictus appellat, primo indicatum vides, hac die a Cubiculariis gestandae, qui etiam *mappularii* dicebantur ab eadem *mappula*, quam e *Secretarii* egressu, *duo ab anteriori parte*, ut utar Cencii Camerarii [2] verbis, *duoque a posteriori ligatam in summitate quattuor baculorum, et extensam, usque ad altare ferebant*; quod quidem nunc praestant Praesules *Referendarii*, quos vocant, *utriusque Signaturae* [3]. Eosdem ritus accurate designavit Cencius Camerarius in hunc modum [4]. *In Aurora vadit Pontifex ad S. Anastasiam, et celebrat ibi secundam Missam: qua finita revertitur ad Bas. S. M. Majoris, et intrat* Secretarium *cum Episcopis, Cardinalibus, Diaconibus, Subdiaconibus, et reliquis Ordinibus, et dicunt Tertiam: qua dicta induunt se, et processionaliter vadunt ad Altare, sicut est moris.* Egregium hunc locum, nescio, cur indiligenter praeterierit Georgius [5], quin ex eo vetustissimum ritum adnotaret, canendi *Tertiam* in *Secretario*, quem ibidem diserte declarat, ac luculenter confirmat, ubi explicat, *quid Dominus Papa facere debeat in Exaltatione S. Crucis* [6]. *Notandum*, inquit, *quod Canonici Lateranenses veniunt obviam Domino Papae usque ad gradus Scalae cum Cruce, Primicerio cum schola Cantorum cantante. Reliquiis a portatoribus super Altare positis*, (nimirum Apostolorum

1 num. 40. p. 136.
2 §. xxII. p. 197.
3 Giac. Giandemaria Reflessioni sopra la Costituzione di Alessandro VII. per l'erezione del Collegio de' Referendarj d'ambedue le Segnature, di Grazia, e di Giustizia, e per le qualità, che si richiedono ne'soggetti da ammettersi in quello. Parma 1693. 8.
4 num. 2. p. 167.
5 T. II. Liturg. Rom. Pont. pag. 25.
6 in Ord. XII. §. XLVI. pag. 110.

Petri, et Paulli, et Ligni S. Crucis ex Bas. S. Laurentii extractis, et a junioribus Presbyteris Cardinalibus illuc delatis, quae *Sanctuaria* vocat Benedictus [1]) *Dominus Papa pergit ad* Secretarium , *et cantat* Tertiam , *et indutus pergit ad Altare ; et celebrat divina* .

§. xI.

Caeremoniae a Pontifice in Secretario obeundae in hebdomada majori.

Quae Pontifex praestare deberet *Dominica in Palmis ad Lateranum, ubi palmae sunt ab Acolythis collectae in Basilica S. Silvestri*, ita refert Canonicus Benedictus [2]. *In* Secretario *Pontifex induitur, et intrat ad Missam sine mappula*. Praeterea caeremoniae peragendae feria v. in Coena Domini pro Oleorum benedictione ita accurate explicantur in Ord. x. [3]. *Hac die Sacrificium Sacri Corporis, et Sanguinis ab ipso Domino Nostro Jesu Christo celebrationis sumpsit initium : hac die in toto orbe sanctum chrisma conficitur : hac etiam die paenitentibus pro indulgentia subvenitur. Mane hujus diei primo Mansionarii praeparent omnia, quae necessaria sunt ad consecarationem Chrismatis : tres ampullas oleo mundissimo plenas, maximam vero ampullam, quae ad Chrisma decet fieri de panno serico albo, alias autem de alio serico coopertas. Sit autem pannus adeo subtilis, quod ampullae possint videri per eum . . . . Peractis iis omnibus descendit ad Ecclesiam Lateranensem, et intrat Ecclesiam S.* Thomae, *et dicit cum Capellanis suis* Nonam. *Sed si est ad Ecclesiam S. Petri, descendit ad praefatam Ecclesiam, veniens ante* Secretarium *ad* Capellam S. Gregorii, *et dicit ibi* Nonam. De extremis hisce verbis in libro posteriori redibit

1 num. 74. p. 152. 2 in ord. xI. num. 38. pag. 136. 3 num. 1I. pag. 98.

sermo, ubi *Cellam Gregorianam* a *Secretario* distinguendam esse declarabimus. Nunc eosdem ritus in *Secretario* certe obeundos a Benedicto Canonico audiamus, cujus haec sunt verba [1]. *In coena Domini .... ad Missam descendit Summus Pontifex in* Secretarium. *Praeparatis ampullis plenis oleo, miscitat balsamum cum oleo. Deinde se innuit cum omnibus aliis, et habet* VII. *candelabra ante se accensa; et cum processione procedit ad altare cum linteo extenso super caput ejus*. Iis consonant, quae legimus apud Cencium in Ord. XII [2], ubi narrans, *quid Dominus Papa facere debeat in Coena Domini*, inquit. *Descendit ad Ecclesiam S. Joh. Lateranensis cum mitra sine frisio, hora* VI; *et facta oratione ante Cruces, pergit ad* Secretarium *ad* Ecclesiam S. Thomae, *cum Episcopis, Cardinalibus, et aliis Ordinibus, ibique cantat* Nonam.

Alia vero narrantur in Codice Sacramentorum in Eboracensi Ecclesia adservato Egberti Episc. Eboracensis, qui floruit medio seculo VIII. [3]. *In Coena Domini hora* VI. *celebratur missa ad Lateranis .... Archidiaconus adscendens cum Chrisma, ampullam auream cum pallio albo in manu sua offert benedicendam Pontifici. Finita oratione Consecrationis, ab Acolythis ad salutandum proferatur, et in* Secretario *ponatur*.

Adde his, quae feria VI, absolutis precibus consuetis pro singulis Ecclesiae Ordinibus, ac fidelibus universis, quarum meminit Caelestinus I. [4], facienda praescribit Ordo I. [5]. *Post orationes praeparatur Crux ante Altare, interposito spatio inter ipsam, et altare, sustentata hinc*

1 num. 40. pag. 136.
2 §. XI. pag. 178.
3 in Comm. praevio Mabill. Tom. II. Mus. Ital. pag. LXVII. et in Tom. III. de Ant. Eccl. rit. apud Martene p. 284.
4 in libello de gratia, et libero arbitr. contra Pelagian. cap. VIII.
5 num. 35. pag. 23.

inde a duobus Acolythis, posito ante eam Oratorio. Venit Pontifex, et adoratam deosculatur Crucem; deinde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, et ceteri per ordinem, deinde Populus. Pontifex vero sedet in sede, usque dum omnes salutent. Presbyteri vero duo priores, mox ut salutaverint, intrant Secretarium, *vel ubi positum fuerat Corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes eum in patena: et Subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter Subdiaconus patenam cum Corpore Domini.*

Alia etiam de eadem Feria vI. Parasceve tradidit Ordo x. in hunc modum [1]. *Hora* vI. *conveniant omnes ad Lateranensem Ecclesiam, vel ad aliam Ecclesiam, et dicant* vII. *psalmos. Tunc Dominus Papa induit se ornatu suo quadragesimali tantum, Episcopi pluvialibus, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi planetis. Tunc junior Presbyterorum Cardinalium ferat adornatum capsidem cum Dominico Corpore hesterna die reservato: et sic Subdiaconus cum Papali Cruce processionem praecedente, omnes discalceati sine cantu psallendo ad Ecclesiam S. Crucis, quae est Ierusalem, ubi statio fieri debet, ordinate tamen procedant, quando Dominus Papa est Laterani. Quum autem illuc pervenerint, ingrediuntur Ecclesiam sine cantu, et prostrati in medio Ecclesiae diutius orent. Presbyter, qui portat Corpus Christi, in* Secretario *ponat illud, dum Dominus Papa praeparat se. Illo praeparato, reportet illud ante Dominum Papam in processione ad Altare. Surgentes ab oratione Dominus Papa cum clero intret* Secretarium, *et abstracta planeta cum pallio, sedeat in sede sua, et* lotis pedibus *ministri calcient eum quotidiana calceamenta. Veniens ad faldistorium dicit* Nonam, *et post paullulum reindutus planeta, et pallio, praeunte eum Cruce, et Evan-*

1 num. 13. pag. 102.

gelio sine luminaribus, et incenso, cum silentio ordinate, ad Altare procedant, et tunc omnes prostrati diutius orent. Ex his vides, quandoque pro *Tertia*, *Nonam* in *Secretario* fuisse recitatam propter horarum diversitatem, qua diversi ritus praestabantur; idque mox a Benedicto confirmatum animadvertes, qui praeterea Pontificem, *dicta Nona*, *ad Vesperas intrare* declarat.

Verum nonnihil de eadem die a Cencio praestat audire, qui ita rem exponit [1]. *Et deinde juniori Presbytero Cardinali, accepto Corpore Christi in capsella ante pectus suum hesterna die reservato, et alio praedictam Crucem accipiente, et Subdiacono regionario cum populo suo praecedente, omnes discalceati cum Domino Papa, et Primicerio, sine cantu psallendo psalterium pergunt ad S. Crucem. Episcopus vero hebdomadarius remanet ad faciendum officium in Bas. Later. Pontifex autem quum ad Ecclesiam venerit, et Ecclesiam ipsam sine cantu intraverit, et diutius coram Crucibus oraverit, intrat cum omnibus aliis claustrum, et vadit ad* Secretarium: *et exuta planeta cum pallio, mappularii habentes aquam calidam paratam, abluunt pedes ipsius, et eo sedente in sede, ministri calceant eum non sandalia, sed quotidiana calceamenta, et induunt planetam, et palleum: et sic ad altare cum processione accedit, praeeunte eum Cruce, et Evangelio sine luminaribus, et incenso cum silentio*.

Licet vero ab Ord. X. accipere, quid in *Sabbato Sancto*, post Fontis benedictionem ageretur. Ibi enim traditur [2]. *Benedictione completa secedit paullulum ibi in* Secretario *juxta fontes, et abstracta planeta, et pallio, Acolythi praeparant eum, sicut consuetudo est. Praeparatus vero regreditur ad fontes*.

1 §. XIII. quid D. Papa facere debeat fer. VI. in Parasc. p. 181. 2 n. 22. p. 106.

Nunc autem a Canonico Benedicto accipias, velim, quid in ejusdem Bas. *Secretario* Pontifex praestaret sollemni Dominicae Resurrectionis festo [1]. *Quum autem venerit Dominus Pontifex ad S. Mariam, ubi fit statio, descendit de equo, deponit coronam de capite, quam dat Stratoribus, ut diligenter servent eam. Canonici Ecclesiae cum turibulo, et incenso, et aqua benedicta suscipiunt eum cum processione cantando: sed Pontifex ponit incensum in turibulo et aspergit aquam super populum. Deinde intrat Ecclesiam, et orat, et vadit ad* Secretarium, *ubi paratis omnibus ordinibus, prius dat pacem priori Episcopo, qui ei serviturus est, et redit in locum suum. Deinde secundo Episcopo, qui rediens dat pacem Priori suo, et redit in filo, et aliis similiter: deinde Cardinalibus similiter, postea Praefecto, et Judicibus, Delungariis quoque, id est Praefectis navalibus, et Majorentibus, qui dicuntur* Schola Stimulati, *et ceteris Laicis principibus. Tunc surgunt duo Subdiaconi Basilicarii, et accipiunt Priorem Subdiaconum regionarium, per manus adextrantes eum ab* introitu Secretarii *ante Pontificem. Qui alta voce dicit* Jube domne benedicere. *Pontifex benedicit eum; deinde parum producunt eum, et iterum dicit,* J. D. B. *et benedicit. Progreditur ante, et dicit.* J. D. B. *Dominus benedicit eum, et dicit Servi D. N. J. C, Servi D. N. J. C, Servi D. N. J. C. G. Archidiaconus legat Evangelium, Hyacinthus Subdiaconus legat Epistolam, G. Primicerius, et ceteri cantores.* Tunc *surgit Dominus Pontifex a duobus sustentatus, in processione progrediens, sicuti mos est. Cubicularii in introitu Ecclesiae habent mappulam extensam, quam portant super caput ejus usque ante altare.* Deinde vero postquam Benedictus reditum Pontificis ad Palatium Lateranense, ejusque convi-

[1] in Ord. XI, num. 46. pag. 140.

vium [1] descripsit in Basilica magna Leoniana, quae *Architriclinium*, *Casamajor*, *Cubitorium* interdum etiam dicebatur, una cum quinque Cardinalibus, quinque Diaconis, et Primicerio, agnique assi benedictionem, quam Cencius [2] non a Pontifice, sed a juniori Presbytero Cardinali faciendam notavit, illico haec subdit [3]. *Finito convivio, descendit in Basilicam Salvatoris ad* Secretarium, *ubi parum pausat, qui surgens, dicta prius* Nona, *intrat ad vesperas*. Quis non ex prolixa hujusmodi descriptione, quae pressius in aliis Ordinibus allata vidimus, de ritibus in *Secretario* obeundis, ante quam Pontifex ad Altare progrederetur, mirifice confirmata, ac explicata non fateatur?

Sed, quum omnia Romanorum Ordinum loca quemdam veluti decorem, ac dignitatem praeseferant, quae intimam animi reverentiam deposcunt, ac non sine jucundissima voluptate audiantur, cur me ab afferendis Cencii Camerarii, et Cajetani descriptionibus de iisdem caeremoniis in die Paschae obeundis abstineam? Itaque primum haec habe a Cencio desumpta [4]. *Perveniente autem Pontifice cum processione ad Porticum S. Mariae, descendit ad Petram Papalem in loco antiquitus constituto, et deposito Regno ducitur a judicibus in Ecclesiam, et suscepta processione a Canonicis ipsius Ecclesiae, et facta benedictione, vadit ad* Secretarium, *exuensque palleum, et planetam, posito pluviali super humeros, incipit* Tertiam. *Finita vero Tertia, Prior Episcoporum, qui ei servire debet in Missa, ducitur ante Pontificem a duobus Episcopis, et tertio postulata benedictione accedit ad pacem Pontificis, et surgens ponit se in ordine ad dextrum latus ejus. Deinde secundus Episcopus accedit ad pacem Ponti-*

1 num. 48. pag. 142.

2 §. xv. Quid Dominus Papa facere debet in die Paschae? num. 33. pag. 185.

3 ibid. num. 49.

4 n. 33. p. 185.

ficis, et porrigens osculum priori suo, stat in filo, ab alio latere Pontificis. Ceteri vero Episcopi similiter faciunt, accedendo ad pacem Pontificis, et ponendo se in filo. Prior quoque Presbyterorum Cardinalium ductus ante Pontificem a duobus Presbyteris, et tertio postulata benedictione, accedit ad pacem Pontificis, et Episcoporum, et dirigit se in filo. Subsequuntur ceteri Presbyteri Cardinales; Praefectus quoque, Judices, Praefecti navalium, Advocati, Scrinarii, Senatores, Majorentes, qui vocantur Schola Stimulati, *ac ceteri Laici majores, et minores, in ordine suo ad pacem suscipiendam. Postmodum vero surgunt duo Subdiaconi Basilicarii, et accipientes Priorem Subdiaconum Regionarium, per manus eum adextrant ab* introitu Secretarii *usque* ad medium Atrii *ante Pontificem, qui alta voce dicit* Jube domne benedicere, *tribus vicibus, et tertio benedictione suscepta a Pontifice subjungit* Servi D. N. J. Christi *tribus vicibus, et dicit.* Dominus Archidiaconus legat Evangelium, Subdiaconus legat Epistolam, Primicerius, et ceteri cantores cantent. *His vero completis, surgit Pontifex, et resumpta planeta, pallio, et mitra, processionaliter vadit ad Altare, et incipit Missam de more.*

Sic autem Cajetanus [1] *Officium in die S. Paschae Resurrectionis Domini* habendum describit. *Quum autem venerit Dominus Papa ad S. M. (Majorem) ibi fit Statio. Statim descendit de equo, deponit coronam de capite, quam dat dextratoribus, ut diligenter servent eam. Canonici Ecclesiae cum turibulo, et incenso, et aqua benedicta suscipiunt eum cum processione cantando: sed Pontifex ponit incensum in turibulo, et aspergit aquam super populum: deinde intrat Ecclesiam, et orat, et vadit ad locum praeparatum* (nimirum

[1] §. xcv. pag. 374.

ad Secretarium, ut ex sequentibus verbis apparet) *adscendit ad sedem suam, et dicit* Tertiam. *Finita* Tertia, *residente Domino Papa induto usque ad Dalmaticam, Prior Episcoporum accedens ad eum recipit pacem ab eo, et redit ad locum suum. Deinde secundus Episcopus, qui rediens dat pacem Priori suo, et stat juxta eum in filo. Sic faciunt omnes Episcopi Cardinales Presbyteri. Postea Praefectus, Senatores, et omnes ordines. His peractis, surgunt duo Subdiaconi Basilicarii, et accipiunt Priorem Subdiaconorum religiosorum sustentantes, ac dextrantes eum ab* introitu Secretarii *usque* ad medium Secretarii *ante Pontificem, qui alta voce dicit* Jube domne benedicere. *Pontifex benedicit ei. Deinde parum producunt eum*, J. D. B, *et iterum benedicit. Progreditur ante, et dicit* J. D. B. *et iterum benedicit. Tunc ille Subdiaconus dicit tribus vicibus* Servi D. N. J. C., *qualibet vice vocem extaltando. Deinde statim subjungit*. Dominus N. Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis legat Evangelium. Dominus Joh. Domini Papae Subdiaconus, et Capellanus legat Epistolam. I. Primicerius, et ceteri cantores cantent. *Tunc surgens Dominus Pontifex a duobus Diaconibus sustentatus in processione progreditur, sicut mos est. Mappularii in introitu Ecclesiae, habent mappulam extensam, quam portant super caput ejus, usque ante Altare.*

Sed tandem, emenso e *Secretarii* vestibulo usque ad Altare itinere, quô Pontificem sacra facturum prosequuti sumus, ibidem nos etiam sistamus, et aliquantulum veluti conquiescamus, donec sacrum expleverit, ut deinde ad *Secretarium* redeunti rursus comitemur.

§. xII.

De reditu Pontificis in Secretarium, sacro absoluto.

Postquam Sacrificium absolutum erat, statim Diaconus Pontifici Mitram imponebat. Id a Cajetano adnotatum video, qui de *officio Capellani, qui debet servire de Mitra*, haec habet [1]. *Debet semper Pontifici deponere, et amovere Mitram, excepto quod, quando primo imponitur Mitra, Diaconus ipsam imponere debet, et ipse Diaconus debet amovere Mitram, quando Pontifex accesserit ad Altare, tam in principio Missae, quam post Evangelium, et quando Pontifex redit* cum Mitra ad Secretarium. Id autem nunc praestat Senior sacri Consilii xII. VV. lit. jud. Deinde ab Altari recedebat, ut in *Secretarium* reverteretur, hoc ordine. *Finita oratione, cui praeceperit Archidiaconus de Diaconibus, adspicit ad Pontificem, ut ei annuat, et dicit ad populum*, ite, missa est. *Resp.* Deo gratias. *Tunc* vII. *cereostata praecedunt Pontificem, et Subdiaconus regionarius cum turibulo ad* Secretarium. *Descendente autem illo in Presbyterium, Episcopi primum dicant* J. D. B. Benedicat nos Dominus. *Resp.* Amen. *Post Episcopos Presbyteri, deinde Monachi, deinde Schola, deinde Milites draconarii, idest qui signa portant, post eos Bajuli, post eos Cerostatarii, post quos Acolythi, qui rugam* (nempe januam regiam Cancellorum) *observant; post eos extra Presbyterium Cruces portantes, deinde Mansionarii juniores, et intrat in* Secretarium. Plane consonat finis Ord. II, etsi paullo contractior [2]. *Tunc* vII. *cereostata praecedunt Pontificem, et Subdiaconus cum turibulo ad* Secretarium. *Descendente autem illo in Presbyterium Episcopi primum dicunt.* J. D. B. *Resp.* Benedicat vos Dominus. Amen. *Post Epis-*

1 §. xIv. pag. 310. 2 Ordo II. pag. 51.

copos Presbyteri, deinde Monachi, deinde Schola, deinde omnes Processores, et Mansionarii, et intrat in Secretarium. Brevius etiam ita explicit Ordo III [1]. *Dicentibus autem Episcopis, sive Presbyteris, vel sequentibus Ordinibus*, J. D. B. *Resp. Pontifex*. Benedicat nos Dominus. Amen. *Praecedunt igitur Pontificem* VII. *Cereostata, et Subdiaconus Regionarius cum turibulo ad* Secretarium. Eadem ferme habet Ordo V, cujus haec sunt verba [2]. *Diebus vero sollemnibus, idest praecipuam festivitatem habentibus, peracta Missarum sollemnitate, procedente Pontifice, occurrat ei Cantor cum schola, et dicat*: J. D. B. *Respondeaturque a Pontifice* Benedicat nos Deus, *et tota schola alta dicat voce*, Amen. *Simili etiam ratione fiat, dum ingredi* Secretarium *debet*. Sic Willelmus Malmesburiensis [3] effatur. *Missa cantata, sicuti erat sacris vestibus indutus*, Secretarium *ingressus est*.

Quum autem nihil in his adjiciatur, de ritu spoliandi Pontificis in *Secretario*, id etiam a ceteris Ordinibus factum fuisse putavit Georgius [4], qui sibi persuasit, eorum Scriptores de hujusmodi re, utpote nimis vulgata, disserere, supervacaneum putasse. Verum extremam hanc quoque sacrorum rituum partem, quam fuse describunt Rituales Casinenses apud Martenium [5], qui de aliis etiam caeremoniis in *Secretario* obeundis pertractant, minime ab iis neglectam fuisse, inferius demonstrabimus. Non modo enim hujus, sed aliarum quoque caeremoniarum, quas hactenus illustravimus, descriptio, saepe etiam infra recurret. Verum, praeterquamquod ea fere semper non nihil novi secum afferet, ea suo quaeque loco disponere

1 num. 18. pag. 60.
2 num. 11. pag. 69.
3 in lib. 1. de gestis Pontificum.
4 T. III. Liturg. Rom. Pont. p. 218.
5 T. IV. de ant. Monachor. rit. p. 143. 144. 187. 270. 272. 276. 304. 412. 557.

ſatius duxi, quam una huc congerere, et cumulare, ut ita lectorum commodo magis conſulerem, qui ſeparatim ad oculum proſpicient, quidquid ad ſingula vocabula, quae ad utrumque *Secretarium majus*, et *minus* indicandum, fuerunt olim uſurpata, ſpectare videbitur.

§. XIII.

De ritu parandi Oblatas pro Sacrificio in Secretario.

Quae hactenus fuſe proſequuti ſumus, lucem affundunt Canoni Synodi Laodicenae, ubi praeſcribitur. *Non oportet Subdiaconos licentiam habere in* Secretarium, *quod Graeci* Diaconicum *appellant, ingredi, et contingere vaſa dominica*; itemque Canoni Synodi Arelatenſis II, qui jubet, *ut in* Secretario *Diacono inter Presbyteros ſedere non liceat, vel Corpus Chriſti, praeſente Praesbytero, tradere non praeſumant*. Ex iis enim aperte liquet, quam longe a vero aberraverint ii, qui eoſdem Canones de *majori Secretario* ſunt interpretati, quibus vel ipſis *Diaconis* in ejus penetralia acceſſum fuiſſe interdictum contendunt. Cur enim illuc acceſſum *Diaconi* non haberent, ſi cunctis ordinibus, qui varias ſollemnis pompae claſſes conflabant, qua Pontifex ſacra operaturus ad Altare procedebat, eô ingredi licebat, ut Pontificem ſalutarent, et ab eo pacem acciperent? Neque putandum eſt, Concilium Agathenſe, quum indixit, *quoniam non oportet inſacratos Miniſtros licentiam habere in* Secretarium, *quod Graeci* Diaconicon *appellant, ingredi, et contingere vaſa dominica*, Conciliorum Laodiceni, et Arelatenſis ſanctionem in Galliam Narbonenſem transferre voluiſſe de Subdiaconis removendis e *Secretariis majoribus* extra Eccleſiam, ut pa-

rum acute sibi persuasit Georgius [1], qui, de iis tantum, omnes eorumdem Conciliorum sanctiones accepit. Haec enim omnia in extrema parte nostri Syntagmatis, ad *Secretarium Bematis* omnino referenda esse declarabimus, ubi Diaconis, coram Episcopo, ac Presbyteris sedere non licebat, ac praeterea Subdiaconis vetitum erat contingere vasa dominica, dum Sacramenta continerent. Siquidem pervulgata sunt illa antiqui auctoris tractatus de VII. Ecclesiae Ordinibus, Hieronymo olim adscripti, *eget in Sede Presbyter, in Altari Levita, in Secretario Subdiaconus, in Lectione Lector, in Templo Ostiarius, quia Episcopus solus incubat divitiis, solus ministerio utitur, solus universa sibi vindicat, solus partes invadit alienas*; ubi luculenter *Secretarium*, ab *Altari* distinguitur, quô Presbyteris, ac Levitis dumtaxat, sacrificii tempore, patebat accessus. Quidni? quum in allatis Conciliorum locis munera explicantur, quibus omnes sacrorum Ministrorum ordines fungi debebant, dum circum Altare ad rem divinam consisterent?

Rursus, quis inficiari poterit, liberum sacris ministris aditum in *majora Secretaria* patuisse, quum ibidem parare sacris caeremoniis consueverint *Panem infermentatum*, qui Sacrificio inservire debebat? Atqui rem luculenter declarat Humbertus Cardinalis, Episcopus Sylvae Candidae, in libro adversus calumnias Michaelis Cerularii, Patriarchae Cpolitani, ubi tradit [2], *quod Diaconi cum Subdiaconis, seu ipsi Sacerdotes sacris amicti vestibus, cum melodia psalmorum conspersum* (*panem* scilicet *infermenta-*

1 de Lit. Rom. Pont. T. I. p. 63.

2 in T. III. Lect. antiq. Henr. Canisii ex edit. Jac. Basnagii, Amst. 1725. fol. P. I. pag. 277, et in Bibl. PP. Lugd. Tom. XVIII. pag. 389, et apud Martene de ant. Eccl. rit. pag. 321, Tom. I.

tum ad sacrificium) et in Secretario *paratum ex* Secretario *proferebant*, fortasse canistris vimineis, quae partem sacrae supellectilis in antiquiori Ecclesia conflasse arbitratus est Alex. Aurelius Pelliccia [1], exemplo S. Exuperii Episcopi Tolosani, qui non in ligneo, aut testaceo vase, quod facilius sibi comparare potuisset, sed [2] in *vimineo canistro Corpus Domini* portabat. Quod, quanta relligione a sacris ministris praestandum esset, mirifice docent Consuetudines Cluniacenses [3], nosque ipsi alibi opportunius ostendemus. Haec tamen interim, cum Mabillonio [4], Sarnellio [5] et Joh. Andrea Schmidio [6], hoc loco adnotare visum est.

§. XIII.
De uvis ad vinum sacrificale conficiendum, aliisque ad Sacrificii usum, ibidem servatis.

Quandoquidem omnes *Secretariorum* usus explanare aggressi sumus, ad minutiora etiam descendere minime pigeat. Ibidem *uvae mundae*, ac *selectae*, quae [7] manibus exprimendae, non pedibus conculcandae erant, ad vinum pro sacro conficiendum, testibus Francisco Alvarez [8], et Christ. Sonntag [9], in Ecclesia Aethiopica servabantur.

1 in Diss. de Eucharistia Infirmorum in T. III. de Christ. Eccl. Politia pag. 12.
2 S. Hieron. In epist. ad Rustic. Mon.
3 cap. LIII. de hostiis, quomodo fiant? pag. 249. In vet. Disc. Mon.
4 in Comment. pag. XLV, et in Observ. de obletis Eucharisticis in Praef. ad Acta SS. Bened. Sec. III. P. I. p. 35, et in diss. de oblat. pro sacrificii missis.
5 Onde avvenga, che nelle Sagra Scritture, non si dica tagliare, ma frangere il pane anche per la SS. Eucaristia? in Tom. III. Lit. Eccl. pag. 56. Della origine del pane bianco, e sottile per la SS. Euceristia. Tom. IX. pag. 61. Della figura del pene fermentato, che consagrano i Preti Greci. T. X. p. 161.
6 de oblatis Eucharisticis, quae hostiee vocari solent. Helmst. 1702, et 1713. 4.
7 in tractatu arabico ex Dionysio Barsalibi, et apud Renaudot. T. I. Comm. ad Liturg. Copt. S. Basilii pag. 193.
8 cap. XI.
9 de uvis Eucharisticis. Altdor. 1704. 4.

Vinum, quo celebratur missa, ita paratur; in Ecclesiis, et Monasteriis habent uvas passas, non plane siccas, quae in Secretario, *seu* Sacristia *asservantur*.

Quum vero in *Transfigurationis* Festo mos esset, non modo *uvas novellas* benedicendi, ut infra ostendemus, (unice ex Eutichiani P. [1], et Conc. Carthaginiensis [2] praescripto, praeter frumentum [3], inter fructuum primitias offerendas, utpote elementa *panis*, et *vini*, ex quibus Eucharistia sumenda erat), sed etiam vinum recens consecrandi, si forte adhuc idem non reperiebatur, tunc ex uvis e *Sacrario* deprompțis [4] parum musti in Calice exprimebant, ut hac caeremonia caelestis regni mysterium in *Christi Transfiguratione* indicatum significarent, de quo in ultima coena loquutus est, inquiens. *Amodo non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno Patris mei*.

Ibidem etiam *vinum sacrificale*, ut in Metropoli Salisburgensi [5] nuncupatur, servatum fuisse, constat ex libris gestorum S. Conwionis Abbatis [6]. Ibi enim legimus, barbaros nonnullos impetum facientes in Monasterium Rotonense, *intrasse in* Secretarium *Basilicae, bibisseque de* vino, *quod illic positum erat ad missas*, at postridie, miserando obitu, tanti flagitii poenas luisse. Id etiam manifeste evincit Agnelli liber Pontificalis, ubi haec narrantur [7]. *Conveniunt Presbyteri, Diacones .... in* Secretarium, *et dividunt inter se buccellam panis, et botulos singulos, cyathum*

1 Anastas. in ejus vita pag. 10.

2 Cod. Can. Afric. c. xxxvii. et Concil. Afric. c. iv. T. ii. Conc. p. 1068. 1643.

3 Pomp. Sarnelli della potestà, che si dà al Lettore di benedire il pane, e i frutti nuovi. in T. vi. Liter. Eccl. p. 32.

4 Durand. lib. vii. cap. xxii. et Macri in Hierolexico pag. 98, et 635.

5 Tom. iii. pag. 45.

6 Sec. iv. Bened. lib. iii. cap. viii. pag. L. et pag. 231.

7 apud Muratorium T. ii. p. 244.

Digitized by Google

vini. Quod item de ceteris ad sacrificii usum pertinentibus dicendum est; quemadmodum ex historia incendii Basilicae S. Martini a B. Alcuino Abbate restincto palam est, ubi traditur [1]. *Custos denique Sepulcri S. Martini, qui providebat ceram, et vestimenta omnia, quae ad ipsam Basilicam pertinebant, intrans cum candela accensa* Secretarium, *quo ista servabantur, infixit eam stipiti, quam, quum egrederetur, oblitus est accipere*. Sed de sacrarum Vestium, ac cimeliorum in *Secretariis* reponendorum usu uberius pertractabimus, ubi de *Vestiario* disseremus.

§. XIV.
De Piscina utriusque Secretarii.

Vtrumque *Secretarium*, tum *bematis* in Ecclesia, tum *majus* Ecclesiae conjunctum, *Piscinam* habuisse, vetera monumenta testantur. Hanc Graeci [2], θαλασσαν, vel χωνον, et medio aevo χωνειον *infundibulum* appellarunt, eamque ad Altaris basim [3] collocabant. Ibidem aqua effluebat, qua Sacerdos manus lavabat, priusquam rei divinae operaretur, ac cineres sacrorum utensilium, aut imaginum, quae vetustate consumpta comburebantur, relligiose deponebant.

Ceterum, etsi Seculo XIII. in nonnullis Ecclesiis Occidentalibus, adhuc prope Altare *Piscina*, ut refert Durandus [4], exstaret, tamen usque a IX. Seculo, alicubi *Piscinae* ab *Altari* remotae fuerant, ac in *Secretarium* translatae, ubi secus eamdem ad manus tergendas linteum pendebat [5], ut hodieque apud nos in usu esse

1 Sec. IV. Benedict. Par. I. c. XI. n. 22. p. 157.
2 apud Goarum in Euchol. de Alt. consecr.
3 Missale Got. Gall. ap. Mabill. de lit. Gallic. lib. III. tit. XII.
4 Ration. lib. I. c. I. num. 39.
5 Leon. IV. Orat. Synod. Tom. VIII. Coll. Concilior. et Ratherii epist. Synod. Spicil. Tom. II.

cernimus. Seculo vero xvI. *piscinae* usus prope Altare penitus exolevit, et usus invaluit collocandi in *Secretario* pensile vas, ex quo aqua ad manus lavandas efflueret.

Audi nunc Reginonem Abbatem Prumiensem sedulo curantem [1], *ut locus sit in* Secretario, *aut juxta Altare praeparatus, ubi aqua effundi possit, et vas ibi dependeat, ubi Sacerdos manus lavet, post perceptionem Corporis, et Sanguinis Domini, et Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus ibi primo Corporale lavet*. Eadem alibi [2] etiam monuit hujusmodi verbis. *In* Sacristiis, *sive* Secretariis, *aut juxta Altare majus sit locus aptus ad infundendum aquam ablutionis corporalium, et linteorum, vasorum, et aliarum rerum sacrarum, ac manuum, postquam S. Chrisma, aut oleum Catechumenorum, vel infirmorum tractaveritis. Ibique pendeat vas cum aqua munda pro lavandis manibus Sacerdotum, et aliorum, qui rem sanctam, et officium divinum sint peracturi, et prope linteum mundum ad illas abstergendum*. In his autem *Piscinam* indicavit, locum nempe, quô Sacerdotis sacrum facientis ablutiones injiciuntur [3]. Quae quidem cura, nemo est, qui non videat, quantum verae relligionis ministris conveniat, quum vel *Aedituos* fabulosorum numinum, quae in Templis vetustate erant facta inutilia, studiose reposuisse, et conservasse supra animadvertimus.

1 de Eccl. disciplinis, et relig. Christ. cum notis Steph. Balutii. Paris. 1671. 8. lib. I. pag. 22.

2 ibid. in append. actor. veter. pag. 608.

3 V. usus Ord. Cisterciensis. cap. xxI. et LIII. Statuta Synodalia Odonis Episc. Paris. c. ult. n. xxIV. xxvIII. Conc. Salmuriense an. MCCC. LIII. c. IIII. Synod. Bajocens. ann. MCCC. cap. xxI, et xxII. Conc. Rotomagens. pag. 228. Durandum l. I. ration. c. I. n. xxxIX. et Summulam Raymundi Ord. Praed. de lotione Calicis.

§. XV.

De uſu in Secretarii Veſtibulo Pontifices tumulandi.

Quum Romanorum Pontificum exuviae in *Secretariorum* veſtibulis reconderentur, paſſim de iis meminerunt Anaſtaſius, et Joh. Diaconus, qui ibidem *Leonem M.*, *Benedictum* I, *Gregorium M.*, ac quamplurimos alios Pontifices ſepultos fuiſſe tradiderunt. Sed quum id frequentius in Baſilicae Vaticanae *Secretariis* uſuveniſſe compertum ſit, iccirco ſequenti libro, copioſe de hoc uſu diſſeremus, quem heic modo tantum indicare oportebat.

§. XVI.

De Epiſcopi Domo Secretarium quandoque nuncupata.

Multiplex *Secretarii* ſignificatio, quae apud Scriptores medii, atque infimi aevi frequenter occurrit, incertam, atque obſcuram hujuſce vocis reddidit explicationem. Quamobrem nonnihil de ſingulis delibabimus, ut certa conſtet omnium ejuſdem vocis notionum interpretatio.

Ac primo *Secretarium Epiſcopi*, et *Epiſcopii*, quod in Actis Concilii Conſtantinopolitani [1] memoratum fuiſſe vidimus, Epiſcopi domum fortaſſe innuere potuit, quae Templi *Secretario* proxima erat, atque conjuncta, niſi *majus Secretarium* indicaſſe velimus. Quum enim ampla, ac ſpatioſa plerumque eſſent Baſilicarum *Secretaria*, iiſdem cubicula adhaerebant, ubi Antiſtites, et ſacri miniſtri degere ſolebant. Id porro Sulpitius Severus aperte declarat, qui in epiſtola ad Euſebium haec narrat de S. Martino [2]. *Quum ad Diaeceſim quamdam pro ſollemni conſuetudine, ſicut Epiſcopis viſitare Eccleſias ſuas moris eſt, me-*

1 pag. 193. 2 pag. 41.

dia fere hyeme Martinus venisset, mansionem ei in Secretario *Ecclesiae Clerici paraverunt, multumque ignem scabro jam, et pertenui pavimento subdiderunt, lectumque ei plurimo stramine exstruxerunt*. Quae quidem, ni fallor, mirifice illustrant alterum Sulpitii locum, quem Ducangius [1], Hieronymus de Prato [2], aliique *Secretario majori* tribuendum putarunt, quique dumtaxat de mansione prope *Secretarium* exstructa intelligendus videtur. *Praeteriens*, inquit [3], *Martinus in* Secretario *Ecclesiae habuit mansionem. Post discessum vero illius, cunctae in* Secretarium illius *Virgines irruerunt, adlambunt singula loca, ubi sederat vir beatus, aut steterat, stramentum etiam, in quo quieverat, partiuntur*.

Patuit igitur Virginibus Martini virtutem excolentibus in Aedes *Secretario* conjunctas accessus, ut suae pietati, ac studio possent satisfacere, ac lectuli a Clericis Martino parati stramen certatim auferre, quin haec de continenti *Secretario majori* accipiamus, quô semper, si unam, aut alteram caussam excipias infra declarandam, feminis praeclusus fuit ingressus. Itaque ad eumdem situm referenda sunt, quae latinis versibus cecinit Fortunatus de vita ejusdem Martini [4].

Mansio forte fuit Martino praetereunti,
Ecclesiae Domini qua Secretaria *pollent*.

Idem sentiendum certe est de iis, quae Anonymus tradidit in vita B. Simonis Comitis, et Monachi [5]. *Vbi vero moniale sumpsit indumentum, stratum suum in* Secretario *Eccl. ponens, nocte sub silenti, lectulo surgens, solus in oratorio orationi vacabat*.

1 in Gloss. et in descr. Aed. Sophianae n. 86.
2 in Observat. ad Sulpic. Sever. p. 369.
3 in lib. II.
4 in lib. II.
5 In additament. ad Guiberti Opp. ex edit. Dacherii. Paris. 1651. fol. p. 671. in Act. SS. Ord. Bened. Sec. VI. P. II. p. 370, et in T. VIII. Sept. Bolland. pag. 747. die XIX.

Habemus praeterea *Secretarium Monasterii* in fragmento historiae Comitum Capuae apud Camillum Peregrinum [1]. Sed quum *Monasterii* vocem pro *Templo* indicando usurpatam fuisse doceant Mabillonius, Ducangius, et Carpentierius, ibidem Templi *Secretarium* memoratum fuisse, facile credam.

§. XVII.

Cur Sepulcra, et reliquiarum conditoria Secretaria appellarentur?

Alio etiam sensu hujusmodi vox in historia miraculorum S. Germani Episc. Antissiodorensis ab Henrico monacho descripta occurrit, ubi legitur [2]. *Jam id, credo, provida divinitas praetendebat, quum inter cetera supra memorati operis instrumenta* Secretarium *quoque conditorii ejus, nec uni, nec soli tantummodo parabatur*. Heic autem recte monet Petrus Boschius, *Secretarii* nomine *Cryptas* intelligi, quas sub novo aedificio Conradus, tamquam *chorum subterraneum*, condiderat, ut ibi in posterum magna cum reverentia S. Germani corpus asservaretur. Praeterea insignis exstat locus apud S. Zenonem, ubi *Secretarium* pro *sepulcro* nominatum invenias hujusmodi verbis [3]. *Jesus Christus ad sepulcrum Lazari accessit; statim jussione ejus revolvuntur saxa*. Secretarium *patescit horroris*.

Item *Secretarii* vocabulum pro *theca reliquiarum*, seu feretro, in quo sacrae reliquiae reconduntur, quandoque usurpatum fuisse constat. Nam vel in hoc sensu eamdem vocem nobis exhibent Annales Benedictini, qui de miraculis S. Adalhardi haec literis consignarunt [4]. *Et*

1 in lib. I. pag. 125.

2 in Surii Vit. SS. d. 31. Jul. p. 184. in Labb. Bibl. mss. T. I. p. 531. in T. VII. Julii Boll. p. 278. et in T. III. Gloss. Carpentier. p. 743.

3 In append. Oper. edit. Ballerin. p. 299.

4 in Sec. IV. Part. I. p. 370. in Pasch. Ratberti Opp. et in Surii vitis SS. d. 2. Jan. pag. 38. in T. I. Jan. Bolland. pag. 95.

ne aliquis eorum dubius existeret S. Adalhardum esse relatum, reliquias ejusdem de Secretario, *ubi antea repositae fuerant, praesentare fecerunt. Quas quidem in conspectu populi adstantis extulerunt, ipsasque, ut credi decet, antiquo ebore lucidiores, visuque pro sui raritate delectabiles, conspectibus omnium adstantium cernendas praebuerunt. Postquam autem praesentia Sancti remota est ab illis omnis nubes dubitationis, eum honorifice reposuerunt in eodem scrinio, quod paullo ante velatum fuerat cum gaudio.* Quae quidem extrema verba superiorem *Secretarii* vocem pro *scrinio*, ubi Adalhardi reliquiae reconditae erant, adhibitam esse demonstrant; ac proinde erroris aperte coarguunt Dominicum Georgium [1], qui Gerardi Abbatis verba de *Secretario majori* accipiens, hujusmodi exemplo SS. Virorum exuvias ibidem reponi consuevisse sibi persuasit.

§. XVIII.
De ceteris Secretarii significationibus.

Sed, ut ceteras ejusdem vocis significationes expendamus, scias etiam pro penetrali, aut loco secreto apud Apulejum obversari, qui ait [2]. *Illi etiam ignes, qui terrae* Secretariis *continentur*; atque alibi [3]. *Avibus haec* Secretaria *utique magis congruerint merulis, et lusciniis, et oloribus.* Atque ad hujusmodi notionem referenda est vox *Secretalis*, ubi de S. Lupo Archiep. Lugdunensi narratur [4]. *Plebs itaque, Coetus, Clerusque universus .... Lupum requirunt ad Pastoris officia ordinandum, quem tota virtute renitentem, captum,* Secretalibusque *ereptum sedibus, domus Dei dignum praeordinavit dispensatorem.*

1 Tom. I. de Liturg. Rom. Pont. p. 65.
2 de mundo.
3 in floridis num. XVII. ad finem.
4 Maceriae Insulae Barbarae T. I. p. 25.

§. XIX.

De Secretania, et Secretaria.

Denique hujusmodi vox in *Secretaniam*, quandoque degeneravit, quemadmodum testatur charta Falconis de Jaligniaco [1] inquiens. *Quartam partem Ecclesiae absque calumnia insuper dedi, et cum* Secretania, *et omnibus appendiciis*. Statuta vero Lanfranci pro Ord. S. Benedicti ita [2] *Secretariam* obtrudunt; *qui accipientes a* Secretario *vestimenta, extra* Secretariam *se induant*; atque alibi [3]. *Incepta litania, fratres accedant ad formas, sicut in* XII. *lectione ad tertiam, Sacerdos revertatur in* Secretariam, *et deposita casula, et stola, redeat in chorum*. Atque item Bernardus Monachus in Ordine Cluniacensi [4] ait. *Tunc etiam conventu in refectorium progrediente, ille paullulum restat, ut conchas, et linteamina, quorum usus est ad Mandatum, in* Secretariam *reponat*; atque alio loco [5]. *Debet etiam in hac* Secretariam *totam circuire, ne aliquis* Secretariorum *non audito signo nondum surrexerit. Similiter in nocturno secundo, circa medium noctis, circuit Altaria, et angulos, sed non vadit in* Secretariam: *non enim vadit ad hanc circam in* Secretariam, *aut in Navem Ecclesiae* . . . . . . *Interim autem Prior accensa in* sconsa *candela, circuit totum claustrum, intrans cellam eleemosinariam, cellam Novitiorum, Infirmariam*, Secretariam, *Ecclesiam*. Crebra hujus *sconsae* fit mentio in Ordinibus Monasticis, ejusque usus adhuc retinetur a Pontifice, quoties vel sacro adstat, seu rem divinam facit. Nam ab *Episcopis*, quos vocant, *Solio assistentibus* custoditur, qui ex ea ceream candelam accendunt,

1 ann. MLVI.
2 T. IV. Martene p. 498.
3 Ib. p. 411.
4 c. LI. p. 247. de majori Sacrista Eccl.
5 Part. I. cap. III. pag. 142.

qua utitur argenteae, vel aureae *scotulae*, aut *palmatoriae* loco, quoties sacras preces legere, aut canere debet, quod, ut placet Durando, et Macro, *lumen Papae non indiget substentaculo*. Verum nihil de eadem apud Georgium.

§. XX.

Carcer Cella Secretaria quandoque dictus.

Quid? quod locus a ceteris universae domus partibus secretus, ac pro *carcere* habitus, *Cella Secretaria* fuit nuncupatus? En tibi [1] verba Actorum Firmi, et Rustici MM. *Suscepit Cambarius intra domum suam, et misit eos in Secretariam Cellam, in qua nimirum retrusi sunt*. Recte igitur Guillelmus Cuperus [2] heic *carcerem* indicari animadvertit, quem pro Clericis puniendis *Secretariis* adjunctum fuisse demonstrabimus, quum de *Decanicis* disserendum erit.

§. XXI.

De munere Secretarii apud Monachos, et Secretariae apud Moniales.

Postquam, non modo *Seretariorum* numerum, situm, atque usus, sed etiam singulas ejusdem vocabuli significationes diligenter expendimus, liceat, coronidis loco, nonnulla de *Secretarii* munere in medium proferre. Idque eo lubentius faciam, quod nihil de eodem apud Salmasium [3] invenerim, qui omnes *Secretarii* significationes explanare professus erat; ac ipse Dominicus Georgius [4], qui varia *sacri ministerii Praefectorum nomina* enumeravit, ne verbum quidem de eo fecerit.

1 in Passione SS. Firmi, et Rustici ex duobus codd. mss. cum notis Scipionis Maffeii. in ejusdem Histor. diplomatica. Mantuae 1717. 4. pag. 301. et in T. III. Gloss. Carpentier. pag. 743.

2 in Actis SS. Firmi, et Rustici ex ms. cum comment. praevio, et notis. in T. II. Augusti Bolland. pag. 419.

3 de Secretariis T. II. Thes. Salleng.

4 in T. I. Liturg. Rom. Pont. p. XXXVIII.

Secretarius itaque dicebatur, qui *Secretarii* Basilicae curam habebat. Iccirco in actis SS. Ord. S. Benedicti [1] *Secretarius, Aedituus sacer*, et apud Eadmerum *Custos Ecclesiae* nuncupatur. Ait enim in vita S. Anselmi Archiep. Cantuariensis [2]. *Riculphus* Secretarii, *idest Custodis officio in ipso Coenobio fungebatur*; quibus consonat relatio miraculorum S. Dunstani Archiepisc. Cantuariensis, ubi de quodam Eadwardo memoriae traditum est, quod [3] *novo conversionis suae tempore relligiosae vitae in suis moribus indicia praeferens, post annum, quo Monachus factus est*, Secretarii *officio functus est*. Idem constat ex vita S. Neoti Abb. Angli, ubi legimus [4]. *Adfuit persona quaedam, cui sedula reverentiae debebatur exhibitio, pulsans instanter ad ostium, ut ei panderetur ingressus. Neotus autem Dei servus accelerans, qui tunc, ut dictum est*, Secretarii *fungebatur officio, ut pulsanti celeriter aperiret, summopere nitebatur, nec ad seram in sublimi erectam pro staturae brevitate attingere poterat*.

Quales vero essent ejus muneris partes, a Lanfranco in Statutis pro Ordine S. Benedicti colligimus [5]. *Ad* Secretarii *officium pertinet omnia ornamenta Monasterii, et omnia instrumenta, et supellectilem, et quae ad ipsum Monasterium pertinent, custodire*. Alia etiam discimus ex Guidone, qui in disciplina Farfensi haec jubet [6]. *Sonet squillam Custos Ecclesiae. Pueri exeant, lavent manus, atque in Ecclesiam pergant. Tum* Secretarius *denuo pulset signum, quousque veniant facere orationem*. Hujusmodi cura ei commissa videtur vel in Ordine Cluniacensi, ubi Bernardus

1 in Tom. III. pag. 461.

2 in l. I. c. XX. in Surii vitis SS. ad 21. April. p. 207, et in Eadmeri Opp. una cum S. Anselmi Opp. Paris. 1721. fol. p. 1. in T. II. April. Bolland. p. 856.

3 in T. VII. act. SS. Ord. S. Bened. p. 693.

4 in Tom. VI. Act. SS. Ord. S. Bened. pag. 340.

5 cap. II.

6 lib. I. cap. XVIII.

Digitized by Google

ait [1]. *Hebdomadarius primo postquam horologium cecidit, et Vicarius* Secretarii, *qui horologium temperat, pulsare inceperit, ad Nocturnos pulsat scillam, et tamdiu, usque dum in pavimentum pueri ante altare veniant.* Atque alibi clarius in eodem Ordine [2]. Secretarius, *qui horologium temperat, post Completorium cum absconsa illico pergat, et postquam horologium ceciderit, antequam pulset scillam ad matutinos, et etiam in die, ut secundum, quod ibi deprehendere poterit, sic temperet, et provideat, ne de servitio Dei, propter obitum fratris, negligentia eveniat.*

Praeterea consuetudines S. Benigni Divionensis, novitiorum disciplinam, probationis tempore declarantes, inquiunt [3]. *Pertinet etiam ipsis, si* Secretarius *eos submonuerit, eligere frumentum multum diligenter, unde fiant hostiae, et hoc faciunt, dum fratres sunt in Capitulo.* Huc faciunt, quae legimus apud Mabillonium [4]. *Erat enim quidam famulus in Infirmaria, qui debilibus, et infirmis ad serviendum deputatus erat: cui quum* Secretarius *Ecclesiae praecepisset, ut aquam deferret ad abluendas manus Sacerdotum, continuo aquam de puteo detulit, et in loco, ubi poni solebat, reposuit.* Nec sejungenda sunt, quae occurrunt in vita S. Berthae Abb. Blangiacensis [5]. *Quadam die quum Sacerdos Missam cantaturus, jam revestitus esset, et* Secretarius *vinum ad Missam cantandam deferre debuisset, vas vinarium petiit, nihilque vini in vase reperiens expavit, magistrum vocavit, quod acciderat, intimavit.* Alterum ejus officium ita describunt usus Beccenses [6]. *Quum aliquis puer offertur ad Sacrum Ordinem. Post Evangelium ad mis-*

1 c. LII. de Hebdom. Sacrista p. 247. In vet. disciplina monastica, seu collect. Auctor. Ord. S. Benedicti. Paris. 1726. 4.
2 ibid. pag. 716.
3 ibid. pag. 635.
4 T. II. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 639.
5 in T. III. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 436.
6 ibid. pag. 659.

sam adducant eum parentes ante altare. Postquam autem obtulerit Cantor, sicut est consuetudo, offerat et puer. Quo facto recipiat Secretarius *offertorium, et parentes accedant, et involvant manum dextram pueri in palla altaris, et ita involutam osculando tradant manibus Sacerdotis, qui recipiat eum, faciens signaculum Crucis super caput ejus.* Ad eum cura spectabat afferendi sal pro aqua in omni Dominica benedicenda, ut patet ex libro consuetudinum Cluniacensium, ubi traditur [1]. *Reddit infanti scutellam argenteam, sale vacuatam; Magister vero ejus, postquam in chorum redierint, reddit eam* Secretario, *cujus est consuetudinaliter sal, quod benedicitur, afferre.* Hanc aquae benedictionem, absolute *benedictionem salis* vocat Hildebertus, et ad castitatem servandam commendat [2].

Item in ordinationibus Sacerdotum, quas continet ordo Syrorum Nestorianorum, haec occurrunt [3]. *Si adsint mysteria, orant ante thronum Domini, et incipiunt canticum* Secretarii, *et egrediuntur in Templum, Cruxque eos comitatur cum luminaribus, et ture.* Praeterea haec exhibet Ordo ex vetusto rituali Monasterii S. Eligii Noviomensis [4]. *Quando itur ad communicandum infirmum fratrem* Secretarius *praeparat Crucem, Candelabra, et aquam benedictam.* Quae quidem alter Ordo ad infirmum ungendum ita confirmat [5]. Secretarius *praeparet urceolum cum aqua benedicta, et Crucem, et duo candelabra, et ampullam cum oleo sancto.* Sic in Statutis Lanfranci, ubi *de aegro-*

1 ibid. p. 665.

2 l. 1. epist. xxiiI. p. 34. V. Gretserum l. 1I. de benedictionibus c. iv. Menardum pag. 95. ad Gregorii M. Sacramentarium. Tiraquellum de nobilitate p. 484. Joh. de Turrecremata de efficac. aquae benedictae contra Petrum Anglicum. Romae 1524, et 1559. 8. M. Ant. Marsilii Hydragiologiam, Romae, et Venet. 1603. 1605. 4. Eman. de Azevedo in Exerc. xxxiI. de Aqua Sancta, seu benedicta. p. 919. de div. Officiis. Ven. 1783. fol.

3 T. 1I. de ant. eccl. rit. apud Mert. p. 310.

4 ibid. p. 1101.

5 ib. p. 692.

tantibus morti proximis [1], Secretarius *cum oleo* occurrit, et liber usuum Beccensium exponens, *quomodo visitetur infirmus* [2], inquit, *Secretarius debet oleum praeparare*.

Jam vero, quae statis anni diebus *Secretarius* praestaret, inspiciamus. Ac primo, ubi Ord. Carnotense S. Johannis sollemnem animarum defunctorum commendationem describit, haec legimus [3]. Secretarius *offert Domino Abbati non revestito existenti in gradu suo stolam, et virgam pastoralem, et deinde singulis Sacerdotibus stantibus in medio choro, singulas stolas dividit. Redeunte vero hebdomadario in choro stat prae omnibus ante Altare. Hoc facto sonat* Secretarius *majus signum tribus vicibus*. In festo Purificationis B. M. Virginis [4], *postquam Cantor Abbati candelam accensam obtulerat* .... Secratarius *suo adjutus solatio, et quibus a Priore jussum fuerit, reliquas candelas Monachis, et Novitiis, Conversis, laicis, familiae etiam, atque hospitibus, si fuerint, distribuebat*; et in libro usuum Beccensium [5], et in consuetudinibus Lyrensibus [6], *a* Secretariis *candelas divisas* fuisse legimus.

Praeterea apud utrosque singularis vigebat usus [7]. *Dicto* Ite missa est, *vel* Benedicamus, *accipiat* Secretarius *Cereum, et ponat super candelabrum ante Altare, et non extinguatur post Missam, sed post Completorium, ut ardeat tota die*. Feria IV. in *capite jejunii*, verba sunt Ordinarii Canonicorum Regularium S. Johannis Carnotensis [8], *hora nona appropinquante, sonat* Secretarius *majus signum. Et absoluta cinerum inspersione*, Secretarius *affert tria phi-*

1 ibid. p. 693.
2 ibid. p. 696.
3 ibid. pag. 603.
4 ex lib. usuum Cisterciens. c. 47, et in Ordin. S. Petri supra Divam.
5 T. IV. Marten. de Antiq. Monach. rit. pag. 303.
6 ibid. pag. 304.
7 ibid. pag. 305.
8 ibid. T. III. pag. 156. 157. 158.

lacteria cum sericis ligaminibus Ministris hebdomadariis, Presbytero scilicet, Diacono, et Subdiacono in medio chori stantibus, et pendet singula ad colla singulorum. His ordinatis procedit processio . . . . dum vero in reditu finitur Letania, a Secretario *Nona pulsatur; quibus finitis statim cantatur post Nonam Missa*. Verum apud Cistercienses [1], *Abbas accepta a* Secretario *stola, et pastorali virga in Presbyterio, verso vultu ad aquilonem, cineres benedicebat*. Quum autem, Dominica prima Quadragesimae, in more positum esset, ut post Completorium velum extenderetur ad Sanctuarium; quo Altare, et Sacerdos rem divinam agens, una cum Ministris ei inservientibus, toto quadragesimali tempore abscondebantur, haec liber usuum Beccensium praescribit [2]. *Dominica post Completam debet* Secretarius *tendere Cortinam inter chorum, et Altare, et Crucifixum cooperire*. Praeterea feria II, ante Tertiam, imagines, aliaque Ecclesiae ornamenta velabant, ut liquet ex hoc altero ejusdem libri usuum Beccensium loco [3]. *Ante Tertiam* Secretarius *Altaria cooperiat, et Crucem, et Coronas, et Capsas, quae sunt super Altaria*.

Singulares vero ritus eidem impositos fuisse constat in majori hebdomada. Nam de Dominica Palmarum haec tradunt consuetudines Lyrenses [4]. Secretarius *habeat analogium praeparatum ante Altare, palmis, et frondibus jam coram positis*. His ferme similia profert liber usuum Cisterciensium [5]. *Secretarius analogium, quod ipse ante tertiam collocavit in Capitulo, cum textu Evangeliorum, et stola, ad locum, ubi Diaconus Evangelium lecturus est, deferat, hoc est ante ostium Ecclesiae*. Quum vero hac eadem die Corpus

1 cap. XIII. et apud Marten. pag. 306.
2 ibid. pag. 318.
3 ib. p. 319.
4 apud Martene Tom. IV. pag. 341.
5 ibid. pag. 345.

Domini sollemni pompa deferrent, haec discimus ex libro usuum Beccensium [1]. *Summo mane* Secretarius *debet feretrum mittere per fratres cum lumine ad locum, ubi processio debet ire, in quo debet honeste reponi Corpus Domini cum reliquiis.*

Quod vero spectat ad ritus in *Coena Domini* servandos, Kalendarium MSS. Ecclesiae Cameracensis, ubi de eadem Feria v. ante matutinum disserit, *post altare*, inquit [2], *per tres noctes in Herpica* XXIV. *luminaria accenduntur .... ad singulos psalmos extinguitur una Candela in Herpica a* Secretario. Absolutis vero matutinis, apud veteres monachos nullus fragor edebatur, ut modo in usu est; sed tantum Abbas, vel Prior facto strepitu super formas, fratribus dabat signum licentiae exeundi, et dormitorium repetendi, ut patet ex Statutis Lanfranci, quae ita habent [3]. *Signo facto ab Abbate, vel Priore .....* Secretarius *accendat lumen ante Altare, unde juvenes Lanternas suas accendant. His ita peractis revertuntur omnes ad lectos suos.* Rem ita confirmat vetus Ordinarium Corbejense [4]. *Signo facto per sonitum a Domino Abbate, vel Priore consurgunt, et lanternis cum lumine apportatis per Magistrum puerorum, et aliis luminaribus per* Secretarios, *donec Conventus possit exire, eunt dormitum.* Ad offertorium tot apponebantur hostiae consecrandae, quot fratribus, hac die, ac insequenti, caelesti pane reficiendis sufficerent. Ait enim liber consuetudinum S. Benigni [5]. *Dum offerenda cantatur, accedit ad Altare Armarius, ut provideat de hostiis ministratis a* Secretario, *et ponat ad consecrandum, quantum necesse fuerit fratribus ipsa die, et in crastino.*

1 ibid. pag. 345.
2 fol. 38. 8. et in Tom. II. Glossar. Carpentier. pag. 746.
3 ibid. pag. 355.
4 ibid.
5 ibid. pag. 366.

Alterum hujus diei ritum de Eucharistia post sacrificium recondenda, sic explicat liber usuum Beccensium [1]. *Ferat Diaconus hostias consecratas, corporalibus involutas, prius a Sacerdote incensatas in locum constitutum, Conversis praecedentibus, et turibulo, et candelabris; quas dum levant, flectant omnes genua, quumque deposuerit, offerat incensum,* Secretarius *extendat desuper pallium, et coram accendat Cereum, qui jugiter ardeat ibi usque ad Laudes*; ac disertius etiam in alio Codice. Secretarius *extendat pallium super Corpus Domini, et Cereum coram accendat, qui jugiter ardeat usque ad tenebras, quando omnia luminaria extinguuntur*. Nam veteres Monachi pro Eucharistia reservanda fieri vetarunt [2], *more secularium monumenta, vel alios apparatus monasticae solitudini non convenientes*. Porro Cisterciensium ritus erat hujusmodi [3]. *Corpus Domini de vasculo supra Altare sumatur, et super patenam illa hora sumendum ponatur, linteum etiam, mox de eodem vasculo auferatur, aliudque illa hora a* Sacrista *praesentatum in eodem ponatur, illoque mutato ab eodem* Secretario, *Abbas, vel qui cantat Missam, partem Sacrae Communionis in crastinum servandam in vasculo ante notato honorifice recondat. Missa celeriter peracta*, inquit Ordinarium Corbejense [4], *statim, ut mos est in hujusmodi sollemnitatibus, duae scillae pulsantur ad vesperos . . . . fit oratio, et tunc demum discooperitur Altare. Domnus Abbas, si vult, non divestitur, sed indutus cappa venit ad vesperos, et sedes ejus cortinis lineis a* Secretariis *propter cappam ornatur*.

De Vesperis, quae post *Mandatum* concinebantur, haec produnt Consuetudines S. Benigni Divionensis [5].

1 ibid. pag. 369.
2 in Ord. Cartus. c. XLIX. num. 6.
3 in lib. usuum cap. xxI.
4 ib. p. 414.
5 apud Martene p. 376.

Secretarius autem postquam pedes pauperum viderit ablutos, in claustro coram ostio Ecclesiae ad vesperas tabulam percutit, videlicet tot vicibus, quot solent signa ad vesperos pulsari . . . . . plures tabulae ad hoc provisae a Decano, et emptae a Secretario, *a Custodibus Ecclesiae, et aliis conversis, vice signorum, ad classicum percutiuntur eodem modo, quo solent signa pulsari*. Post vesperas statim fiebat refectio, quam describunt consuetudines S. Benigni, haec adjicientes. *Eodem modo facit* Secretarius *cum tabulis omnia, quae cum signis solent fieri, etiam post prandium, et sextam, et Prior ad Capitulum, et post Completorium. Dum Conventus in refectorio ad prandium progreditur, remorantes* Secretarii *altaria cuncta discooperiunt*. Quae quidem Altarium denudatio a *Secretariis* peragenda memoratur in Statutis Lanfranci, in veteri Ordinario Corbejensi, et in libro usuum Beccensium [1]. Hunc eumdem ritum exhibet disciplina Farfensis. Nam, ubi refert Guido, *qualiter agatur in Coena Domini* [2], haec *Secretario*, ejusque sociis indicit. *Euntibus senioribus ad refectorium*, Secretarii *discooperiant Altaria*. Ac paucis interpositis: *sonetque* Secretarius *cum licentia tabulam*. Sic antiqui ritus Romani Monasterii S. Paulli, via Ostiensi, de eadem die haec habent [3]. *Signa sonet* Secretarius, *sicut solitus est . . . . .* Secretarius *perticam portare debet in hac die . . . . . euntibus Senioribus refectorium*, Secretarii *discooperiant Altaria*.

Atque, ut ceteras caeremonias majoris hebdomadae persequamur, ubi exponit Guido, *qualiter agatur in Parasceven*, haec subnectit [4]. Secretarii *praeparent se, et lavent Altaria in primis aqua, et postmodum de vino*. His

1 ibid. pag. 378.
2 cap. II. pag. 43.
3 T. III. de ant. Eccl. rit. apud Martene p. 348. 349.
4 cap. III. pag. 115.

Digitized by Google

consonant consuetudines Lyrenses, quae praescripserunt, ut dum fratres reficiant [1], Secretarius *abluat omnia Altaria prius aqua, et post vino, cum hysopo, vel buxo, capsae, et coronae discooperiantur, et monasterium paretur*. Hujusmodi ritus vetustissimus [2] hodieque obtinet in Basilica Vaticana, ubi feria v. in Coena Domini omnis Ordo illius Cleri, sanctissimis caeremoniis, denudatam principis Altaris mensam, ex integro lapide candidissimo graeci marmoris in Foro Nervae olim exstante constructam, lavat, trina vini effusione.

De Crucis adoratione haec tradit liber usuum Beccensium [3]. *Expletis orationibus, Sacerdos discalciatus cum Diacono revertatur in Chorum in albis, eantque duo fratres, qui secundum tractum cantaverunt, Conversis praecedentibus cum candelabris, et turibulo, ad locum, ubi Crux a* Secretario *debet esse praeparata, et pallio cooperta*. Antiqui ritus Ecclesiae Suessionensis post Crucis adorationem feria vI. Parasceves inquiunt [4]. *Deinde veniens* Secretarius *cooperiat Altare mundissimo linteo*.

Caeremonias in Sabbato Sancto obeundas ita enarrant Statuta Lanfranci [5]. *Procedunt ad sacrandum ignem canentes psalmum L. Primus omnium* Secretarius, *qui hastam portat, in qua sacrum ignem reportet . . . . tunc accendatur Cereus, quem portare in hasta debet* Secretarius. De hoc eodem ritu loquitur Ordinarium Casinense, ubi ait. *De hoc igne sta-*

1 ibid. pag. 405.

2 Praeter Joh. Episc. Abrinc. de offic. Eccl. pag. 42. 43. librum Sacramentar. Gregor. p. 88. Menard. in not. ccxcvII. Hierurgiam Bernardi Bissi Mon. Cassin. ad vocem *Altare*, Marteniurn, et Orlandium de duplici lavacro, confer Suaresium de ritu annuae ablutionis Arae maximae Basilicae S. Petri. Rom. 1676. et 1702. et Joh. Christophor. Battellum in libro, cui tit.; Ritus annuae ablutionis Altaris majoris Sacros. Bas. Vatic. in die Coenae Domini explicatus. Romae 1702.8.

3 ibid. pag. 397.

4 ibid. pag. 390.

5 ibid. p. 460.

tim ut excussus, et benedictus fuerit, lampas una servetur in Secretario *ad illuminandum Cereum, qui Sabbato benedicendus est.*

Quanta vero pietate Resurrectionis Dominicae sollemnitatem veteres Monachi celebrarent, demonstrant Fontanellenses consuetudines decernentes [1], *ut hac nocte ante vigilias* Secretarius, *convocatis ex majoribus fratribus sex, vel octo, induatur albis, et levent Crucifixum de sepulcro, et ponant eum in loco suo, cantantes suppressa voce,* Christus resurrexit.

Praeterea Guido in capite v. disciplinae Farfensis *mores Paschales sic observetis ovantes* inscripto, inter cetera haec habet [2]. Secretarii *cooperiant Altare ex duobus palleis, et album, et tunc donent cappas, quae in choro debent esse ad armarium. Et tunc incipiat ipse* Secretarius *distribuere per singulos alios, etiam ad Conversos, ad infantes tunicas.* Haec eadem in *vigilia S. Paulli* ab eo praestanda ita describit [3]. *Tum* Secretarius *denuo pulset signum, quousque veniant facere orationem .... tunc personantibus cunctis signis, det* Secretarius *omnibus fratribus cappas, pueris tunicas.* Simile est, quod leges [4] apud Bernardum in Ord. Cluniacensi. Secretarius *magister dat pueris tunicas in festis, quae fiunt in Cappis.*

Neque omittendum est, quandoquidem ad aliorum etiam festorum caeremonias explicandas devenimus, quod refert antiquum Ordinarium Corbejense [5]. Secretarius *in ipso die Pentecostes pascit de pane, et vino, et carne tot pauperes, quot fratres fuerint in monasterio.* Item memorandus est ritus adorandae Crucis in festo Exaltationis, descriptus in

1 ibid. pag. 415.
2 pag. 47.
3 c. xvii. p. 62.
4 part. 1. c. xvi. et ap. Marten. T. iv. p. 665.
5 ibid. pag. 461.

libro usuum Beccensium: qua de caussa [1] *Secretarius debebat sternere tapete ante Altare*, ubi Crux deponenda erat.

Singularis est etiam ritus sollemnis uvarum novarum, quas Nazianzenus [2] *primitias torcularis* appellat, benedictionis in festo Transfigurationis Domini, de quo alia jam superius [3] attulimus. Hunc ita describit antiquum Ordinarium Corbejense [4]. *In hac festivitate benedicuntur uvae, quae primum lavantur diligenter a Custode Ecclesiae; et in scipho ponuntur argenteo. Ad horam postmodum benedictionis, antequam scilicet dicatur ad missam*, per quem haec omnia Domine semper bona creas, *sumuntur ab Armario, et Altari cum reverentia applicantur. Benedictio vero ita silenter dicitur, ut nec a Diacono, vel Armario audiatur. Benedictione peracta, Armarius uvas ab Altari reportat, et* Sectetario *reddit*.

Alia etiam ejus munera in Ord. Cluniacensi ita indicantur [5]. *Si Abbas fuerit hebdomadarius, revestiatur, et unus ex fratribus, cui* Secretarius *annuerit* .... et paullo infra, *ad Tertiam, sive Sextam, vel Nonam tamdiu teneat* Secretarius *secundum signum, quousque Abbas veniat in chorum .... ad* Secretarium *non pertinet de missa hospitum ... pueri ad missam matutinalem, quae cantatur ad S. Crucem non pergant ibi ad serviendum Sacerdotem, sed* Secretarii *administrent illi, quidquid cöngruum est cum Levita*; ac denique [6]. *Armarius, atque* Secretarius *praeparent se processionariis ornamentis*.

Verum praeter haec peculiare caput de *Secretariis* inscripsit, quod sic exorditur [7]. Secretarii *namque lavent omni quarta feria Calices, et die Sabbatorum valde mane, om-*

1 ibid. pag. 584.
2 in epist. LXXX.
3 pag. 242.
4 T. iv. Martene p. 584.
5 cap. xvI. pag. 99.
6 c. xxIII.
7 c. XLIX. p. 118.

nique tempore, et cotidie perfundant ante missam una hora. Eadem, quae Guido *in disciplina Farfensi a Secretario* statuit peragenda, Bernardus in *Ordine Cluniacensi* sancienda curavit, quorum nonnulla, licet jam supra [1] attigimus, tamen et iis adjiciendum est, quod scripsit de Priore Claustrali [2]. *Incipit Prior circam, accepta in Monasterio sconsa cum Candela accensa, et posita, ubi mos est, a* Secretario; et alibi [3]. *Venientes in coquinam ignem accendunt; Candelas duas, aut unam a* Secretario *datas illuminant*. Praeterea consuetudines S. Benigni Divionensis, quid a *Secretario* sollemnioribus anni diebus praestandum esset, ita declarant [4]. *Post Completorium* Secretarius *portat incensum, aquam benedictam cum lucerna per omnes officinas, prius tamen in dormitorium, ut tutamen sit omnibus in ipsa nocte*.

Hujusmodi munus magni habitum fuisse constat. Nam Withlasius Merciorum Rex anno DCCCXXX. in charta donationis inquit [5]. *Offero* Secretario *dicti Monasterii .... clamidem coccineam, qua indutus eram in coronatione mea, ad capiam inde, vel casulam faciendam*. Verum ne singula persequar, vide Gervasium Dorobernensem in usibus Cisterciensibus antiquis [6], vitas Abbatum Sancti Albani [7], miracula S. Aigulfi [8], ac praesertim Martenium de *antiquis Monachorum ritibus*, ubi crebram *Secretarii*, ejusque munerum mentionem offendes [9].

Quod tamen heic praetermittendum minime est, vel inter Sanctimoniales, quae *Secretario* praeerat, *Secre-*

1 pag. 70.
2 cap. III. pag. 143.
3 Ord. Clun. pag. I. cap. XLVI.
4 apud Martene Tom. IV. pag. 509.
5 apud Ingulphum pag. 857. et in T. I. Carpentier pag. 787.
6 ann. MCXLIX. cap. IV. XIII. XVII. XXI. XLVII.
7 p. 36. 42. 65.
8 cap. III.
9 Tom. IV. de ant. Eccl. rit. p. 128. 348. 438. 445. 491. 492. 498. 499. 733. 738. 743. 777. 801. 813.

Digitized by Google

tariam dictam fuisse probant Primordia Calmosiacensis Monasterii apud Martenium [1]. *Pro tribus quarteriis terrae .... quae ad* Secretariam *Romaricensis Ecclesiae pertinebant, quam nos proprie Custodem Ecclesiae vocamus*. Demum alio sensu a Petro Cantore Diaconos, *Altaris* Secretarios dictos fuisse comperi, ubi scriptum reliquit [2]. *Experire, utrum ministrum idoneum elegeris, cui commisisti Sanguinis consecrationem, non ad conficiendum, sed ad assistendum, qui sicut* Secretarius *Altaris, particeps est confectionis Eucharistiae*.

CAPVT III.

De Sacrario.

Etsi multa, ut operis decursu planum fiet, fuerint nomina, quibus Christiani veteres utrumque *Secretarium majus*, et *minus* indigitarunt, frequentius tamen prae iis, non modo in Rom. Ordinibus, et vetustioribus Sacramentariis Gelasiano, et Gregoriano, sed etiam apud ferme omnes rerum ecclesiasticarum Scriptores, *Sacrarium* appellatur. Et sane, quaenam, post primigeniam illam *Secretarii* denominationem, sanctior, atque augustior fingi, aut excogitari poterat appellatio, ad loci relligionem indicandam? Verum, quum hujusmodi nomen quamplures, longeque inter se diversas significationes habuerit apud Christianos, pari modo, quo apud Ethnicos fuisse vidimus, iccirco earum singulas expendamus, oportet, ut unam ab altera diligenter secernamus.

1 in T. III. Anecdot. col. 1187.

2 lib. ms. de verbo mirifico cap. XLI. apud Menard. in not. et observation. Sacram. Gregor. pag. 287.

Digitized by Google

§. 1.

Sacrarii vocabulum ad Christianorum Templa generatim indicanda usurpatum.

Ac primo multa sese nobis offerunt exempla, quae ecclesiasticos Scriptores *Sacrarium* generatim pro *Templo* sumpsisse testantur. Nam sacras Christianorum aedes Salvianus [1] *Sacraria Dei* appellavit, et Ammianus [2] quemdam, qui ad Templum confugerat, *ad ritus Christiani* Sacrarium *confugisse* dixit. Sic inquit Chrysologus [3], *inter* Sacraria *nativitas sacra procuratur*. Hinc S. Joh. Eleemosinarius, ut narrat Anastasius in ejus vita [4], *loqui in* Sacrario *omnino non permittebat, sed in conspectu omnium foras mittebat eum, dicens, siquidem, ut orares, huc venisti*. Tanta enim relligione, ac cultu prosequebantur sacras aedes, ut earum ingressum interdicerent iis, qui nocturnam pollutionem passi essent, quosque dumtaxat in *majora Secretaria* penetrare sinebant. Testem profero regulam S. Isidori, quae ita cavet [5]. *Qui nocturno delusus phantasmate fuerit, tempore officii in Sacrario stabit, nec audebit eadem die Ecclesiam introire, antequam sit lotus et aquis, et lacrymis*. Id quoque indicat veterem Christianorum usum [6], abluendi manus prope Templorum vestibula, ubi fontes exstruebant, quos etiam *cantharos, conchas, nymphaea, phialas* appellabant [7]. Nam Eusebius testatur [8], Paullinum Tyriorum Antistitem in aede ab

1 in lib. III.
2 in lib. XXVI.
3 in serm. LXXXVII.
4 num. LXXX. auctore Leontio Episc. ex vit. PP. Rosvveidi cum commentar. praevio, et notis Boll. T. II. Jan. p. 495.
5 c. XIV. apud Martene T. IV. p. 841.
6 S. Nilus l. I. epist. XXIV. edit. Allatii.
7 S. Paullin. epist. XXXII. n. 13, et 15. Nat. vers. 30. S. Joh. Chryst. Hom. 61. ad Pop. Antioch., et XLII. in Matth. S. Leo M. in epistol. CXLIX. in not. Sirmondi ad Ennodium.
8 lib. X. cap. IV. pag. 380.

Digitized by Google

te excitata, *sacrarum expiationum signa posuisse, fontes scilicet ex adverso Ecclesiae structos, qui* interius Sacrarium *ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent*.

Haud secus, ubi narrantur miracula S. Walpurgis [1], eadem vox accipienda videtur. *Puella a nativitate coeca .... coepit .... totis anhelare praecordiis, ut ad* Sacrarium *venire mereretur B. Virginis .... ubi vero ventum est ad diu optatum Basilicae aditum*. Eodem forte sensu elata sunt ea, quae legimus in Tabulario Bellilocensi in Lemovicibus [2]. *Post nostrum discessum in dominio S. Petri remaneat, et S. Primi ad* Sacrarium, *sic ut nullus homo de communia S. Petri alienare voluerit*. Itemque alibi [3]. *Omnia superius nominata Deo, et S. Petro offerimus ad sacrificium sacrandum, et ad luminaria concinnanda ante Altare S. Petri, et omni tempore ad* Sacrarium *supradictae res remaneant*; ac rursus [4]. *Post mortem meam similiter ad* Sacrarium *remanere voluit*.

§. II.

De Presbyterio Sacrarium nuncupato, sive de Sacrario minori.

Praecipue vero *Sacrarii* nomine totus ille locus in Templis designabatur, qui Tabernaculum circumstabat. Et sane Synodus Nycena Arabica [5] *Sacrarium* interpretatur, *ubi est Altare*, quod codex graecus vocat θυσιαστήριον, eumdemque locum Gloss. Cambronense [6] *Sacratorium* vocat. *Absida dicitur exedra, idest* Sacratorium. Idem constat ex epistola Clementis, ubi ait [7], *si post ordinationem ministro*

1 in Henr. Canisii Lection. ant. ex edit. Jac. Basnagii T. II. P. III. pag. 263. in T. III. Febr. Bolland. p. 511, et in act. SS. Ord. Bened. Sec. III. p. 300.

2 Ch. LXXXV.

3 Ch. CXXX.

4 CXLV.

5 ex edit. Alphaei Pisani cap. XVI.

6 in voce *Sacratorium*.

7 in Epist. II.

Altaris contigerit proprium invadere cubile uxoris, Sacrarii *non intret limina*. Nam *Sacrarium* una eademque res videtur esse, ac *Sanctuarium* cancellis secretum, ac velis coopertum, quum Clemens *vela Sanctuarii* paullo infra nominet vela *Sacrarii*.

De hoc certe loco accipienda sunt verba Chronici Edesseni [1]. *Nonnus substitutus fuit* (Ibae Episcopo) *die* xxI. *Julii, tenuitque sedem annis duobus, et fecit* Sacrarium *in Ecclesia*. Heic enim Assemannus una cum Suicero [2], *ἱερατεῖον* indicatum esse novit, locum scilicet sacrum, ac venerandum tabulato inclusum, quô sacri ministri ad Liturgiae munia obeunda conveniebant. Item de eo loquutum puto Gregorium Turonensem, ubi ait [3], in Sacrarium *sub velo transiens, cicindelam extinguere voluit*. Eumdem procul dubio indicant S. Germani a Pratis consuetudines, ubi lego [4]. *Sic autem ibit Sacerdos ad Altare: primo praecedet turibulum, et post duo Cerei, et Subdiaconus ferens textum, et Diaconus ferens missale, et Sacerdos habens casulam albam, nimirum si tempus exigat, et Diaconus, et Subdiaconus suo modo, et non debent intrare* Sacrarium, *donec cantetur* Gloria Patri. Huc etiam pertinet Canon LVI. Conc. Laodiceni ex intepretatione Dionysii Exigui, qui sanxit [5], *quod non oportet Presbyteros ante processionem Episcopi introire* Sacrarium, *et sedere, sed cum Episcopo debeant ingredi, vel in subselliis sedere, nisi forsitan infirmitate detineatur, aut proficiscatur Episcopus*. Hinc, quidquid contra Georgio [6] visum fuerit, ad hunc locum referenda sunt verba Lupi Tricassini, et Euphronii Au-

1 T. I. Bibl. Orient. Romae 1719. p. 404.
2 ex Graecorum Euchologio.
3 lib. iv. cap. xxxI.
4 T. iv. Martene p. 146.
5 T. i. Concil. pag. 1514.
6 Tom. i. Liturg. Rom. Pont. p. 64.

gustodunensis [1], quibus indixerunt, *Subdiaconos autem ad pacem inter se in* Sacrario *oportet accedere*; *in Altario autem, nonnisi dum porrigunt pallas Diacono, aut suscipiunt, quod refertur*.

Monebant autem Episcopi [2] in allocutione Subdiaconum ordinandum, juxta praescriptum Can. vI. Conc. Toletani v11I, verbis Amalarii de ecclesiasticis officiis, *oblationes, quae veniunt in altario, panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in Altario poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in* Sacrario *maneat*. Ac demum, postquam alias adhortationes pronunciaverant, *Patrem omnipotentem, aeternum Deum* rogabant, *uti eum in* Sacrario *suo sancto strenuum, sollicitumque caelesti militiae institueret*. Cui quidem rei providere multo ante sategit auctor constitutionum apostolicarum in epistola 1I. ad Jacobum Fratrem Domini inscripta, cujus haec sunt verba. *Reliquias fragmentorum Corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in* Sacrario *inveniatur, ne quum negligenter agitur, Corpori Domini gravis inferatur injuria*.

Hic idem locus, promiscue etiam, uti vidimus, *Presbyterium* dicebatur a *Presbyteris*, qui divina ibidem officia alternis celebrabant. Atque, ut ibidem sacri Ministri libere, et honorifice sua munia exercere possent, Conc. Turonense 1I. Can. IV, quem Capitulari suo Carolus M. inseruit [3], ac deinde Synodus Rom. [4] confirmavit, legem tulit, ne divinorum officiorum tempore laicis eôdem pateret ingressus. Qui quidem usus adeo olim viguit, ut Episcopi vix ipsis Imperatoribus, quo tempore sollemne sacrum cele-

1 ann CCCCLXI. T. I. Concil. Gall.

2 in Liturg. Gallic. Mabill. l. 1iI. p. 303.

3 cap. xix. lib. 1.

4 T. viI. c. cc1iI.

brabant, ingressum in *Presbyterium* permitterent. Quis itaque non fateatur, de hoc loco intelligendum esse Sozomenum, ubi refert [1], *moris erat, ut Imperator, dum sacris interesset, in* Sacrario *sederet, majestatis, et dignitatis caussa, a populi consortio separatus*? Sed quum Ambrosius animadvertisset, hujusmodi consuetudinem, ex quadam assentatione invectam fuisse, Theodosio obstare non dubitavit, quominus cum sacris ministris in *Presbyterio* sederet, eique locum assignavit ante *Sacrarii* Cancellos; ita ut populum Imperator, ipsum vero Imperatorem Sacerdotes sedendi ordine praecederent. Quod Theodosius non solum haud aegre tulit, sed plane approbavit, statimque e *Presbyterio* egressus, paruit Ambrosio [2]. Verum quid huic constitutioni occasionem dederit, accipe ex ipso Theodorito [3]. *Quum aliquando post factam in altari oblationem, Theodosius Augustus intra Cancellos ex consuetudine Cpolitanae Ecclesiae substitisset, Ambrosius per Archidiaconum haec ei significavit. Interiora loca, Imperator, solis Sacerdotibus patent; reliquis omnibus inaccessa sunt, et intacta. Abscede igitur, et una cum aliis consiste. Nam purpura Imperatores facit, non Sacerdotes.* Nihilominus licuit semper Imperatoribus oblationum caussa, quas aureis vasis, vel argenteis collocatas ad altare deferebant, contra morem ceterorum, qui eas candidis dumtaxat fanonibus, seu linteaminibus exceptas exhibebant, in *Sacrarium* introire, ac, teste Codino [4], ad sacram mensam ture adolendam, dum vesperae praecinerentur; quibus peractis ad locum suum extra Cancellos revertebantur. Nam Theodoretus Valentem Imperatorem illuc à

1 lib. VII. c. XXIV.
2 Socrates l. I. c. XXV. Nicephorus l. XII. c. XLI.
3 lib. V. Hist. Eccl. c. XVIII.
4 de Offic. Aulae Cpolit.

S. Basilio invitatum fuisse testatur. *Valens*, inquit [1], *recta ad Templum sanctum se confert, et consueta dona Altari offert: Basilius autem eum intra sacra Aulaea venire jubet.* Propterea, quum lege cautum esset, ne laici intra *Sacrarii* cancellos consisterent, Theodosius junior in edicto *de Ecclesiastico asylo*, sub finem Conc. generalis Ephesini prolato, diserte declaravit. *Ad sacra Altaria munerum tantummodo offerendorum caussa accedimus, et quum circumseptum sacrorum adytum ingressi sumus, statim egredimur, nec quidquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus*. Eosdem vero *cancellos*, utpote locum Altari proximiorem, Imperatores [2] non modo e marmore, aut aere construendos, sed etiam interdum argento, et auro conflandos, columnis, signis, vasis, floribus visu pulcherrimis instruendos, ac quandoque gemmis, et unionibus splendidissime incrustandos curabant.

Huc igitur referendi sunt Canones [3], XCIII. Concil. Carthag. IV. [4], et IV. Concilii Toletani XI, ubi praecipitur, *ne oblationes discordantium fratrum in* Sacrario, *aut in Gazophylacio recipiantur*. Ibi enim *Prothesis* generali nomine *Sacrarium* vocatur, ubi oblationes Altari destinatae recipiebantur, praeter alterum locum extra Ecclesiam, qui *Gazophylacium* vocabatur, ac praescribitur, neutro loco oblationes dissidentium inter se Christianorum esse accipiendas, quemadmodum, ubi de *Gazophylacio* disputabimus, liquido constabit.

Quum vero Graeci sacris vestibus in eodem loco, ubi rei divinae operabantur, indui consueverint, in

1 lib. IV. cap. XVII.

2 V. Constantin. Porphyr. de vita Basilii Aug. S. Germanum in Mystagogia, et Pachymerem pag. 721.

3 T. II. Concil. p. 1207. et apud Ballerinios p. 661. T. I. Oper. S. Leonis.

4 T. II. Conc. p. 1447, et T. III. apud Binghamum p. 248.

Digitized by Google

Missa Chrysostomi, quoties *Sacrarium* occurrit, de *Sacrario Bematis* intelligi debet. En tibi ejus verba. *Sacerdos cum Diacono primum intrat in Templum, et ante imaginem Christi ter prono capite adorat; deinde intrat in* ἱερατεῖον, *seu* Sacrarium, *ubi sumit sacras vestes primo sticharium, seu tuniculam; deinde orarium, et alias vestes, quibus indutus it ad prothesim, lavatum manus. Diaconus postquam suffitum dedit in* Sacrario, *et in toto Templo redit ad* Sacrarium, *et iterum dat suffitum sacrae mensae. Deinde Sacerdos dicit orationem in* Sacrario, *Diaconus pronuntiat pacifica extra* Sacrarium. Huc certe respexit Gregorius Turonensis, qui haec habet [1]. *Palladius Episcopus in* Sacrarium *cum grandi humilitate discesserat. Tunc Rex jussit eum revocari.* Similia sunt, quae protulit in vitis Patrum [2]. *Quodam autem mane quum surrexisset ad matutinas S. Nicerius, expectatis duabus antiphonis, ingressus est in* Sacrarium, *ubi dum resideret, Diaconus responsorium psalmum canere coepit.*

Recte igitur cum Bulengero [3], Isidorum Pelusiotam [4] de hoc loco disserentem intelligas, ubi ait. Sacrarium *Dei ejus actionibus non polluitur*, itemque Hieronymum, qui Nepotiani Presbyteri Altini sollicitudinem commendat [6], *si niteret Altare, si* Sacrarium *mundum, si vasa luculenta*. Nil autem morer, si quis Delacerdae opinionem sequi malit, qui ibidem pro Sacrario, *Sedem*, seu *Thronum* Episcopi a Hieronymo maluit indigitari. Eadem laus tribuitur Desiderio Episcopo Cadurcensi in ejus vita [7], qui enixe curabat, *si vasa nitentia, et clara, si*

1 in lib. VIII. Hist. c. VI.
2 c. VIII. §. IV. pro vigiliis.
3 c. XX. de Sacrario p. 80.
4 lib. I. ep. CXXI.
5 in epist. III, et in Actis SS. Bolland. Tom. II. Maii pag. 627.
6 in Adversar. sacr. p. 47.
7 cap. XIII. in Philippi Labbei Bibliotheca MSS. Tom. I. Paris. 1657. fol. pag. 699.

Digitized by Google

Sacrarium *mundum, si lucernae accensae*. Nam Conc. Vasense Presbyteri munia declarans, ejusdem officii esse pronuntiat [1], Sacrarium *disponere, et Sacramenta suscipere*, et S. Isidorus Hispalensis [2], cujus verba exscripsit Anonymus Sec. xII, [3] *ad Acolythum*, inquit, *pertinet praeparatio luminariorum in* Sacrario; *ipse cereum portat, ipse suggesta pro Eucharistia Calicis Subdiaconis praeparat*. Quae quidem curae, ceteris ministeriis adjunctae, uberrimis fidelium oblationibus merito pensabantur. *Quis* enim, ait Paullus de congruo sacrorum Ministrorum subsidio [4], *militat suis stipendiis unquam? Nescitis, quoniam, qui in* Sacrario *operantur, quae de* Sacrario *sunt, edunt?*

Alia hujusce denominationis usus in promptu habemus exempla. Nam Auctor Constitutionum Apostolicarum inquit [5], *pueri stent prope* Sacrarium, *alius Diaconus illis praesit, ne tumultuentur*; atque alibi [6], *quia autem residua Corporis Domini, quae in* Sacrario *relicta sunt, consumunt, non statim ad communes cibos accipiendos conveniunt*. Hunc eumdem locum indigitavit Conc. Hispalense, quum jussit [7], *ut in omnibus Ecclesiis .... adsit* Sacrarium, *ac loca bene constructa, et ornata cum bonis seris, et clavibus, in quibus reponatur SS. Sacramentum, Oleum, ac Chrisma .... jubeantque pariter, ut diu, noctuque ardeat lampas coram dicto loco, et* Sacrario. Hinc Conc. Tridentinum [8], ubi agit de *Eucharistia*, Ciborium *Sacrarium* appellat.

Item *Sacrarium* apud Latinos idem erat, ac in Orientali Ecclesia *Martyrium*; *Altare* videlicet ipsum, sub quo

1 c. III. de Presbytero.
2 in epist. ad Ludifredum.
3 in SS. Eccl. rituum, divinorumque officiorum explicatione, praefatione, et ednotationibus Phil. Zazzerae illustrata. Romae 1784. 8. p. 185.
4 in ep. I. ad Corinth. c. IX. n. vII, et xIII.
5 lib. vIII.
6 in Epist. II.
7 T. IV. Conc. Hispan. p. 20.
8 ſ. xIII. de Eucharistia c. vI. can. vII.

Martyrum sacri cineres recondebantur, quodque ideo *Martyrum confessio*, aut *memoria* vocabatur. Porro Evagrius S. Euphemiae Templum ita describit [1]. *Intra testudinem ad Orientem est* Sacrarium *decore constructum, in quo SS. Martyris reliquiae in capsa bene longa repositae*. Atque iccirco Baronius [2], quum animadvertisset, *Sacrarium* ab Evagrio dictum fuisse locum, quem Liberatus Diaconus *Sanctuarium* appellat, unam, uti jam supra [3] innuimus, eamdemque utriusque vocis significationem fuisse contendit. Praeterea tradit Rufinus Aquilejensis [4], ubi agit de Templo in Suburbio Cpolis a Theodorico in honorem Praecursoris constructo, Athanasium Pontificem Alexandrinum Baptistae reliquias ab se *susceptas, paucis arbitris, sub cavato* Sacrarii *pariete inclusas, prophetico spiritu profuturas, generationi posterae conservasse*. Heic certe *Sacrarii* nomine *Altare* indicatum nemo inficiabitur, sub quo ab antiquissimis usque temporibus sacra pignora, ut a sacrilegis furtis sarta tecta essent, vel amplioris cujusdam reverentiae caussa, et in ipsius Templi dedicatione [5], condebantur, quemadmodum, ex actis MM., Conciliorum sanctionibus, SS. PP. scriptis, adversus contumeliosas haereticorum in hunc ritum accusationes, diserte probavit Card. Bona [6]. Cujus quidem rei luculenta praebent exempla reliquiarum S. Pontiani Inventio Spoleti habita hac ipsa aetate [7], et in Templi parieti-

1 lib. II. cap. III. in Franc. Combefisii Auctario novo Bibl. PP. Graeco-latin. Paris 1648. fol. T. I. p. 166.

2 T. VI. p. 130.

3 pag. 147.

4 V. cap. XXX. lib. III. Chronicae Cassinensis, de reliquiis in dedicatione Ecclesiae sub Altari repositis, et Sarnellium, Se le reliquie de' Santi sieno di sostanza della consecrazione dell'Altare? in T. III. Liter. Eccl. p. 21.

5 Hist. Eccl. l. II. c. XXVIII. Lugd. 1570.

6 Rerum Liturgic. T. I. lib. I. cXIX. edit. Roberti Salae. Aug. Taurin. 1749.

7 Acta ex veter. MSS. cum Comment. praevio, et not. in T. II. Jul. Boll. p. 690. Della scoperta della Testa del Martire S. Ponziano. del P. Carlo M. da Perugia Min. Oss. Perugia 1747.

bus detectae SS. Florentii, et Sociorum MM. [1], et in ipsis Columnarum Capitulis SS. Savini, Eugenii, aliorumque exuviae [2], eisdem de caussis olim absconditae. His addas, praeter illa auctoris gestorum S. Lamberti [3], *in* Sacrario, *in locello aureo, quod vulgo dicitur Berceolum*, Gregorii Turonensis auctoritatem, qui eumdem locum designavit, ubi ait [4]. *Igitur Chrotechildis Regina ..... Parisius cum magno psallentio deportata, in* Sacrario *Basilicae B. Petri, ad latus Chlodovechi Regis sepulta est a filiis suis Childeberto, atque Chlothachario regibus. Nam Basilicam illam ipsa construxerat, in qua et Genovesa beatissima sepulta est*. Ex quibus patet, vetustissimum privilegium, quod supra [5] memoravimus, Principes viros de sacris aedibus benemeritos intra earum ambitum tumulandi.

§. III.

De Piscina Sacrarii minoris.

Praeterea, quum antiquae Monachorum Ecclesiae in singulis Altaribus, a *cornu epistulae*, parvam haberent *piscinam*, quô ablutionem projiciebant, hunc quoque locum *Sacrarium* persaepe nuncuparunt [6]. Eadem nonnullam habere videtur similitudinem cum *Altaris fossa* in Templo Hierosolymitano, cujus usum ita explicat Aristaeas. *Sunt*, inquit [7], *et apud arae basim* frequentes aperturae, *omnibus quidem, nisi his, qui ministrant, incognitae, quarum influxu, et*

1 Relazione dell' Invenzione delle Teste di S. Fiorenzo, e Compagni, di Domenico Panelli. Pesaro 1751.
2 Relazione dello scoprimento de' Corpi, e delle reliquie di sei Santi etc. di Benedetto Bisciari. Viterbo 1747.
3 apud Balotium T. V. in Miscell.
4 lib. IV. Hist. Franc. c. I. p. 142, et in Actis SS. Bolland. T. I. Junii p. 292, et in Actis SS. Ord. Bened. Sec. I. p. 98.
5 pag. 174.
6 Bona, lib. I. rer. liturg. c. XX. n. I. Gavanthus Tit. X. rubric. XX. Part. III. pag. 318. Catalanus T. I. Pontif. p. 147.
7 Hist. LXX. Interpr., et apud Berthaldum de Ara in T. VI. Thes. Graec. p. 269.

impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgatur. Ea vero relligione Christiani veteres, quidquid ad *Sacrarii* usum spectasset, prosequebantur, ut primum igni absumptum, ac deinde in cineres redactum, in quibusdam sacris locis studiose occultarent. Audi legem, quam sacri Canones [1] de inutili Eccl. supellectile sanxerunt, quamque vel a Catalano de *S. Evangelii Codicibus* [2] usu attritis relatam esse animadverti. *Altaris palla, Cathedra, Candelabrum, et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea, quae in* Sacrario *fuerant, male tractari, sed incendio universa tradantur*; *cineres quoque eorum in* Baptisterio *inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jacientur, ne introeuntium pedibus coinquinentur*. Haud absimili modo, Hebraei libros sacros, ad usum non amplius aptos, sepeliebant [3]; quod etiam Graecos praestare consuevisse inferius adnotabimus.

§. IV.
De Sacrario Baptisterii.

Ac, quandoquidem de *Baptisteriis* incidit sermo, minime praetereundum est, vel eadem *Sacrario* instructa fuisse. Nam Rituale Rom. praescribit [4]. *Aqua vero sollemnis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato S. Paschatis, vel Sabbato S. Pentecostes, quae in fonte mundo nitida, et pura diligenter conservetur, et haec, quando nova benedicenda est, in Eccl. vel potius* Sacrarii Baptisterium *effundatur*. Quid vero esset *Baptisterii Sacrarium*, docet S. Karolus [5], cujus haec sunt verba. Sacrarii *prima forma haec sit, ut*

1 de Can. xxxvII. Altaris

2 de Cod. S. Evang. Romae 1725. p.

3 Schudius in memorabilib. P. II. l. vI. c. 39. §. 7. pag. 375. Petrus Zornius in histor. Bibliorum ex Hebraeorum diebus festis, et jejuniis illustr. p. 113.

4 T. I. §. IV. p. 28. edit. Catalani.

5 In Part. IV. act. Eccl. Med. l. I. c. XX.

vas scilicet e marmore, lapideque solido fiat, instarque fontis baptismalis concavetur. In medio fundo concavo foramen habeat forma quadrata . . . . . . Suffulciatur columella quadrata . . . . Habeat sub foramine parvulum tubulum, aquaeductumque in media columella effossum, sculptumve . . . . . . ut per eum aquae, cineres, aliaque id generis, quae effundentur, aut projicientur, deorsum effluant. Infra hunc tubulum. aquaeductumque cisterna suffodiatur, in quam quaecumque effusa, projectave erunt, recipiantur. Id Sacrarium *integumento operiatur, quod ex tabulis nuceis sit, atque ejusmodi, ut e parte superiori, sensim leni acclivitate, quasi pyramidis instar, emineat. Claudatur autem firmissime pessula, sera, et clave.* Item in Conc. IV. Mediolanensi cautum fuit [1], *ne aqua capiti infantis infusa in eumdem fontem recideret, sed in* Sacrarium *proflueret*; et in Conc. V. Mediolanensi, cujus verba exscripsit Canon Aquensis anni MCLXXXV, statutum fuit, ut [2], *frons confirmati chrismate ab Episcopo illita, primum bombice diligenter a Sacerdote abstergatur, mox a Clerico in sacris, si fieri potest, constituto, tela linea munda, et pura aqua madefacta lavetur. Quae aqua postea in* Baptisterii Sacrarium *projiciatur*. Quae quidem sancte praescripta sunt ex rituali Ambrosiano, ubi haec habentur [3]. *Parochus aquam ablutionis in* Sacrarium *statim effundet; si linteola ad abstergendum infantis caput allata Ecclesiae usibus accomodari non queunt, comburet; cinerem vero in* Sacrario *recondet*. His etiam gemina sunt illa verba Pontificalis Sagiensis [4]. *Faciunt bandellos suos per proprios Sacerdotes, seu Presbyteros, vel alios amoveri, et frontes suas in* Sacrario *lavari, et ibidem bandellos suos comburi*.

1 T. x. Conc. Harduini Tit. xI. de sac. locis p. 821, et apud Martene Tom. I. de ant. Eccl. rit. p. 253.

2 apud Mart. de ant. Eccl. rit. p. 134.

3 ibid. pag. 223.

4 ibidem pag. 252.

Ex quibus statim agnosces, cur a Cyrillo [1], aliisque Graecis scriptoribus *Baptisterium* frequenter κολυμβήθρα, et a Latinis *Piscina* nuncupatum sit, et tamquam pars a toto, aperte distinctum. Socrates enim diserte [2] κολυμβήθραν τοῦ βαπτιστηρίου *piscinam*, seu *alveum baptisterii* appellat. Quod quidem nomen Beveregius [3] *Baptisterio* inditum putat, *a celebri illa* κολυμβήθρα, *sive* piscina, *in qua caecus Christi jussu lotus rediit videns* [4], *vel ab illa Hierosolymis* [5]; etsi Optatus [6] *piscinam* vocatam fuisse scripserit, ut technicum Servatoris nostri nomen referret ἰχθὺς, *piscis* nimirum, *qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut, quae aqua fuerat, a* pisce *etiam* piscina *vocitetur. Cujus* piscis *nomen secundum appellationem graecam in uno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet* ἰχθὺς, *quod est Latine* Jesus Christus Filius Dei Salvator. Quocirca Tertullianus inquit [7]: *Nos* pisciculi *secundum* ἰχθὺν *nostrum Iesum Christum in aqua nascimur*. Ac disertius Prosper [8]. *Qui tributum pro se, et pro Petro, et caecato lumen reddidit Paullo, satians ex se ipso in littore discipulos, et toti se offerens mundo* ἰχθὺν. *Namque latine* piscem *sacris literis, majores nostri hoc interpretati sunt ex Sibyllinis versibus colligentes, quod est Jesus Christus Filius Dei Salvator*, piscis *in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur, et pascimur*. Atque hinc veteres Christiani non modo in annulis, ac lucernis, sed etiam in urnis sepulcralibus *pisces* insculpebant [9].

1 Catech. myst. II. n. 4. p. 185, et III. n. 1.
2 lib. VII. cap. XVII.
3 pandect. not. in Conc. Nic. pag. 73.
4 Joh. IX. 7.
5 ibid. cap. V. vers. 2.
6 lib. III. pag. 62.
7 de baptismo cap. 1.
8 de praedict. et promissis P. II. c. XXXIX.
9 V. Anselmum Costadonium Diss. sopra il Pesce, come simbolo di Gesù Cristo. int. opusc. Scient. et Philol. Venet. 1749. Tom. XLI. p. 247. Mamachium Origin. et ant. Christ. T. I. p. 54. Allegranza, Diss. sopra un' Apsge in marmo co' suoi

CAPVT IIII.

De Sacrario Majori.

Postquam singulas Templorum partes lustravimus, quas olim *Sacrarii* nomine venisse vidimus, tandem aliquando in *Sacrarium majus*, cujus caussa haec est haud levi studio, ac labore instituta disceptatio, nos conferamus. Hic autem locus, ille idem est, ac *Secretarium* supra descriptum, iisdemque usibus inserviit. Verum nos e Rom. Ordinibus, sacrisque scriptoribus ea selegimus loca, quibus alterum *Sacrarii* vocabulum occurrit, ut ab iis, quibus antiquitus *Secretarii* vocabulum usurpatum fuit, secernerentur, eaque omnia de industria ad hoc caput reservavimus, et in unum collegimus, partim ad eosdem ritus jam supra illustratos confirmandos, partim ad novos etiam declarandos, quos una cum nominis immutatione invectos fuisse comperiemus. Quod me non sine lectorum voluptate praestiturum confido, quum aurea illa Innocentii III. verba animo recolam [1], *haec omnia divinis sunt plena mysteriis, ac singula dulcedine redundantia, si tamen diligentem habeant inspectorem.*

Itaque, ut eodem ordine, quo sacras caeremonias superius exponendas curavimus, prosequamur, quid ante Pontificis, et sacrorum Antistitum ingressum in *Sacrarium* praestandum esset, primo explicabimus.

simboli. pag. 118. fra le spiegazioni di alcuni sacri monumenti antichi di Milano. 1757. 4. Jos. Cyprianum in Dissert. philolog. de nomine Chr. eccles. acrostico ἰχθὺς Piscis. Lipsiae 1699. 4. aliosque.

1 in Prol. de myst. Missae.

§. 1.

De iis, quae in Sacrario ante Pontificis ingressum parabantur.

Quoties Rom. Pontifex ad Vrbis Ecclesias equitaturus erat ob sacrum faciendum, Cubicularius *sellam* suam praeferre curabat; in qua *Sacrarium* ingressus considere posset. De ea haec habentur in Ord. I. [1]. Sellam *autem Pontificis cubicularius laicus praecedens deportat, ut parata sit, dum in* Sacrarium *venerit*. Hoc idem *Cubicularii munus* ita declarat Ordo II. [2] *Denunciata statione diebus festis, primo mane omnis Clerus debet Apostolicum ad Ecclesiam praecedere, exceptis officialibus ministris, qui in obsequio illius comitantur pro Pontificali dignitate, ut sunt Diaeones Stationarii, Subdiaconi, et omnes Acolythi illius regionis, quae ipso die Pontifici debet ministrare. Sed Cubiculario laico haec cura est praescripta, ut* Sella *Pontificis in* Sacrario *sit parata, donec ille veniat celebraturus divina mysteria*.

Ex his autem constat, *Sellam* hanc [3], quam etiam *Cliothedrum*, seu *Cleothedrum* nuncupabant, non fixam, ac stabilem, sed ductilem, ac plicatilem, curuli consimilem fuisse, quam nos modo *Faldistorium* vocamus. Ceterum Bonannius [4], quum videret, Romanos Pontifices nunc faldistorio tantum uti, quando preces ad altare fundunt, utrum antiquitus hac sede usi fuerint, dubitavit. Sed Benedictus Canonicus rem extra omnem dubitationem ponit, inquiens [5]. *Mane Sabbato S. in porticu S. Venantii pone*

1 num. 3. p. 5.

2 n. 3. p. 53.

3 V. Fulconem Carnotensem, lib. III. Hist. Hierosol. cap. LXI. Fridegodum in vita S. Wilfridi, cap. IV. Hist. Episc. Antisiodor., cap. XLV. not. Tyronis, pag. 164. Hist. translat. S. Sebastiani, num. XXVI. Panegyr. Berengarii Imper., et acta SS. de B. Bandone Arch. T. II. SS. Junii p. 304.

4 in Hierarch. Eccl. c. LXXII. p. 299.

5 Ord. X. num. 43. pag. 138.

Bas. Lateranenſem , praeparato facistorio , Pontifex ſedet . Idem pluries confirmat Cencius Camerarius, ubi ait [1]. *Tunc vero exuunt eum planeta, et appoſito manto ſuper ſcapulas, ſedet in* fonslatorio, *ſeu cathedra, et largitur Presbyterium....* *ibi praeparato* faldistorio *Pontifex ſedet* [2]. Quae quidem innuit Georgius [3], qui plura post Ducangium [4] de eodem *faldiſtorio* adjecit.

Praeterea [5] *defenſores ex regione illa, cujus dies ad officium fuerit in obſequio*, Pontificem praestolabantur *loco ſtatuto*. Eorum *miniſteria*, ut docet Ordo I. [6], *primitus ſecundum rationem ſimplicem dupliciter diebus ſingulis* dividebantur, *ideſt in proceſſione Apoſtolici ad ſtationem , et in egreſſu* Sacrarii *uſque ad Miſſarum conſummationem*. Id etiam alibi sacros ministros praestitisse constat ex Gregorio Turonensi, qui narrat [7]. *Illuceſcente in craſtinum dominica die ad Eccleſiam Rhemenſem acceſſimus , reſidenteſque in* Sacrario *adventum praeſtolabamur Antiſtitis*.

§. II.

Quid in Sacrarium ingreſſo Pontifice praeſtabatur?

Vix in *Sacrarium* Pontifex ingressus erat, eum in *ſella* sua considentem nobis ostendunt primi duo Ordines Romani, quorum uterque inquit [8], *ubi dum intraverit, ſedet in* sella *ſua*. Atque hinc usus *ſedendi* in *Sacrario*, dum Episcopi sacras vestes induebant, satis apparet. Sed luculenter etiam constat ex Augustino [9], qui narrat, juvenem paralysi laborantem, S. Stephani ope implorata, die Paschatis, in

1 Ord. xiI. num. 2. pag. 168.
2 ibid. num. 30. pag. 183.
3 in T. 1. Liturg. Rom. Pont. p. 79.
4 in Ord. 13. p. 42. et in Ord. 1. p. 6.
5 num. 1. pag. 4.
6 in Glossario ad Facistolium, Faldisterium, Fascitorium.
7 in l. iiI. de Mir. S. Martini c. xviI. p. 1090.
8 in Ord. 1. n. 5. p. 6. et in iI. n. 2. p. 41.
9 In l. xxiI. de Civ. Dei c. viI. n. xxiI.

aede Hipponensi repente convaluisse, dum ipse in *Sacrario* sedebat, sacris sese vestibus exornans, ut deinde ad Altare procederet, sacrum sollemne facturus.

Quibus vero vestibus Pontifex indueretur, supra [1] jam declaravimus. Heic tantum proferam, quae Jos. Vicecomes [2] exscripsit ex Ord. Romano [3]. *Tunc*, inquit, *egrediatur Episcopus designatus ad* Sacrarium *cum duobus Episcopis, et Archidiacono, cum Subdiaconibus, et Acolythis, et induant electum cambagos, et sandalia, manicas, dalmaticam, planetam. Quando induitur cambagio, et sandaliis, dicatur ab Episcopis*. Quae quidem strictius legimus in Ordine vııI. apud Mabillonium [4].

Statim ac Pontifex sacris vestibus indutus erat, ab Archidiacono, ut e *Sacrario* ad Altare procederet, invitari solebat. Hunc usum vel in aliis Ecclesiis viguisse testatur Sulpitius Severus, qui B Martinum in *Sacrario* considentem ab Archidiacono ad Altare invitatum fuisse scripsit hoc modo [5]. *Dein paullo post Archidiaconus ingressus admonet, pro consuetudine exspectare in Ecclesia populum, illum ad agenda sollemnia debere procedere*. Id etiam, ut Paulli Diaconi Emeritensis verba praeteream [6], in Ecclesia Massiliensi fieri consuevisse prodit Gregorius Turonensis. *Die autem sancto*, inquit [7], *Natalis Dominici, Episcopo in Ecclesiam adveniente, Archidiaconus indutus alba adest, Episcopum, ut mos est, invitans ad Altare debere procedere, ac sollemnitatem diei sancti opportuno debere tempore celebrare*. Ceterum hoc idem munus ex antiquis Germaniae consuetudinibus, etiam Diacono commissum vide-

1 pag. 207.

2 in l. ııI. de missae appar. c. iI. p. 116.

3 ſ. qualiter Episcopus in R.E. ordinetur.

4 in Ord. vııI. num. 8. pag. 88.

5 in Dial. iI. cap. 1.

6 Mabillonius de Liturgia Gallic. lib. 1. cap. vıI. num. 1.

7 in Hist. Francor. lib. ıv. cap. XLIV.

mus. *Diaconi est*, inquiunt [1], *processionem ad introitum ordinare, et incensum ponere*, Gloria Patri *motu suo incipere a Praecentore, et* Kyrie eleison, *Presbyterum quoque de* Sacrario *manu ad Altare deducere*.

Nunc ex Pontificali Ecclesiae Apamiensis in Syria ordinem audiamus, *qualiter Romanus Pontifex apud Basilicam B. Petri Apostoli debeat ordinari* [2]. *Primicerius cum Schola inchoat Antiphonam ad introitum, procedit Electus de* Sacrario *cum cerostatis* VII, *et cum eo Episcopi, et Cardinales, et ceteri Clerici, induti sollemni ritu, et veniunt ad Confessionem B. Petri*. Post haec juvat antiquissimum morem exponere, quo Antistites Episcoporum ordinationes celebraturi, et Electi in Episcopos consecrandi, in *Sacrario* sacras vestes induebant. Docet id antiquus Ordo Rom. hujusmodi verbis [3]. *Episcopus quum ordinatur, primo progrediatur Metropolitanus cum Electo, et cuncto Clero, et Populo ad Eccl., ubi ipsam fieri vult ordinationem. Et ingressus* Sacrarium, *induat se vestimenta Pontificalia. Post pusillum procedat e* Sacrario *cum Diaconibus, et reliquis Ministris, sicut in dominicis diebus mos est procedendi, et Electus sacris Vestibus indutus procedat una cum Archiepiscopo, et ceteris Episcopis e* Sacrario *ante Altare*.

Iisdem fere verbis utuntur Pontificale Romanum Bibl. Colbertinae, et [4] Pontificale Ecclesiae Noviomensis [5]. Verum peculiari animadversione dignum est, quod addunt Pontificalia Beccensis monasterii. Post lectam *super Sanctum Altare* Episcopi professionem [6], *tunc recipiatur professio, et in* Sacrario *reponatur, ut in testimonium reservetur* Illud etiam adnotandum est, quod addit Pontificale Ecclesiae

1 ibidem pag. 205.
2 num. XVIII. et T. IV. de ant. Mon. rit. Martene pag. 147.
3 ex ms. Pontificali Salisburgensi apud Martene T. II. de ant. Eccl. rit. p. 147.
4 Mart. T. II. de ant. Eccl. rit. p. 238.
5 ibid. pag. 210.
6 ibid. pag. 185.

Digitized by Google

Noviomensis [1]. *Duo Presbyteri ex ipsis fratribus egrediuntur de* Sacrario *casulis induti, et Electum episcopalibus vestimentis indutum cum plena processione ad altare, ubi Metropolitanus consecrator est celebraturus, per manus deducunt.* Haec eadem confirmat Pontificale Bisuntinum hujusmodi verbis [2]. *Manissime pulsetur, et cantetur Prima, postquam eant ad Capitulum; ibique a Decano, Archidiacono, Cantore, et Cancellario ordinentur, qui debent procedere ministri, sicut in majoribus mos est festivitatibus, hoc est duo Acolythi cum turibulis, duo Subdiaconi cum Crucibus,* VII. *Acolythi cum candelabris, et cereis, septemque Subdiaconi cum Evangeliorum libris, et septem Diaconi cum suis reliquiis, duodecim Presbyteri induti planetis, Acolythus indutus podere cum vasculo aureo chrismatis. Tertia pulsetur temporanee, et interim praeparet se ad Missam Archiepiscopus, hoc est sandaliis, et cetera omnia usque ad Dalmaticam. Tunc induitur cappa, et tenens baculum Pastoralem in manu, procedit e* Sacrario. *Similiter omnes Episcopi exeunt induti. Ipse autem electus nec dum induatur Sandaliis, sed tantum alba, stola, et cappa, nec ferat baculum, sed ponatur super Altare cum annulo, usque dum sacratus accipiat de manu Archiepiscopi.* Ex quibus patet Episcopum consecratorem una cum electo, et sacris ministris, e *Sacrario* ad Altare sollemni pompa procedere consuevisse. Id etiam liquet ex Pontificali Ecclesiae Lugdunensis, cujus verba liceat adjicere [3]. *Dominica itaque die sequenti contra mediam Tertiam Metropolitanus intrans Ecclesiam, in qua debet consecrari electus, ingrediatur* Vestibulum, *sive* Sacrarium *indutus pontificalibus indumentis, sicut missam celebraturus. Deinde egrediatur a* Sacrario *cum Episcopis praesentibus indutis ami-*

1 ibidem pag. 212.

2 Martene T. II. Eccl. rit. pag. 55, et In T. 1. Pontif. Catalani pag. 176.

3 ibidem

etibus, albis, vel superpelliceis, stolis, et cappis, seu pluvialibus cum mitris, et cambucis, et cum Diaconis, et Subdiaconis, et reliquis Ministris, prout est mos procedendi sollemniter in dominicis diebus ad Missam. Et electus paratus amictu, alba, vel superpelliceo, succinctorio, et pluviali tantum, deductus a duobus Episcopis hinc inde post eos, sicque usque ad altare procedant.

Sic in Ordine Scrutinii in Ecclesia Leodiensi celebrandi [1] *finito tracto, procedunt de* Sacrario *bini, et bini octo Presbyteri cum* VII. *Diaconibus, et totidem Subdiaconibus, et* VII. *Acolythi cum cereis accensis, et* VII. *alii cum turibulis*. Missale Mozarabum inquit [2], *quando praeparatus sit Sacerdos ad Missam celebrandam, ingressus ad* Sacrarium, *lavet manus dicendo .... postea flectat genua coram vestibus*. Antiquum Ordinarium Eccl. Laudunensis exponens ritus in missa diebus Dominicis observandos, ait [3]. *Dum cantatur Tertia, Subdiaconus, qui cantaturus est epistolam, progreditur ad majus Altare praeparandum; quo praeparato, revertitur ad* Sacrarium, *pulvinar, et textum supra pectus deferens*. Atque alibi, ubi profert *ritus missae sollemnis in natali Domini, aliisque annualibus, ut ajunt, festis*, haec habet [4]. *Episcopus exiens de* Sacrario, *stat ante ostium Presbyterii cum processione*. His consonat antiquum rituale Eccl. Suessionensis inquiens [5]. *Sacerdos exeat de* Sacrario *indutus omnibus indumentis suis ..... reliquus Clericulus cum turibulo redeat ad* Sacrarium. MSS. Pontificale Prudentii Trecensis Episcopi exhibet [6] *orationem ante altare, priusquam* Sacrarium *introeas ad induendum*. Pontificale Salisburgense agens de IV. *Temporibus jejuniorum, quando fiunt* XII. *Lectiones* ait [7]. *Ap-*

1 T. I. de ant. Eccl. rit. ap. Mart. p. 119.
2 apud Mart. T. I. de ant. Eccl. rit. p 476.
3 ibid. pag. 607.
4 ap. Mart. T. I. de ant. Eccl. rit. p. 610.
5 ibid. p. 611.
6 ibid. p. 529.
7 T. II. de ant. Eccl. rit. pag. 142.

propinquans Ecclesiae, innuente Pontifice, schola imponat letaniam, cantant usque in chorum, et Pontifex ingreditur Sacrarium *se praeparans*. Pontificale Egberti Eboracensis Archiep. Ordinem in Eccl. dedicatione servandum his verbis, quibus gemina sunt illa [1] aliorum Pontificalium, absolvit [2]. *Inde revertatur Pontifex in* Sacrarium, *et induat se aliis sollemnibus vestimentis ipse, et ceteri ordines. Interim namque Ecclesia ornetur, et decoretur lumine. Post haec cantor, posita benedictione, ab Episcopo incipiat antiphonam ad introitum missae, et tunc procedit Pontifex de* Sacrario *cum omnibus ordinibus suis, sicut mos est, et celebrabitur missa*.

Sed, ut ceteris omissis exemplis, ad Ordines Romanos redeamus, vI. *de Missa Episcopali* inscriptus, omnes caeremonias in *Sacrario* obeundas in unum colligit hoc modo [3]. *Processionem coram Episcopo acturis a Custode Ecclesiae in Sa*crario *ornamenta praebenda sunt; Presbyteris duobus, qui Episcopum ducturi sunt, cappae, Diaconibus stolae, et dalmaticae: Subdiaconibus vero sibi congruae vestes, quae apud quosdam subdiaconales nominantur; et mappulae in sinistra manu ferendae: Acolythis candelabra, et turibula portaturis casulae. His quum induti fuerint, Acolythis candelabra portantibus, Subdiaconus Archidiacono Evangelium fert, in medio stanti extra Sa*crarium, *sive intra, ubi se Pontifex parat; retro Acolythis ordinatim standum est. Duo autem Presbyteri, ita ut ad Missam, excepto quod cappis induti sunt, vestiti, una cum septem Diaconibus coram Episcopo stantes ministrent ei, cantantes cum illo septem psalmos cum letania. Tertia vero a fratribus imple-*

1 Pontif. Anglicani Monasterii Gemmeticensis ibid. pag. 709. Halirardi Arch. Lugdunensis. ibid. p. 754. Ecclesiar. Cadurcensis. ibid. pag. 733. Apamiensis, et Cpolitanae. ibid. p. 768. Consuetudinum Cluniacensium, lib. II. c. xxx. et T. IV. Martene p. 126, et S. Germani, ib. p. 146.

2 apud Martene. Tom. II. de ant. Eccl. rit. pag. 695.

3 num. 1. pag. 70.

ta, procedunt Diaconi de Sacrario, *dividentes se in duas partes, quatuor ad dexteram, et tres ad sinistram, et tunc procedat Episcopus*. Hujusce Ordinis verbis et illa adjicienda sunt Ordinis VIII. *Et procedit de* Sacrario *cum omni decore in Ecclesia ipsa, sicut mos est*. Praeterea sicut modo Sacerdos, et Minister ex apostolica traditione, initio missae, extra Altaris gradus peccata accusant, ut integra mente, scelerisque puri, sacro dent operam, ita antiquitus *parascevasticam exomologesim* in *Sacrario* conficiebant, ut explicat Claudius du Vert [1]. Ibidem etiam rem divinam acturi aliis precibus sese expiare solebant, quas modo *apologias*, seu *apologetica*, modo *excusationes*, aut *purgationes*, ac etiam *orationes praeparatorias*, sive *praeinitiatorias* vocabant. Quo ritu hujusmodi preces effunderet Dyrrachii Antistes, ex Georgio Pachymere colligimus, qui narrat [2]. *Simul atque igitur illuxit dies, solitas horas recitaturus Pontifex, ut sacris operaretur, extra* Sacrarium *stantibus silentium indicit*.

At quorsum, inquies, praeter ea, quae jam superius allata sunt, tot Pontificalium, atque Ordinum loca huc congessisti, ad res adeo notas declarandas? nimirum, ut novis exemplis summam relligionem, qua sacras vestes ibidem sacri Ministri induebant, ostenderem, quae eos induxit, ut piam Durandi [3] opinionem amplecterentur, qui Sacrarium, *in quo Sacerdos sacras vestes induit, uterum S. Mariae significare* docuit, Macro adstipulatore, qui Sacrarium *virginalis Mariae uteri, in quo vestes mortalis carnis aeternum Verbum indutum fuit, symbolum* esse tradidit. Praeterea omni ope curandum mihi esse duxi, ut pluribus testimoniis veterem usum canendi

1 Explication des Ceremonies de l' Eglise. T. III. Paris. 1713.

2 in Hist. l. I. c. XI, et apud Habert. in lib. Pontific. Eccles. Graecae pag. 20.

3 Rationar lib. IV. cap. I.

4 in Hierolexico pag. 536.

Tertiam in *Sacrario*, qua Dominus cruci affixus, et Spiritus S. super Apostolos descendisse legitur, comprobarem, utque clarius appareret Majorum nostrorum cura sollemni pompa ad Altare procedendi, qua, ut tradunt plures Scriptores [1], Christum in Mundum descensurum, a Prophetis anteversum, in Pontifice, a Diaconis, aliisque sacris ministris ante eum progredientibus, agnoscebant.

§. III.

De caeremoniis in Sacrario obeundis statis anni diebus.

Postquam ritus generatim exposuimus, qui ante Sacrificii celebrationem in *Sacrariis* olim peragebantur, nunc praestat, alias etiam caeremonias commemorare, quae ibidem, certis anni diebus, servabantur. Atque, ut ab auspicatissimo natalis Domini festo exordiar, quod jure a Joh. Chrysostomo [2], et Isaacio [3] festorum omnium *Metropolis* appellatur, inter ea, quae Pontifex praestare solebat, haec etiam recenset in Ord. XII. Cencius Camerarius [4]. *In Aurora vadit ad S. Anastasiam, et celebrat ibi secundam Missam; qua finita, revertitur ad Bas. S. Mariae Majoris, et intrat* Sacrarium *cum Episcopis, Cardinalibus, Diaconibus, et Subdiaconibus, et reliquis ordinibus, et dicunt Tertiam; qua dicta induunt se, et processionaliter vadunt ad Altare, sicut est moris*. Haec eadem excipit Cajetanus in Ord. XIV, qui *de Missa in mane Natalis Domini* haec habet [5]. *Summo igitur mane indutus missalibus vestimentis vadit ad S. Anastasiam, ut celebret ibi missam secundam cum* Gloria, *et* Credo, *et utitur mitra frigiata*.

1 Amalarius l. III. cap. VI. Alcuinus de divinis offic. Rupertus lib. I. cap. XXVIII. Honorius in Gem. ani. cap. LXXXIV. Innoc. III. in Myst. Miss. l. II. c. I. Albertus M. de Sacr. Miss. Tract. I.

2 in Orat. de B. Philogonio.

3 Invectiva I. in Armenios cap. XII.

4 num. 2. pag. 167.

5 pag. 327.

Statio ad S. Anastasiam. Postea finita missa, revertitur ad S. M. Majorem, et intrat Sacrarium *cum Episcopis Cardinalibus, Diaconibus, et Subdiaconibus, et reliquis ordinibus, et dicunt Tertiam; qua dicta, induunt se sollemniter vestimentis albis, et processionaliter vadunt ad Altare, sicut moris est.* His plane gemina sunt, quae occurrunt in Caeremoniali antiquo Cardinalis Rhotomagensis [1], et apud Amelium in Ord. xv. [2]. Heic autem singularis ritus memorandus est Ecclesiae Laudunensis, ubi [3] *Episcopo post Missam, et Laudes ad* Sacrarium *redeunte, Cantor, et Succentor cappis albis induti, stantes in ostio dextri chori dicunt,* Pastores dicite; *Clericuli stantes a foris respondent,* Infantem vidimus; *pulsatis insimul campanis, Cantor, et Succentor incipiunt,* lux fulgebit.

Audi nunc a Cencio Camerario, *quid Dominus Papa debet facere in festo S. Stephani* [4]. *Quicumque sic ad Ecclesiam S. Stephani pervenerint, deposito regno, intrat Ecclesiam; factaque oratione vadit ad* Sacrarium, *et deposita planeta alba, induit rubeam, et celebrat missam; sicut hesterna die in omnibus. Missa vero finita resumit planetam albam, et induit regnum.* Cencii verba exscripserunt Cajetanus [5], et Petrus Amelius [6], qui tantum adjecit, *quod si Papa non celebret, Presbyter Cardinalis Tit. S. Clementis missam S. Stephani praedicti consuevit coram Papa celebrare illa die.* Haec autem de *S. Stephani aede rotunda* in Caelio monte sunt intelligenda, quam plures Scriptores illustrarunt [7].

1 pag. 328.
2 pag. 453.
3 Mart. T. III. de ant. Eccl. rit. p. 102.
4 §. III. pag. 171.
5 §. LXXIII. pag. 341.
6 §. XIII. pag. 454.
7 Vgonius, Stazioni di Roma p. 286. Martinellius Roma ex Ethnico sacra p. 309. 356. Piazza, Emerologio p. 744. e nella Gerarchia Cardinalizia p. 553. Succinta notizia istorica del martirio de SS. Cittadini Rom. Primo, e Feliciano, e della traslazione, invenzione, ed elevazione de' loro sagri Corpi nella Chiesa di S. Stefano

Vbi vero idem Cencius explicat, *quid D. Papa facere debeat in festo Purificationis B. M. Virginis*, quod festum *Hypapantes*, *Candelariae*, *Candelosae*, *Candelarum*, seu *luminum* dicebatur, haec affert [1]. *Quum autem D. Papa ad Eccl. S. M.* (Majoris) *venerit*, *Primicerius cum Schola Cantorum in introitu ipsius Ecclesiae cantat* Te Deum laudamus, *et deinde D. Papa intrat* Sacrarium, *et exuit planetam*, *ubi schola mappulariorum*, *et cubiculariorum habent aquam calidam paratam ad abluendos pedes D. Papae*, *et D. Papa ablutis pedibus calceat caligas cum Sandaliis pro Missa cantanda*, *et induit planetam albam*, *et aurifrixiatam mitram*. *Diaconus Cardinalis*, *et Subdiaconus*, *exutis planetis*, *induunt dalmaticas*, *et ita cum processione vadunt ad Altare majus*. En igitur pedum ablutionem, quam supra [2] attigimus, novo exemplo confirmatam.

Eadem die, inquit Pontificale Eccl. Bisuntinae [3], *ad benedicendos Cereos praeparet se Domnus Archipraesul*, *ut procedat e* Sacrario *cum suis processoribus ad celebrandam Missam*. *Processores* enim vocabant, ut Ord. Rom. testimonio Macer [4] ostendit, associantes Episcopum, quando *processionaliter ex Sacrario* progrediebatur, et comitantes Diaconum, quum ad ambonem pro canendo Evangelio dirigebatur. Verum praeter Cereorum benedictionem, et ignis benedicebatur, quo iidem illuminandi erant. Sic enim praescribunt consuetudines Canonic. Regular. S. Rufi [5]. *Igitur post tertiam induti Sacerdos in cappa*, *ministri in albis*, *et Ceroferarii duo*, *et ad Crucem tertius*, *paratisque cereis*, *et igne de silice*, *vel*

nel monte Celio. Rome 1736. Jul. Caesar. Cordara, Notizie istoriche circa il martirio de' SS. Primo, e Feliciano, con una breve relazione della ricognizione de' loro sacri Corpi, e della solenne traslazione, che se ne fece l'anno 1736 nella Chiesa di S. Stefano Rotondo nel Monte Celio. Rome 1770. 8. et in historia Colleg. Germanici Hungerici. Romae 1770. p. 55.

1 §. v. p. 173.

2 pag. 61.

3 Martene T. III. de ant. Eccl. rit. p. 129.

4 in Hierolexico p. 496.

5 Tom. IV. Martene p. 302.

crystallo noviter excusso prius a Sacrario, *cum* Miserere mei Deus, *procedant ad Altare S. Augustini, ibique Sacerdos benedicat ignem* [1].

Pluribus jam supra [2] demonstravimus caeremonias a Pontifice praestandas in *capite jejunii*. Verum juvat etiam ex Cencio Camerario earum descriptionem audire, qui referens, *quid debeat D. Papa facere feria* IV. *in capite Quadragesimae*, ita loquitur [3]. *Feria* IV. *in capite Quadragesimae D. Papa circa mediam Tertiam equitat cum Episcopis, et Cardinalibus ad S. Anastasiam, et receptus in processione a clericis ipsius Ecclesiae, intrat* Sacrarium, *et induit se cum Cardinalibus, et aliis ordinibus. Interim autem cinis benedicitur a juniore Presbytero Cardinali; deinde Dominus Papa vadit cum Cardinalibus, et Schola Cantorum ad sedem post altare; et praesentato ei cinere, Prior Episcoporum imponit ei cinerem*. His adjicias Ordinem Eccles. Narbonensis, qui cinerum benedictionis descriptionem sic absolvit [4]. *Deinde redeant ad* Sacrarium, *et cantetur missa more solito*.

Quid vero dicam de praeclarissimo ritu deponendi in IV. angulis Altaris IV. Evangelia singulorum Evangelistarum, quae Diaconi e *Sacrario* depromebant in *denunciatione Scrutinii ad Clericos, quod* III. *hebdomada in Quadragesima*, II. *feria initiabatur*? Exstat insigne hujusce usus testimonium in Ord. VII, qui rem ita declarat [5]. *Inde vero procedunt* IV.

1 V. Ang. Roccam de Origine, et institut. benedictionis Candelarum, vel Cereorum in festivitate Purificationis Mariae. in Thes. ant. sacr. Romae 1745. fol. Tom. I. p. 214. God. Henschenium in commentario hist. de Hypapante Domini, et Purificat. B. Mariae. in Actis SS. Bolland. Febr. T. I. p. 268. Danielem e Virg. Mar. in diss. de festo Purificat. Mariae. in Speculo Carmelitano. Antuer. 1680. fol. p. 233. Marth. Larroquanum de institut. Cereorum in die Purificat. in advers. Sacr. Lugd. Batav. 1688. 8. p. 150. Joh. Moebium in dissertat. de festo τῆς ὑπαπαντῆς Lips. 1691. 4. aliosque.

2 p. 222.

3 in Ord. XII. §. VIII. p. 175.

4 Mertene T. III. de ant. Eccles. rit.

5 n. 5. p. 80.

Diacones de Sacrario *cum* IV. *libris Evangeliorum, praecedentibus eos* II. *candelabris cum turibulo, et incenso, et ponunt ipsa evangelia in* IV. *angulos altaris .... Et postquam leger it, suscipit de eo Subdiaconus ipsum Evangelium super linteum, et portat in* Sacrario.

Verum in Missali Gellonensis monasterii, ubi habetur [1], *denunciatio pro Scrutinio, quo* III. *Hebdomada in Quadragesima in* III. *feria initiantur*, eadem Ord. Rom. verba proferuntur. *Inde vero procedunt* IV. *Diaconi de* Sacrario *cum* IV. *libris Evangeliorum, praecedentibus eos duobus candelabris cum turrabulo, et incensum .... post quam lectionem, suscipit Subdiaconus ipsum librum super linteo, et portat in* Sacrario. Quumque in Ordines Rom., tamquam in speculum, aliae fere semper Ecclesiae inspexerint, eumdem ritum alibi etiam indicatum reperies. Nam in MSS. Pontificalibus Eccles. Pictaviensis [2], et Viennensis in Gallia [3], iisdem *fere verbis describitur*. Haec etiam colligimus ex admonitione Synodali, a nonnullis Leoni IV. [4], ab aliis Ratherio Episc. Veronensi adscripta, ubi haec legimus [5]. *Super altarè nihil ponatur, nisi capsae, aut reliquiae, aut forte* IV. *Evangelia, et pyxis cum Corpore Domini ad Viaticum infirmis*.

Nunc alium quoque ritum, postquam e *Sacrario* Antistes ad Altare sese contulerat, juvat innuere ab Ordine VI. commemoratum hoc modo [6]. *Vt autem Diaconus legere incoeperit* (Evangelium), *duo Acolythi involuti in* Sacrario *a Custode Ecclesiae sacra vasa accepturi sunt, et ea in chorum portaturi, et alter cum calice corporali cooperto, et vino cum aqua mixta infuso in dextera parte, alterque cum patena in sinistra parte erit*.

1 T. I. de ant. Eccl. rit. ap. Mart. p. 101.
2 ib. p. 105. 109, et 113. 3 ib. p. 516.
4 In Tom. VIII. Concil. p. 33.
5 in T. II. Spicileg. Dacher. p. 260, et apud Ballerinios in edit. ejus opp.
6 num. 6. pag. 73.

§. IV.

De ritibus in Sacrario peragendis, majori hebdomada, et Festo Pentecostes.

Verum *major hebdomada*, quae etiam *magna, sancta, authentica, poenalis, poenosa, laboriosa, muta*, fuit appellata, ad se jamdiu nos vocat, ut praestantissimos ritus, qui sanctis illis diebus agebantur [1], separatim explicemus, iisque, quae supra [2] attulimus, adjiciamus. Atque ut a *Dominica Palmarum* exordiamur, rituale Suessionense [3] Corpus Christi sollemni pompa delatum ea die ob oculos ponit, et *aquam benedictam in Sacrario* fieri declarat. Pontificale Eccles. Pictaviensis ramorum benedictionis descriptionem hujusmodi verbis aggreditur [4]. *Dominica Indulgentiae, quae est dies palmarum, ante horam tertiam ingrediuntur in* Sacrarium, *et induunt se vestimentis sacris*. Pontificale Eccl. Bisuntinae ejusdem caeremoniae narrationem ita concludit [5]. *His omnibus finitis, induat se Domnus Archiepiscopus, et procedit e* Sacrario, *accinctus palleo, planeta rubicunda, aut ex purpura sanguinea*. *Feria* vero IV, *quod est pridie Coena Domini*, accipe ab Ord. I. [6], quid agendum erat. *Hora tertia conveniunt omnes Presbyteri, tam Civitatis, quam et de suburbanis, et omnis Clerus cum populo in Eccl. statuta infra Vrbem exspectantes Pontificem, qui semper in Eccl. majore per se orationes sollemnes ipso die, sicut in Sacramen-*

1 Sarnelli dell' Inno Gloria, laus, et honor, che si canta nella Domenica delle Palme, e perchè la Settimana seguente si chiama Eddomada maggiore? in T. IX. Lit. Eccl. p. 34. Joh. Faes. de hebdomade magna lib. tres. Bremae 1695. 4. Joh. Mich. Fischerus de sollemnibus veteris Eccl. ante Paschalibus. Lipsiae 1704. Godofr. Ludovicus diss. de Septim. Sancta. Lips. 1692. 4 et Joh. Frid. Mayerus Diss. de Hebdomada magna. Hamburgi 1695. 4, et Gryphisvald. 1706. 4.

2 pag. 229.

3 T. III. Martene p. 202.

4 ibid. T. III. p. 208.

5 ibid. p. 212.

6 §. II. p. 52.

tario continetur, complet. Qui dum veniens de Sacrario *processerit ante Altare ad orandum super Oratorium*. Quae quiquidem extrema verba vel in memorato Pontificali Eccl. Bisuntinae [1] obversantur.

Praeclariora sunt, quae *Feria* v. *in Coena Domini* in Ord. I. adnotantur. En tibi ejus verba [2]. *Hora tertia ingressi* Sacrarium, *induuntur dalmaticis tam Pontifex, quam omnes Diaconi, vel omni ornamento, sedente Pontifice in sella sua, et praeparantur ampullae duae cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balsamo, et commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam; illam vero alii ministri teneant plenam, et Pontifex, lotis manibus, procedit cum septem cereostata ad Missas*. Plane gemina sunt, quae in eodem Ord. paullo inferius [3] occurrunt.

Verum ritus miscitandi oleum cum balsamo *feria* v. *in Coena Domini*, dum Pontifex in *Sacrario*, *vel ante Sacrarium* sederet in *sella* sua, luculenter explicatur a Cajetano, qui hujusmodi caeremonias ex Ord. x, paucis immutatis, ita descripsit [4]. *Antequam D. Papa exeat de Camera, dicit Tertiam, et Sextam. Hora vero* vI. *exiit D. Papa de palatio cum Episcopis, et Cardinalibus, et toto apparatu Curiae, veniens ad Palatium majus, ubi solet esse hospitium. Episcopus Albanensis stans ibi in loco eminenti sermocinatur ad populum, et facit processiones, si fuerint faciendae, ut moris est. Peractis his omnibus descendit ad Eccl. Lateranensem, et intrat Ecclesiam, veniens* ante Sacrarium *ad Eccl. S. Georgii, et dicit ibi Nonam. Deinde tam Pontifex, quam Presbyteri, et Diaconi, et alii Clerici, et quisque induatur ornatu sui Ordinis. Pontifex induit vestimenta alba, Episcopi pluvialia,*

1 ibid. p. 226.

2 §. v. n. 30. p. 20.

3 §. III. p. 33.

4 §. LXXX. de officio feriae v. in Coena Domini pag. 354.

Presbyteri planetas, Diaconi dalmaticas pro reverentia chrismatis. Pontifex vero jam indutus dalmatica sedeat in sede sua, cui praesentetur ampulla, quae melior est, cum oleo ab acolythis, et balsamum cum oleo commisceat, nihil dicens, et conficiat. Omnes vero ampullae remaneant ibi, et diligenter custodiantur, quousque ad Altare portantur. Postmodum autem Pontifex lotis manibus, indutus planeta procedit cum Presbyteris, Diaconibus, et Acolythis, et omnibus Ordinibus, et habent in processione Crucem, Evangelium, septem Candelabra, turibulum cum incenso; et sic processionaliter pergant ad altare cum mappula. Nam licet initio tum Graeci, tum Latini simplici oleo pro Chrismate uterentur [1], VI. tamen seculo ineunte, balsamum, quod olim in Judea inveniebatur, oleo misceri caepit. Sed posteaquam Sec. XVI. novum ex Indis balsamum Hispani attulerunt, Paullus III. et Pius IV. [2] Latinis eo potius utendi potestatem fecerunt. Graeci vero, praeter balsamum, alias fere quadraginta aromatum species, quas singillatim enumerat Euchologium [3], oleo infundere, ac decoquere solent, illud prae oculis habentes Areopagitae [4], *magnam vim, et copiam fragrantium qualitatum.*

Verum, ut ad Ord. Rom. revertamur, hanc ipsam oleorum benedictionem, qua nihil toto anni cursu in Ecclesia, majori apparatu, ac pompa peragebatur, ita memorat alter Ordo Rom. [5]. *Exspectante vero in sede sua Pontifice, veniunt ad* Sacrarium XII. *Presbyteri, et ceteri Clerici, quantum opus sit, ad deferendum cum omni decore Oleum Chrismale, et etiam Oleum Catechumenorum, et Neophytorum usque in Ecclesiam*

1 Gregorii M. comment in c. I. Cantic. Mich. Amati diss. de Opobalsamo. Alex. Aur. Palliccia de Chr. Eccl. Pol. T. 1 p. 33.

2 Conrinch. de Sacram. Quaest. LXXII. art. IX. Dub. 2. num. 40.

3 de Chrism. conficiend.

4 de Eccl. Hier. cap. IV.

5 in T. III. Pontif. Catal. p. 69.

ante Episcopum. Sunt etiam parati iidem Presbyteri, et cum eis ceteri Clerici casulis, et sollemnibus vestimentis. Tunc duo Acolythi accipientes illas duas ampullas, quae ad Chrisma, et ad Oleum Catechumenorum consecrari debent, involutas cum sindonibus de albo serico, ita ut videri possint a medio, teneant in brachio sinistro, projectis sindonibus supra scapulam sinistram, ita ut pertingant ad scapulam dextram, quatenus possint dependentia retineri, et procedant. Et ordinent se illi Presbyteri, et praedicti Clerici rite, et ordinabiliter, ita ut primum ambulent duo Acolythi cum Candelabris, et ardentibus cereis. Deinde portentur duae Cruces, et inter illas medium Chrismale oleum. Post eas portentur duo turibula cum incenso, et inter illa, sicut praediximus, medium oleum Catechumenorum. Deinde portetur Evangelium, ut impleatur omne bonum. Postea sequantur bini, et bini illi duodecim Presbyteri testes, et cooperatores ejusdem sacrosancti chrismatis mysterii. Tunc vero subsequentur pueri in laudem ejusdem mysterii concinentes hos versus, audi Judex mortuorum, una spes mortalium. Eadem habentur in Pontificalibus Bisuntino [1], Apamiensi [2], Bellovacensi [3], Barensi [4], et Gul. Durandi [5], quorum verba nimis longum esset referre. Hae autem ampullae, teste Ord. x. [6] *reportabantur processionaliter, sicut fuerunt adductae, ad* Sacrarium, *vel locum, ubi sedere debent*. Quem quidem reditum iisdem fere verbis describunt Cajetanus [7], Petrus Amelius [8], et Pontificale Romanum [9].

Sed, antequam alia expendamus, heic placet comme-

1 ibid. et in T. III. de ant. Eccl. rit. pag. 307. 308. 309.
2 ibid. pag. 324. 325.
3 ibidem, et in T. III. de ant. Eccl. rit. pag. 310. 312. 315.
4 ibidem pag. 83. ex Cod. Vatic.
5 ibid. p. 85. 86. ex Cod. Bibl. Angelicae, et ex eod. monasterii S. Albini Andegavensis apud Martene T. III. de ant. Eccl. rit. pag. 258. 259.
6 num. II. pag. 101.
7 loc. cit. p. 356.
8 §. LXVI. de offic. chrismatis p. 489.
9 T. III. edit. Catalani p. 64. 80.

morare pium fidelium usum, hac ipsa die offerendi ampullas oleo repletas ad Chrisma conficiendum, oleumque pro cathecumenis, et energumenis benedicendum, ut praeter alios [1], luculenter testatur liber Sacramentorum Gregorii M. ex Bibl. Bellovacensi, ubi haec habentur. *In ipso die conficitur chrisma in ultimo ad Missam. Antequam dicatur*, per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, *lavantur de ampullis, quas* offerunt populi, *et benedicit tam D. Papa, quam omnes Presbyteri*. Praeterea heic obiter adnotandum est, Seculo xI. morem inolevisse, ut si hujusmodi caeremoniae in Bas. Vat. peragendae essent, ampullae haud amplius in *Sacrario*, sed *ante Sacrarium* in *Cella S. Gregorii* reponerentur, quemadmodum in sequenti libro, ubi de *Cellis Gregorianis* disseremus, pluribus demonstrabimus.

Quod vero ad ceteras spectat Ecclesias, omnes libri Pontificales Rom. Ordinum praescripto inhaerentes mandant, ut, peracta Chrismatis benedictione, ampullae [2] *eodem ordine, ac decore, quo adscenderant in Ecclesiam, redeant ambae in* Sacrarium. Porro Pontificale Moguntinum indicit, ut [3] *ordinent se Ostiarii, Acolythi, Subdiaconi, et Presbyteri praedicti cum luminaribus, Cruce, turibulo, et textu Evangeliorum, et reportent ad* Sacrarium *tres istas ampullas, videlicet oleum infirmorum, et sacrum Chrisma, et sanctum oleum catechumenorum*. Eadem habet Pictaviense, quod ita pompam absolvit [4]. *Tunc Pontifex revertatur in* Sacrarium *cum ordine ministrorum sibi obsequentium, praecedente eum Acolytho cum Chrismate*. Iisdem concinunt alia Pontificalia [5],

1 Alcuinus in lib. de div. offic., Wal. Strab. de reb. Eccl. c. xxIv., Honorius Augustod. lib. IIII. c. xxIII.

2 in T. III. Pontific. Catalan. pag. 80.

3 ibid. annor. circa D.

4 ibidem annor. circa CM.

5 V. Pontif. Eccl. Paris. Tom. III. de ant. Eccl. rit. p. 262, 263, 264, Sues-

ac praecipue Arelatensia [1], ubi et illud adjicitur, *ut Archiepiscopus descendat in* Sacrarium *mandans Presbyteris, ut juxta Canones Chrisma sub sigillo custodiant, et nulli sub praetextu medicinae, vel maleficii tradere praesumant; quod si fecerint, honore priventur*. Tanta erat reverentia, qua sacrum Chrisma prosequebantur! Si quis vero de hac sacrorum oleorum benedictione, de qua plura congessit Fortunatus Scacchus [2], ac de ceteris Feriae v. sanctissimis Caeremoniis alia etiam cuperet, is, omissa absque ullo dispendio Joh. Gasp. Zeumeri dissertatione *de die viridium* [3], adeat *exercitationes selectas* eruditiss. Eman. de Azevedo *de divino officio, et de Sacrosancto Missae Sacrificio* nuper in lucem editas [4], ubi haec fuse explicantur.

Sed, antequam aliô progrediamur, minime omittendum est, vetustissimis temporibus ampullam Chrismatis ante Pontifices, quocumque incederent, ab Acolytho fuisse praelatam, ac praesertim, quum sese ad Vrbis aedes sacrum sollemne celebraturi conferrent. Id enim Ordo I. diserte testatur hujusmodi verbis [5]. *Vnus autem ex Acolythis stationariis praecedit pedester equum Pontificis, gestans sanctum* Chrisma *manu in mappula involuta cum ampulla*. Itemque alio loco [6]. *Acolythi autem, qui inde fuerint, observant, ut portent* Chrisma *ante Pontificem*. Quid ita? quod nempe Episcopis, iisque, quibus baptizandi cura erat imposita, nusquam sine Chrismate incedere licebat, ut antiquissimae consuetudini insistens sanxit Con-

sionensis, ibid. p. 81, 269, 332, 334. Moguntinae, ibid. p. 341. Pictaviensis, ibid. p. 397, 302, 303. Rememsis, ibid. p. 244, 248, 254. Senonensis, ibid. pag. 247. Mediolanensis, in T. 11I. Pontif. edit. Catal. pag. 346. Conchensis in Hispania, ibid. p. 255, 257. Egberti Archiep. Eboracensis, ibid. pag. 303. Monasterii S. Germani a Pratis, ibidem pag. 316, 320, 322.

1 ib. et in T. 11I. de ant. Eccl. rit. p. 247.

2 in Eleochrismatum myrothecio.

3 Jenae 1700. 8.

4 in Exer. XLV. p. 321. Venet. 1783. fol.

5 num. 2. p. 4.

6 n. 3. p. 5.

cilium Arausicanum I. [1] . *Nullum ministrorum , qui baptizandi recepit officium , sine chrismate usquam debere progredi , quia inter nos placuit semel chrismari* . Ac propterea sollemne erat Episcopis , quorum jurisdictio medio aevo *Chrisma* [2] appellari consuevit, quamque Synesius ἐλαίου , et ἐλαίας , *Olei*, et *Olivae* symbolis adumbravit , quoties peregre proficiscerentur , oleum benedictum una secum deferre , ut pluribus auctoritatibus [3] probavit Mabillonius [4] .

Jam vero ad *Feriam* vI. *in Parasceve* , a Tertulliano *Pascha* appellatum , quod ea die *Christus* , *Pascha nostrum* , *et agnus immolatus est* , sermonem convertamus . De hac die *magnae Parasceves* , *sexta Sabbati* , aut *Feria* vI. *magna* quandoque nuncupata , disputationem historicam edidit Christianus Clajus [5] multis erroribus inquinatam . Nos ea dumtaxat huc afferemus , quae ad nostrum institutum propius spectare videntur . Ac primo singularis ritus commemorandus est furtim ab altari auferendi linteamen , quo coopertum erat , dum versus ille legeretur , *partiti sunt vestimenta mea* . Hunc plura Pontificalia describunt [6]. Sed instar omnium erit Pontificale Eccl. Pictaviensis [7] , cujus haec sunt verba . *Ad gradualis inchoationem procedunt tres Diaconi de* Sacrario , *induti planetis* , *sine turibulis* , *et cereis* , *et Subdiaconibus* , *et Evangelio* , *qui simpliciter venientes ante Altare post orationem suam* , *stant juxta morem in locis suis* . . . . .

1 an. CDXLI. Can. II.

2 Ducang. in v. chrisma .

3 Capitularia Regum Francorum lib. v. c. CLXXVIII. de vita S. Germani Paris. Episc. apud Vanantium Fortunatum , in c. XLVII. in ejus opp. app. et in Sarii Vitis SS. die 28. Maii p. 314. et in T. vI. Maii Bolland. p. 774. , et S. Ethelvvoldi Wintoriceusis , in Secul. v. annal. Bened. c. xxxII. p. 617. in T. I. Aug. Bolland. p. 88. at apud Surium d. I. Aug. p. 23.

4 in praefat. sec. I. Benedict. num. cI.

5 Lipsiae 1697. 4.

6 Eccl. Romanae , T. III. de ant. Eccl. rit. apud Mart. p. 374 , Bisuntinae. ibid. pag. 380. Andegavensis , ibidem pag 383. Viennensis in Gallia . ibid. pag. 391. et Monasteriorum Corbejensis , ibid. T. IV. p. 392. et S. Germani a pratis. ibid. p.382.

7 ibidem pag. 375.

Duo Diaconi non praecincti, nec de illis prioribus, qui ad processionem ierant, sed qui inchoata passione, induti planetis ad Altare ad hoc ipsum deputati adscenderant, stantes ex utraque parte juxta cornu Altaris, more furum, exspoliant illud corporalibus pallis, *quibus paullo ante fuerat coopertum, et subtiliter eas sub planetis colligentes, gradatim illico ab Altari descendunt, deferentes eas latenter in* Sacrarium.

Neque praetereunda est Crucis adoratio, quam ritus Eccl. Toletanae ex Missali Mozarabum [1] ita describunt. *Dum Clerus, et Populus adorant Crucem, Sacerdos cum ministris descendat ad* Sacrarium, *et ibi se calcient. Et Presbyter accipiat casulam nigram, et Diaconus, et Subdiaconus dalmaticas nigras, et veniat ad portam chori*. Verum ritus Eccl. Mediolanensis ex Missali Ambrosiano haec praeseferunt [2]. *Dicantur sexta, et nona. Postea ingrediantur* Sacrarium, *et Crux praeparata benedicatur a Sacerdote hoc modo .... deinde egrediantur de* Sacrario *portantes honorifice Crucem in medium Ecclesiae ..... adorata vero Cruce revertantur in* Sacrarium *portantes Crucem honorifice ..... et quum in* Sacrarium *pervenerint, dicat Presbyter*. Id etiam, ut praeteream consuetudines Laudunenses S. Vincentii [3], factum fuisse scimus a Monachis S. Germani a Pratis, quorum consuetudines Crucis adorationem ita exponunt [4]. *D. Abbas ibit adoratum Crucem, et nos quilibet communiter in suo Ordine. Quando Crux fuerit adorata, ille, qui eam tenuerit, veniet ipsam adoratum, et unus alius accipiet ipsam; quando ipsam adoraverit ipse, accipiet ipsam inter manus suas, et portabit eam in* Sacrarium, *cantando istam Antiphonam*, Super omnia ligna cedrorum.

1 T. III. de ant. Eccl. rit. pag. 400.
2 ibid. pag. 403. 404.
3 T. IV. Martene p. 399.
4 T. IV. Martene p. 396.

Digitized by Google

Verum, ne a romanis Ord. discedamus, huc certe, praeter ea, quae supra [1] attigimus, revocanda sunt illa Ord. I. verba [2]. *Feria vI. . . . . hora tertia conveniant omnes Presbyteri, tam Civitatis, quam de Suburbanis, et omnis Clerus cum populo in Ecclesia statuta infra Vrbem, non tamen in majore Ecclesia: et exspectant Pontificem, vel qui vicem illius tenuerit. Qui dum veniens de* Sacrario, *processerit ad orandum super oratorium, ut mos est*. Antiqui ritus Eccl. Rom. in *Parasceve* ita auspicantur Ordinem feriae vI. Passionis Domini [3]. *Hora* IX. *procedunt omnes ad Ecclesiam, et ponitur sancta Crux super Altare, et egreditur Sacerdos de* Sacrario *cum sacris ordinibus, cum silentio nihil canentes*. Paria sunt, quae profert alter Ordo vetustissimus, quibus concinunt antiqui aliarum Ecclesiarum ritus [4], continens ejusdem Ecclesiae ceremonias [5]. *Hora* IX. *procedit Pontifex, vel qui vices illius tenuerit in Ecclesia, et Diaconi, ac reliqui Ecclesiae ministri ingrediuntur in* Sacrario, *et induuntur se vestimentis nigris*. Quae vero sequuntur in Ord. I. de ejusdem diei usibus, etsi jam aliô [6] attulimus, heic rursus exhibenda sunt ex Cod. Vindovicensi optimae notae desumpta, ubi nonnullae variationes occurrunt in hunc modum [7]. *Cruce salutata, et reposita in loco suo, duo Subdiaconi, et Presbyteri duo Priores intrent in* Sacrarium, *vel ubi positum fuerit Corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes illud in patenam; et Subdiaconus teneat ante ipsos Calicem cum vino non consecrato, et alter Subdiaconus patenam cum cor-*

1 pag. 231.
2 §. vI. n. 34. p. 22. et n. 8. pag. 34.
3 T. III. de ant. Eccl. rit. apud Mart. p. 370.
4 Catalaunensis, ibid. p. 378. Bisuntinae, ibid. p. 379., Monasterii S. Germani a Pratis, ibid. p. 381., Andegavensis, ibid. pag. 383, et Codicis Bibl. Colbertinae, ibid. pag. 390.
5 ibid. pag 372.
6 p. 231.
7 apud Mabill. in Comment. p. LXXVII. et num. 8. pag. 55.

pore Domini, quibus tenentibus accipiat unus Presbyter prior patenam, et alter calicem, et deferant super Altare nudum. Eadem occurrunt in Pontificali Eccl. Senonensis ann. circiter DC, ubi praeterea injungitur [1], *quod in Altari coram Pontifice adsint* IV. *hostiae consecrandae, quarum unam sumet idem Pontifex, alteram, ac tertiam duobus Presbyteris Canonicis impertiat, reliqua vero hostia pro crastino servitio in* Sacrario *a Pontifice deportetur*. Verum antiquissimum Sacramentarium a Carolo M. Gellonensi monasterio concessum, itemque Sacramentarium Gelasianum hac die, Presbyterorum vice, a Diaconis dumtaxat Corpus Domini e *Sacrario* ad Altare delatum fuisse dicunt, quod utrobique, etsi sub unica specie reservatum, tamen *Corpus, et Sanguis Domini* appellatur. Haec sunt utriusque Sacramentarii verba [2]. *Istas orationes suprascriptas expletas, ingrediuntur Diaconi in* Sacrario, *et procedunt cum Corpore, et Sanguine Domini, quod ante die remansit, et ponunt super Altare*. Ex quibus aperte, ni fallor, erui potest, antiquitus *Eucharistiam* feria V. in Caena Domini reponi in *Sacrario* consuevisse, ut deinde super Altare intra Ecclesiam deferretur; ac fortasse, ut saltem ea die antiquissimi usus Eucharistiam e *Sacrario* ad Altare transferendi memoria veluti quaedam retineretur, ac quotannis reviviseceret. Cujus quidem usus, praeter ea, quae supra [3] attulimus, exstat luculentissimum testimonium Caeremonialis Casalinorum, ubi legimus [4]. *Quoties sub missa conventuali pretiosissimum Christi Corpus e* Sacrario, *ubi reponi consuevit, super Altare fuerit deferendum, postquam cum Presbytero ministri ex integro dixerint* Credo, *Diaconus ipse, praecedente Subdiacono cum turibulo, quod sem-*

1 T. III. Pontif. Rom. edit. Catal. p. 61.
2 ibid. in Comment. p. LXXI.
3 pag. 219.
4 cap. XVIII. apud Mart. T. IV. p. 169.

per est adhibendum, etiam die privata, si contingat pretiosissimum Christi Corpus a loco suo transferri, sive deponi, ceroferariis tamen cum duabus taedis versus Sacrarium *praeeuntibus, ac omnibus genua flectentibus, illud incenset*. Etsi enim quandoque, ut habent antiquae Vdalrici consuetudines [1], dum vesperae in choro praecinerentur, *Dominicum Corpus recondebatur a Sacerdote retro Altare*, in allatis Ord. Rom. et duplicis Sacramentarii verbis, *Sacrarii* vox pro *Altari* minime est accipienda, quum una ab altera satis aperte distinguatur; nisi tamen putemus, heic de uno ex iis Templis sermonem fieri, quae, uti vidimus [2], vel ipsum *Sacrarium majus* circa absidem habebant. Quod quidem alicubi fieri consuevisse docent verba Ord. Eccl. Rotomagensis, ubi ait [3]. *Dum vesperae cantantur, hostiae, quae remanserant, deferantur a D. Archiepiscopo cum cereis, et torcheis in* Sacrarium, *quod est retro Altare; et ibi sit cereus continuo ardens usque in crastinum post adorationem Crucis*.

Sed ad confirmandum vetustiorem usum in *Sacrario majori* Domini corpus recondendi, alia quoque testimonia mirifice conducunt. Talia sunt illa Pontificalis Suessionensis [4]. *Sciendum, quod die ista tres hostiae proponuntur in Altari, una pro praesenti missa, altera pro crastina, tertia reservatur usque ad diem Resurrectionis, quae deferantur a Diacono ad* Sacrarium *in vasculo, quod dependet super Altare, et ibi reserventur, cereo ante accenso*. His etiam consonat liber Sacramentorum in S. Dionysii Cimelio adservatus referens [5]. *Post sollemnes orationes Diaconus cum Subdiacono, et Acolytho vadit ad* Sacrarium. *Diaconus accipit pridie ibi repositum Corpus Domini in patena, quae sit in Corporali involuta*. Eumdem ritum pari modo describit Ordinarium Cenomanen-

1 l. 1. c. 11. 2 pag. 160. 3 ibid. p. 275. 4 p. 332. 5 ibid. p. 361.

se [1]. *Deinde intret Diaconus* Sacrarium, *et accipiat Corpus Domini, quod pridie remansit, ponens illud in patena, tribuatque Subdiacono*. Haec etiam aliis confirmare possem auctoritatibus [2], quas, ne liber nimis excrescat, consultus omittam. Id unum dumtaxat adjiciam, *Christi Corpus* in crastinum diem in *Sacrario* reconditum, clavi obseratum, ut colligimus e Missali Augustodunensi [3], et apud Mozarabes cum cera duobus sigillis obsignatum fuisse, *ad similitudinem sepulcri Dominici, quod Pilatus signari jussit cum custodibus*.

Jam vero accipe, quid *Sabbato magno*, sive *Vigiliis Paschatos* Pontifex agere in more habebat. *Hora nona*, inquit [4] Ordo I, *ingrediuntur* Sacrarium *Pontifex, Sacerdotes, et ceteri, et induunt se vestimentis, cum quibus vigilias celebrare debent, et accenso cereo, procedunt simul omnes de* Sacrario *cum ipso cereo in Ecclesiam cum silentio, nihil cantantes, et ponitur in Candelabro ante Altare*. Amalarius duos fuisse cereos, qui in *Sacrario* accendi solebant, ac a duobus Notariis gestari consuevisse tradit, inquiens [5]. *Et tunc illuminantur duo cerei, tenentibus duobus Notariis*. Quod etiam legimus in Ord. VII, ubi haec habentur [6]. *Procedit Pontifex de Ecclesia cum omni ordine Sacerdotum, letaniam cantantes, hoc est* Kyrie eleison, *usquedum veniunt ad fontes, praecedentibus ante eum Notariis cum* duobus *cereos ardentes, staturam hominis in altum habentes cum turabulis, et thymiamateriis*. Quae quidem in appendice ejusdem I. Ord. memorantur, ubi legas [7]. *Et procedit Pontifex de* Sacrario

1 ibidem pag. 366.

2 V. Pontificalis Eccl. Rom. ibid. p. 371. Casalaunensis, ibid. p. 379, Bisuntinae, ibid. p. 383. Andegavensis, ibid. p. 383. Suessionensis, ibid. p. 389, Argentinae ibid. pag. 394, et Codicum Bibliot. Colbertinae, ibid. p. 390, Carnotens. Monast. S. Petri. ibid. p. 276. et Ordinarii Cassinensis, ibid. Tom. IV. pag. 398.

3 ibidem pag. 276.

4 §. VII. n. 39. p. 25.

5 in l. I. c. XX.

6 n. 10. pag. 82.

7 num. 45. p. 28.

cum duo cereostata, unde, sicut superius diximus, stant sicut antea a dextris, et a sinistris Altaris. Haec eadem totidem verbis paullo infra [1] confirmat, ubi tamen *duo* cereostata, quae in *Sacrario* fuerunt illuminata, *ex igne de feria* vI. *reservato* [2], semper ante Pontificem praelata fuisse docet. *Sabbato Sancto*, quae sunt ejus verba [3], *veniunt omnes in Ecclesiam, et tunc inluminantur duo cerei, tenentibus duobus notariis, unus in dextro cornu altaris, et alter in sinistro. Et ascendit Lector in ambone. Non pronunciat*, Lectio libri Genesis, *sed inchoat*, in principio, *plane. Similiter etalias Lectiones. Ante* in principio *non dicit orationem. Post expletas orationes, et lectiones, statim veniens unus minister, tenens ampullas in manibus suis, stans in dextro cornu Altaris; et tunc ascendit ipse praecedens Pontificem ad fontes. Tunc deinde Schola descendit ad fontes ad Letaniam faciendam, exspectantes parationem Pontificis; et non finiunt Letaniam, dicentes* Agnus Dei *semper, usque dum Pontifex venerit, et annuat eis, ut sileant. Secundus vero Scholae tenet vas aureum in manu sua sinistra super planetam, unde Pontifex mittat chrisma in fronte. Deinde Pontifex procedit cum omni decore sustentatus duobus Diaconibus, et illa duo cereostata, quae ante fuerunt inluminata, semper ante ipsum praecedunt, usque dum omnia finierit. Mox ut venerit ante fontes, stans benedicit fontes, ut mos est. Hic primum Crucem facit*, qui hanc aquam, *cum manu sua dividens aquam in modum Crucis, secundam*, unde benedico te, *similiter tertiam, benedico te* per Jesum Christum. *Post fontes benedictos mittit chrisma cum vase aureo, et aspergit aquam cum manu super populum. Tunc baptizat, et in* Sacrarium, *exspe-*

1 num. 10. pag. 36.
2 Amalar. de Ord. Antiph. cap. XIV.
3 num. 9. pag. 35. et in lib. de divin. offic. apud Alcuinum c. de Sabbato.

ctans, ut, quum vestiti fuerint infantes, confirmet eos. Deinde Schola jussa facit Letaniam ante Altare, primam septenam, spatio facto faciunt alteram quinam, intervallo facto faciunt tertiam ternam. Et dum dicitur Agnus Dei, *magister Scholae dicit excelsa voce* Accendite, *et tunc inluminatur Ecclesia. Et procedit Pontifex de* Sacrario *cum duobus cereostatis, unde superius diximus, et stant sicut antea a dextris, et sinistris Altaris.*

Itaque ex his praecipue animadvertas, velim, *Confirmationem* in *Sacrario* fuisse olim administratam, ut etiam ex libro Sacramentornm S. Gregorii, et ex alio Ordine colligimus ab Hittorpio in lucem edito, cujus haec sunt verba [1]. *Pontifex ergo egreditur a fonte in* Sacrarium, *habens ibi compositam sedem, vel in Ecclesia, ubi voluerit, et sedeat in ea, ut, quum vestiti fuerint infantes,* confirmet *eos, et deportantur ipsi infantes ante eum, et dat singulis stolam candidam*. Nam sacro lavacro recens ablutos infantes, seu Catechumenos, veluti novos Christi Athletas contra Daemonem pugnaturos, oleo ἱεροχρίστῳ Episcopus ungebat [2].

Praeterea vix *Agnus Dei* concinebatur, magister Scholae luminaria jubebat accendi, ac subinde Pontifex e *Sacrario* ad Altare procedebat, rem divinam acturus de nocte, ut ritus antiqui usus postulabat. Testem profero

1 p. 75, et ap. Martene T. I. de ant. Eccl. rit. p. 245, et Trombelium de tempore, et loco Confirmationis. T. II. p. 369.

2 Jos. Vicecomes in observationib. Eccl., in l. v. de Missae rit. Mediol. 1618. 4. Holstenius de forma, et ministro Sacrementi Confirmat. ap. Graec. Romae 1666. 8, et in opp. postumis Joh. Morini. Paris. 1703. 4. Nat. Alex. in diss. de Sacram. Confirmat. contra Joh. Dallaeum. in hist. Eccl. T. III. p. 418. Paris. 1714. fol. Mich. Ametus de Opobalsami specie ad Sacr. Chrisma conficiendum requisita. Neapoli 1727. 4. Jos. Aug. Orsi de Chrismate Confirmatorio. Mediol. 1733. 4. Trombellius loc. cit. Joh. de S. Boeuve de Sacram. Confirmationis, et Unctionis extremae. Paris. 1686. 4. Godofr. Wegnerus de Confirmat. Catechumenorum in vet. Eccl. Regiom. 1692. 4. aliiq. plures, quos longum esset recensere.

Alcuinum, apud quem de *Sabbato S.* haec legimus [1]. *Egreditur Pontifex de* Sacrario *cum ingenti decore, et praedicta cerostata ante illum cum thymiamateriis, et quum dixerit schola* Agnus Dei, *dicat Cantor excelsa voce* accendite. *Tunc primum illuminantur omnes Cerei Neophitorum, quos manibus tenent, demonstrantes hoc, quod per illum Agnum, qui tollit peccata mundi, unusquisque lumen recipere debeat* [2].

Verum Eccl. Mediolanensis diverso ritu cereos accendebat, ut ex hisce Missalis Ambrosiani verbis apparet [3]. *Benedictio ignis fit in* Sacrario [4], *et debet haberi ignis novus .... Subdiaconus associatus a Custode eat in* Sacrarium, *et ex eo igne novum, et benedictum portet lampade, et ex illo accendatur Cereus magnus Paschalis, et deinde alii Cerei*. Singularis vero est usus Eccl. Toletanae in Missali Mozarabum, ita descriptus. *Accedunt Abbates, Presbyteres, Diacones, Clerus, omnisque populus per gradus suos ad Episcopum, et accipiunt ab eo ceram. Diacones vero locale accipiunt ab eo, et* XII. *cereos, et stantibus in locis suis ingreditur Episcopus cum Diaconibus tantum* Sacrarium, *et clausis ostiis, vel fenestris, ac velis, ut ne modicum quidem lumen a foris videatur. Offertur vero Episcopo petra, et esca, et excussorium ignis. Et cum ipse manu sua mox ignem excusse-*

1 Martene in Tom. I. de ant. Eccl. rit. p. 151.

2 Hanc consuetudinem, praeter Augustinum T. X. edit. Bened., et Amst. Serm. CCXIX. CCXXIII. p. 670. Lactantium l. VII. c. XIX. Mabillonium in Comm. p. XCVII. aliosq. qui peculieres diss. de Vig. Paschalibus ediderunt. egregie illustrarunt Cotelerius ad l. V. c. XIX. Const. Apost. Beveregius ad Can. LXVI. Apost. Valesius ad Euseb. p. 35. Gasp. Sagittarius in c. III. de Natalitiis MM. Georg. Henr. Goetzius in diss. hist. de Vigil. Paschalibus Vet. Christianor. Lips. 1687. 4. Joh. Mich. Fischerus in diss. hist. sistente sollemnia veteris Eccl. antepaschalia. Lipsiae 1704. 4, et Mich. Krausius in dissertat. de pervigilio Paschatos αναστασιμου. Lipsiae 1714. 4. Joh. Faes de Cereis Paschalibus. in l. de Cereis Baptismalibus p. 166. Joh. Andr. Schmid. de Cerea Paschali. Helmst. 1695. 4.

3 ibid. T. III. p. 471. 472.

4 Nic. Serarius de igne Paschali, et Joh. Reischius de eod. argum. Francof. 1696. 8.

rit, accenditur stuppa, et inde candela, et ex ea iterum lucerna, tenente eam Diacono, qui post eam in choro benedicturus est, et nullo suo cereo concedente. Sed praecedentes Diaconi lucernam, et Episcopus sequens eam, ingreditur processum.

Ceterum, insequutis temporibus, in Eccl. Rom. ritus accensionis Cerei, qui nuncupatur *Arbor Paschalis* in Statutis Eccl. S. Audomari [1], immutatus est. Et sane Cajetanus in Ord. XIV. refert [2], post novi ignis benedictionem a Presbyterorum Card. juniore peractam, a juniore Diaconorum Card. dalmatica induto *lumen Christi* [3], et *magnum cereum* accendi consuevisse. *Interim autem*, ita pergit idem Cajetanus, *dum Cereus benedicitur, Pontifex dicat Tertiam, et Sextam in Camera sua. Nonam vero dicat in Ecclesia. Dictis ipsis calceatus induitur omni ornatu suo quadragesimali Episcopi pluvialibus, Presbyteri, et Diaconi planetis, Subdiaconi vero non planetis, sed tunicis induuntur, ut compositi induti sint, ut magis expediti ad lectiones legendas. Tunc Pontifex cum omnibus egressus a* Sacrario, *praecedente eum Subdiacono cum Cruce, et alio Subdiacono cum Evangelio processionaliter, cum silentio tamen procedit ad Altare*. Verum, praetermissis aliis testimoniis [4], haec omnia praestat accipere a Petro Amelio, cujus locum, etsi paullo prolixiorem, tamen ad hujusmodi rituum illustrationem maxime accomodatum ne pigeat audire. *Facta*, inquit [5], *benedi-*

1 ann. MCDXXII.

2 §. XCIV. Ord. Officii de Sabbato S. p. 372.

3 Nic. Ryaeus de more cereum bisulcum, vel trisulcum manu inter benedicendum gestendi. in Diss. praeliminari ed T. II. ect. SS. Junii p. 63. Pomp. Sarnelli del Dichirio, e del Trichirio del Vescovo Greco, e de' loro misterj. nel lume a' principianti nelle mat. Eccl. e Scr. Nap. 1723. 8.

4 MS. Cod. Bibl. regiae T. III. de ant. Eccl. rit. apud Martene p. 427. 428. Pontif. Eccl. Pictaviensis. ibid. p. 434. Bisuntinae. ibid. p. 442. 443. 444. S. Germani e Pratis ibid. 444. 448. Apamiensis in Syria. ibid. p. 449. Suessionensis. ibid. pag. 453. Toletanae. ibid. p. 468.

5 §. LXXVIII. de Officio Sabb. Sancti. pag. 496.

etione cerei Papa descendit de sede illa, et vadit ad Revestiarium *longe ab Altari paratum, si sit; alias vero, si non sit, ibidem calceatur sandalia, legendo* Quam dilecta, *quae debent esse alba cum perlis, quia ea non mutat. Deinde induitur omni ornatu suo quadragesimali violacei coloris, scilicet alba absque paramentis, cinctorio, et succinctorio albi coloris, pectorali, fanone, stola cum perlis (et ista non mutat) tunicella, dalmatica violacea (iuterdum vestes istas duas propter taedium exspoliandi, et induendi Romani Pontifices consueverunt portare albi coloris; verumtamen totum stat in beneplacito eorum) planeta violacea* per Diaconum Cardinalem, qui fecit benedictionem cerei, *stantem in alba tantum cum stola. Et postquam Papa chirothecas induerit, omnes Cardinales paramenta sua recipiunt, videlicet Episcopi cottam, amictum latum, et pluvialia; sed planetas violacei coloris recipiunt; et etiam ipse Diaconus Cardinalis, qui induit Papam, Papa induto induit sibimet planetam violaceam, sicut et alii Diaconi Cardinales: Subdiaconus vero non planeta, sed tunicella alba utitur in toto officio, et in Missa, ut magis sit compositus, et expeditus ad legendas lectiones, et alia, quae sibi illa die agenda incumbunt. Omnibus paramentis receptis, et mitra Papae praedicta reposita per Diaconum Cardinalem, recipit annulos, scilicet pontificalem, et minorem de manu Episcopi, vel Presbyteri Cardinalis sibi in officio, vel in Missa de libro servientis. Deinde Papa processionaliter vadit ad sedem suam magnam praedictam, longe ab altari cum silentio, assistentibus sibi cum duobus Diaconis Cardinalibus praedictis antiquioribus. Hoc sane intelligas, si induatur in* Sacrario, *seu* Revestiario, *ibidem etiam sic processionaliter vadit. Quod si Papa induatur in ipsa Cathedra, et non in* Revestiario, *ibidem etiam sedet duobus Diaconis Cardinalibus, et*

Digitized by Google

Presbytero Cardinali sibi in officio, et Missa servienti ante eum super scabellus, ut moris est; aliis vero Diaconibus Cardinalibus ante Altare in loco solito sedentibus. Similiter et omnes alii Cardinales sedent in locis suis, prout est consuetum.

Hac eadem die triplex, lectionibus absolutis, decantabatur litania, septena nimirum, quina, et terna. Ecclesiae Laudunenses, Turonenses, Silvanectenses, Catalaunenses, Lemovicenses, Gastinenses, septenam, et quinam ante fontis benedictionem recitabant, singulas invocationes septies in prima, quinquies in altera repetentes, tertiam vero post fontis benedictionem. Sed in Eccl. Lingonensi alius erat Litaniarum ordo. Dum enim in *Sacrario* novus ignis benediceretur, septena canebatur; quina post recitatas lectiones, terna post fontes benedictos. Inversum vero litaniarum ordinem exhibet vita Sancti Vdalrici Episcopi Augustensis, ubi traditur [1]. *Ad sacrum officium sollemniter se praeparavit, et totum clerum hora diei nona cum eo paratum esse destinavit, statimque perlecta trina litania, cereoque sanctificato, lectionibusque, et tractis consummatis, cum prima letania, et cum omni honore ad baptismum consecrandum, ad Eccl. S. Joh. Baptistae perrexit, baptizatisque ab eo tribus pueris cum septena litania, regressus est in* Sacrarium *ad missam se praeparandum, clero interim psallente in choro.*

Heic autem memorandus est etiam ritus vetustissimus Eccl. Rom. numos hac die ex cera alba conficiendi, ac benedicendi, imaginem Agni Dei referentes, quem Durandus [2] ita describit. *Hac die Acolythi Rom. Eccl. faciunt Agnos de cera nova benedicta, vel de cera cerei Paschalis anni praecedentis admixto chrismate, qui in Sabbato in albis in Eccle-*

1 T. III. de ant. Eccl. rit. Martene p. 418. 2 lib. VI. cap. LXXIX.

tiis per D. Papam populis distribuuntur. Ejusdem usus ita meminit Amalarius [1]. *Romanus libellus narrat, eodem die benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri Agnos, eosque reservari usque in Octavas Paschae*. Sed ipsius Ord. Rom. verba audiamus [2]. *In catholica Ecclesia infra Civitatem Romanam, mane prima Sabbato S. in Lateranis, venit Archidiaconus in Ecclesia, et fundit ceram in vas mundum majorem, et miscitat ibidem oleo, et benedicit ceram, et ex ea fundit in similitudinem Agnorum, et servat eos in loco mundo. In octabas vero Paschae dantur ipsi Agni ab Archidiacono in Eccl. post Missas, et ex eos faciunt in domos suas incensum ad suffumigandum pro qualecumque eis eveniente necessitate*. Ceterum hujusmodi Agnorum distributionem, quam primitus idem Archidiaconus praestabat, insequenti aetate a Pontifice peractam fuisse auctor est Benedictus Canonicus, qui rem ita exponit [3]. *In Sabbato S. mane surgit Archidiaconus, et miscitat oleum, et chrisma annotinum in cera munda. Acolythus conficit eam, et colat, et facit ex ea in similitudinem Agnorum, quos Dominus Pontifex expendit in Sabbato in albis*. Hoc idem alibi [4] confirmat, eique concinunt Cencius [5], et Amelius [6]. Verum luculentius hujusmodi ritum descripsit Cajetanus, qui praeterea haec adjecit, quae nos ad haec proferenda impulerunt [7]. *Finitis lectionibus, tractibus, et orationibus, et omnibus lampadibus Ecclesiae tunc accensis, Pontifex, vel Sacerdos descendit ad fontes, praecedentibus eum Clericis Letaniam decantando, et tractum* sicut cervus. *Quibus expletis*,

1 in lib. 1. de div. offic. cap. xvII.
2 in append. num. 3. pag. 31.
3 in Ord. xI. n. 43. p. 138.
4 ibidem num. 53. pag. 144, et 145, et in appendice pag. 163.
5 §. xxxvIII. Quid D. Papa debet facere in Sabbato seq. post Pascha? pag. 202. 203.
6 de die Sabbati in albis p. 508. 509. 510.
7 xcvI. Quomodo fiunt Agnus Dei cerei? pag. 376.

r r

antequam intret ad benedictionem, dicit hanc orationem, Concede quaesumus omnipotens Deus. *Oratione completa, sequitur benedictio fontis, prout in Sabbato S. habetur. Et post celebrationem baptismi, Pontifex, et Clerus ingreditur ad* Sacrarium. *Indutus vero sollemnibus rubeis vestimentis, cum omni apparatu, et Letania processionaliter procedit ad Altare.*

Quid vero in *Sacrario* agendum esset in *festo Dominicae Resurrectionis*, explicat rituale Eccl. Suessionensis [1]. *Hebdomadarius in albis benedicat aquam in* Sacrario; *ceteri induant cappas de pallio .... eat Episcopus ad* Sacrarium, *et praeparet se ad Sancta ... duo Subdiaconi cum cappis de pallio jussu Cantoris, et Succentoris exeant de* Sacrario, *et cantent.*

Jam vero, ut ad *vigilias*, sive *Sabbatum S. Pentecostes*, quo sicut in *Sabbato S. Paschatos* Baptismus conferri consueverat [2], progrediamur, Missale Casalis Benedicti de eadem die haec profert [3]. *Sacerdos indutus casula, ministri vero stola, et manipulo absque luminaribus, et incenso e* Sacrario *prodeunt, factaque reverentia ante Altare in locis suis sedent*. Ordinarium Silvanectense die festo Pentecostes, quod etiam Festum *Hebdomadum*, *Messis*, aut *Primitiarum* dictum fuit, *Sacrarium* ante Tertiae cantum turificatum fuisse prodit hujusmodi verbis. *Debeat turificare ad Altare obituum, ad* Sacrarium, *et postea ire in chorum, et turificare Canonicos.* Item *Sacrarium* diebus Dominicis in Matutinis, et Prima turificatum fuisse tradunt consuetudines S. Germani. *In fine hymni Sacerdos .... ibit incensare Corpus Domini, et duo Altaria, et Corpora Sanctorum, et ibi circa* Sacrarium *intus indutus cappa*; atque alibi disertius [4]. *Incensato Altari, Diaconus incensabit* Sacrarium, *et post Servitor Ecclesiae Con-*

1 Tom. III. Martene p. 502, 503.
2 Jos. Vicecomes l. I. de rit. Bapt. c. XXII.
3 T. IV. Martene p. 457.
4 ibid. p. 150.
5 ibid. p. 410.

Digitized by Google

ventum. Ac rursus alio loco [1]. *Hebdomadarius missae induet cappam de serico, et amoto manipulo turificabit majus Altare, et* Sacrarium, *et Priorem; sequetur autem juvenis indutus alba, qui Conventum postea incensabit*. Eaedem consuetudines *Sacrarium* quoque, praeter Altaria, aqua lustrali conspersum fuisse docent, ubi habent [2]. *Sacerdos irrigabit magnum Altare, et post Altare B. Germani, et Sancta Sanctorum, et post circa* Sacrarium.

§. V.

De Pontifice in Sacrarium reverso.

Quum jam supra declaravimus, qua pompa, sacro absoluto, Pontifex ad *Sacrarium* rediret; nunc, quid eô reversus ibidem praestaret, a Cajetano accipiamus; qui unus ex omnibus Rom. Ordinum Scriptoribus hanc quoque sacrorum rituum partem illustrandam suscepit. Nam Ordo VI, qui Pontificem in *Sacrarium* redeuntem describit, aliorum instar, quorum verba recitavimus, haec tantum profert [3]. *Quumque Episcopus collectam finierit, et Diaconus* Ite, missa est, *et Clerus* Deo gratias *dixerit; duo Diaconi accipientes manus Episcopi, et Subdiaconus cum calice, et Acolythus cum patena eum antecedentes, ut praediximus, intrantem, ita exeuntem cum omni processione ad* Sacrarium *reducant*. Sic Ord. Eccl. Laudunensis inquit [4]. *Cantata missa, Sacerdos, praecedentibus duobus Clericulis tenentibus cereos, Subdiacono, et Diacono, qui in missa ministraverunt, revertitur ad* Sacrarium. His concinit ordinarium Eccles. Bajocensis. *Peractis missae sollemniis, redeat in* Sacrarium, *praecedentibus Ceroferariis, quos sequantur Diaconus, et Subdiaconus, et Sacerdos Diaconum*. Itaque Cajetanum audiamus. *Pontifex*, inquit [5], *dicat cum*

1 ibid. p. 136. 2 in Ord. XII. §. VIII. p. 175. 3 n. 13. p. 76. 4 ibid. p. 631. 5 p. 309.

nota Sit nomen Domini benedictum ..., *et det benedictionem signando populum, et vertendo se dum signat, prout secundum qualitatem loci videtur expedire. Deinum inclinatus ante Altare dicat submisse illam orationem* Placet tibi ... *Qua dicta, deducentibus eum Capellano, et Diacono, pergat ad locum, ubi exui debet, dicendo cum ministris Antiphonam illam* trium puerorum, *et* Benedicite, *et* Laudate Dominum in Sanctis, *cum repetitione dictae antiphonae, et oratione dominica cum versiculis, et orationibus dicendis post Missam. Et si Pontifex exui debet juxta Altare, non debet accipere mitram, recedendo ab Altari. Si vero debeat ire ad* Sacrarium, *sive ad* Saristiam *exuendus, ibidem cum mitra vadat, praecedentibus eum duobus Ceroferariis, et Subdiacono, ac deducentibus eum Capellano, et Diacono. Quumque pervenerit ad locum, in quo exuendus est, stet ante faldistorium super scabellum: et si pallium habet, Acolythi accipiant spinulas pallii, et Diaconus deponat ei mitram, si detulit: et Capellanus extrahat anulum pontificalem, quem tradat Acolytho reponendum. Deinde Diaconus, et Subdiaconus, amotis tantum manipulis suis, exuant eum omnibus aliis vestibus ordinate, et modeste, Acolythis recipientibus ipsas vestes, et si Pontifex pallio utitur, quando ipsum pallium amovetur ab ipso, osculetur crucem ejus posteriorem. Similiter osculetur stolam, et crucem pectoralem, quando amovetur ab eo. Demum deposita alba, recipiat cappam suam communem, quam debet habere paratam unus de famulis ejus; et Capellanus, vel alius, qui servat annulum ejus cotidianum, restituat sibi anulum. Quum autem finierit praedictas orationes dicendas post Missam, incipiat Sextam, vel aliam horam, quae post Missam dicenda sit pro tempore: et prosequendo eam cum Ministris; resideat in faldistorio, et Subdiaconus indutus, sicut in Missa fuit, absque manipulo, cum uno de Acolythis detrahat ei sandalia, et caligas,*

Digitized by Google

quibus est in ministerio, assistente uno famulo, et calciant eum calciamenta communia: qui calciatus surgit, et finiat horam praedictam. Interea Diaconus, et alii ministri se exuant, praeter Acolythos, qui non debent deponere cottas, donec recollegerint, et complicaverint sacras vestes. Pontifex autem, finita praedicta Hora, recedere potest, remanentibus Acolythis cum capella, donec ipsam faciant reportari.

Poteratne quidpiam illustrius, ac luculentius proferri ad summam relligionem demonstrandam, qua sacra indumenta Pontifices deponebant? Quapropter *nihil de exspoliando Pontifice in* Secretario *Romanos Ordines tradidisse, quod vulgatam rem esse, neque literis mandandam judicarent eorumdem Ordinum Scriptores*, nemo amplius cum Georgio [1] pronuntiabit. Quid? vulgatum ne affirmabis ritum in *Sacrario* recitandi *Sextam*, quum Subdiaconus Pontifici Sandalia, et caligas detrahebat, eodem modo, quo *Tertia* dici consueverat, dum sese Pontifex sacris vestibus induebat? Atqui nullam ejusdem mentionem inveni apud omnes sacrae Liturgiae illustratores, etsi res memoratu quidem digna videbatur. Ii enim, quantum equidem legere memini, dumtaxat loquuntur de veteri consuetudine, dum Sacerdos sese sacris indumentis exuebat, Hymnum trium Puerorum recitandi, cujus meminit Micrologus, inquiens [2]. *Expletis omnibus, Episcopus rediens ad* Sacrarium *cum Diaconibus, et ceteris cantet Hymnum trium puerorum.*

Et sane Missa Illyrici [3] Episcopum ab Altari recedentem ita ob oculos ponit. *Expletis omnibus, Episcopus de Altari ad* Sacrarium *rediens cum Diaconibus, et ceteris, quos voluerit, cantet hymnum trium Puerorum.* Plura de origine hu-

1 T. III. Lit. Rom. Pont. p. 218.
2 c. XXII.
3 apud Martene Tom. I. de ant. Eccl. rit. pag. 517.

jusce Cantici, in *Sacrario* recitandi, proferunt sacrorum rituum explanatores [1]. Nam ut Hebraei, ultimo fere loco, per lectionem prophetalem e Templo dimittebantur, ita, ne sacro absoluto Fideles de Templo statim exirent, vel sacris concionibus, vel Scripturae, aut Actorum Martyrum lectione retinebantur. Subinde vero usus obtinuit legendi *Evangelium S. Iohannis* [2], quod Christiani veteres peculiari cultu prosequebantur, et collo appensum plerumque gestabant. Idem enim, vix sacro latice abluti fuerant, baptizatis legebatur [3], ut ex eo divinae gratiae altitudinem comprehenderent, qua Filius Dei, natus hominis filius, ipsos homines regeneratos fecerat filios Dei. Quidam tamen illud ad Altare legebant, alii inter recedendum ab Altari ad *Sacrarium*, vel in eodem *Sacrario*, dum sacras vestes dimittebant, veluti pro gratiarum actione recitabant, quod adhuc in Eccl. Parisiensi ab Episcopo praestatur, ut Rob. Sala [4] Claudium Castellanum Canonicum Parisiensem Card. Bonae testatum fuisse refert.

§. VI.

De Nuptiarum benedictione in Sacrario majori.

Praestat nunc nonnullos usus ad utrumque *Sacrarium* pertinentes in medium afferre. Ac primo, etsi Nuptiarum celebratio *in Ecclesia coram populo* [5], modo *ante Altare majus* [6], modo ad valvas Ecclesiae fieret, nihilominus interdum etiam in *Sacrario majori*, saltem ex parte, peracta fuit.

1 le Brunius in T. I. explic. Missae p. 319. Card. Bona T. III. rer. Liturg. l. II. c. XX. p. 440. Georgius l. cit. Benedictus XIV. de Sacrificio Missae. Azevedo in Exercitat. Liturgicis, aliique.

2 Pomp. Sarnelli dell'Evang. di S. Gio: in fine della messa Pontificale. in T. VI. Liter. Eccl. p. 41.

3 In not. ad serm. CCXXV. S. Augustini, et apud Martene in T. I. de ant. Eccl. rit. p. 57, et 215.

4 in not. ad Card. Bona loc. cit. p. 441.

5 apud Iassc. Ep. Lingonen. tit. V. c. VI.

6 Acta Eccl. Mediolan. P. II.

Id enim probat *ordo servari solitus in Sponsalibus celebrandis, videlicet in nuptiarum subbarratione, ex Graecorum Euchologio* desumptus, cujus haec sunt verba. *Post Missam, stante in* Sacrario *Sacerdote, conjugio copulandi prae sacris foribus consistunt, vir quidem a dextris, mulier autem a sinistris. Sunt vero repositi in dextra sanctae mensae parte duo ipsorum annuli, aureus, et argenteus. Ex iis argenteus dextrorsum respicit, aureus sinistrorsum, juxta se invicem. Tum Sacerdos recens nuptorum tertio capita signat, traditque illis cereos accensos, et in* Templum illos inducit, *et cruciformiter tus adolet*. Quis autem dubitet, heic de *Sacrario* Ecclesiae conjuncto sermonem fieri, quum videat Conjuges in Templum inductos, postquam Sacerdos semel, iterum, ac tertio eos in *Sacrario* benedixerit, illisque cereos accensos consignaverit? Neque objicias, mulieribus in *Sacrarium* Templo adhaerens, ingressum fuisse praeclusum, ideoque secus Euchologii verba esse interpretanda. Quamvis enim aditus iisdem omnino praeclusus esset vel in *Sacrarium bematis*, tamen illuc etiam iis accessum patuisse mox ostendemus, vel quum sacrae Virgines ibidem consecrarentur, pari modo, quo jam Feminis id etiam permissum fuisse vidimus [1], quum Viduae castitatem profiterentur. Quapropter mirandum minime est, pro Nuptiarum celebratione inchoanda, in *Sacrarium*, de quo nunc agimus, fuisse admissas [2].

1 pag. 183.

2 Si quis de Hierologie, sive Benedictione Sacerdotali ante Nuptias, ibidem, sive ante Altare princeps impertita, plure rescire cupiat, is, praeter Tob. Pfannerum l. II. Observ. Eccl. c. VII. Tertullianum de Pudicitie IV, et II.9. ad uxorem, Benedictinos ad Ambros. T. II. p. 844. Grotium ed Matth. xxv.I. Gretserum de benedictionibus l. II. c. 43. Chr. Lupom T. VI. p. 639. Joh. Dougthejum in anelectis sacris ad Malachiae II. 14. Pearsonium p. 31. ad Ignatium, et Anonymum Galliae Scriptorem Hist. de l'Eglise sur le Sacrement du Mariage depuis Jes. Chr. jusques a nous. Paris 1725. vol. III. 4. edeet plures ordines,

§. VII.

De Sacrarum Virginum consecratione in Sacrario majori.

Quod de *Nuptiarum celebratione* demonstravimus, idem profecto sentiendum est de *Virginum consecratione*, *ac velamine* [1], quod *humilitatis sarcina* [2], et *jugum* [3] dicitur a Tertulliano, et a Chrysostomo, et a Concilio Gangrensi [4] *memoria*, aut *insigne subjectionis* nuncupatur. Haec *honorigera Virginitatis nota*, ut ejusdem Tertulliani [5] verbis utar, in festis Epiphaniae, in *Apostolorum natalitiis* [6], quandoque etiam *in albis paschalibus*, nimirum feria II. post Pascha, imo in ipsa die Paschatis, sollemni caeremonia conferebatur. *Non es recordata*, inquit Gregorius [7], *diei sanctae Dominicae Resurrectionis, in qua divino Altari te obtulisti velandam*; ac luculenter etiam Ambrosius [8], *venit Paschae dies, in toto orbe Sacramenta celebrantur, velantur Sacrae Virgines*. Quo vero loco hujusmodi caeremonia ageretur, non satis distincte declarant eruditi. Omnes enim, una cum

sive formulas veteres benedicendi nuptias a Martenio prolatas ad calcem l. vI. de ant. Eccl. ritib. T. II. p. 345. His adjiciat, cavens tamen ignes suppositos cineri doloso, Henr. Christ. Hochmannum. Altorfii 1685. 4. et in nov. Reip. litter. an. 1686. p. 775. Petr. Mullerum Ictum, et B. Christ. Korrholtum de necessitate consecrationis nuptialis. Kiloviae 1690, contra Joh. Georgium Reinhardum disputantes, qui in lib. de jure Principum Germaniae ante Reformationem circa sacra. Halae 1717. p. 346. disputat, benedictionem Sacerdotalem, nec de essentia esse Conjugii, neque Hebraeis, nec Christianis injunctam; Relationes innoxias. ann. 1717. p. 1039, et an. 1727. p. 1019. Christ. Thomasium de validitate conjugii per benedictionem Sacerdotis depositi consummati. Lips. 1689. Joach. Hildebrandum de Nuptiis veterum Christianorum. Helmst. 1714. 4. Sam. Schelwigium in exercitationa historico-Ecclesiastica de antiquitate consecrationis nuptialis. Gedani 1689. 4.

1 Gust. Geor. Zeltner Disput. exegetica de munimento capitis feminei contra Angelos. Altorfii 1715, at in Thes. Theol. Phil. p. 820.

2 de Corona Mil. c. xvII.

3 ibid. c. xIv.

4 c. xvII.

5 de veland. Virgin.

6 in epist. Ix. Gelasii P.

7 In Sacramentario.

8 de Virgine Ipsa c. III.

Baronio [1] pronuntiant, Sanctimoniales ſacram vestem ab Episcopi manibus in Presbyterio suscepisse, quin ullam de *Sacrario* mentionem injiciant. Sed veterum monumentorum testimonia, quibus hujusmodi ritus describitur, consulamus, ut, recte ne, an secus ii scripserint, exploremus. In ms. Pontificali Barensi legimus, *Virgines velandas in* Sacrario *primum consistere, et deinde in eo loco sacras vestes induere*. Item codex ms. S. Gratiani Turonensis ante annos DCCC. exaratus [2] jubet, *ut offerat vestimenta ante Altare Episcopo ad benedicendum. Ipsa benedicta dat ei Episcopus ipsius Virginis, tantum illum pallium apud se retineat, ipsa pergat in* Sacrario, *et induat se vestimenta benedicta, et accipiens duos cereos in manibus suis ardentes, et veniens ante Altare, et incipiat Clerus introitus ad Missam*. Quibus etiam concinit codex ms. S. Victoris Parisiensis annorum D. [3]: *Tunc ipsa Virgo vadat ad* Sacrarium, *et induat se ipso vestimento benedicto, accipiensque unum cereum in manus suas ardentem veniat ante Altare*. Id etiam confirmant Pontificalia Metropolitanae Ecclesiae Apamiensis in Syria, et Ecclesiae Senonensis. Alterum enim haec habet [4]. *Virgo recipiat indumenta relligionis, quae benedicta sunt de manu Episcopi, excepto velo similiter benedicto, quod nondum recipiet, et ingressa* Secretarium, *ibi vestiatur; postea rediens capite discooperto, posternat se ante Altare*. Alterum vero iisdem ferme verbis inquit [5]. *Virgo recipiat ab Episcopo sacrae Relligionis indumenta, jam, ut praedicitur, benedicta, excepto velo, et ingressa* Secretarium *vestiatur. Postea redeat ad Episcopum, et sub adspectu Episcopi, et Ecclesiae suppliciter prosternat se ante Altare*.

1 ann. LVII, et ad Martyr. d. vtI. Maii.
2 Martene T. II, de Ant. Eccl. rit. p. 531.
3 ibid. p. 538.
4 ibid. p. 535.
5 ibid. p. 549.

Quis itaque non videt, partem unam hujusce ritus in *Sacrario majori*, alteramque in *Sacrario minori* peragi consuevisse? Primo enim Virgines sacras vestes rite ab Episcopo benedictas suscipiebant; deinde sese ad *Sacrarium* conferebant, ut iis ab omnium oculis remotae modestius induerentur; quod statim ac confectum esset, cereum accensum manu gestantes, ad Episcopum in *Sacrario minori*, seu *Presbyterio* residentem redibant, ut demum ab eo sacrum *capitis velamen* [1], *quasi galeam contra ictus tentationis*, susciperent.

Quapropter cum Beveregio [2], et Bona [3] sentiendum esse arbitror, locum illum vitae S. Radegundis Reginae a Venantio Fortunato descriptae [4], *Intrans* Secretarium, *Monachae veste induitur*, ad *Sacrarium majus* esse referendum; ni potius placeat cum Fassonio [5] haec eadem interpretari de *Secretario Oratorii interni*, quod mulieres Deo sacras, intra Caenobii clausuram, habuisse demonstrabimus.

§. VIII.

De Piscina Sacrarii majoris.

Piscinam, quam apud *Altaria*, et *Baptisteria* fuisse vidimus, etiam *Sacraria* Templis adjuncta habuerunt, ut jam superius [6] innuimus. Antiquiorem de sacris *piscinis*, seu *Sacrariis* pro lotionibus, et reliquiis rerum sacrarum recondendis, mentionem exhibent *Constitutiones Synodales Odonis Episcopi Parisiensis* circa annum MCXCVIII. [7] *Concilium Salmuriense* anni MCCLIII. [8] et *Concilium Ba-*

1 Tertull. de vel. Virg. c. XV.
2 in lib. I.
3 loc. cit. p. 86.
4 apud Surium die 12. Aug. p. 116. in Act. SS. Ord. S. Bened. Sec. I. p. 319. in T. III. Aug. Boll. p. 67, et in Hildeberti opp. p. 897. edit. Paris. 1708. fol.
5 de Puell. Monaster. p. 89.
6 p. 243.
7 in T. VI. Concil. Harduini p. 1943.
8 ibid. T. VII. p. 442.

jocense anni MCCC. [1], ut erudite animadvertit *Emanuel de Azevedo* in *Exercitatione de Parietinis, Lignis, et Coementis Ecclesiarum, an converti possint in usus profanos? ac de* Piscina sacra *in Ecclesiis, et modo eam apte construendi* [2]. Praeterea antiqua Statuta Episcoporum Atrebatensium jubent [3]. *Si de Sanguine Christi stillaverit super casulam, seu aliquod vestimentum, comburatur illa pars, et cinis in* Sacrario *repônatur*; quod item indicunt Constitutiones Odonis Paris. Episcopi [4]. *Si super quodlibet vestimentum ceciderit de Sanguine Domini, comburenda est pars illa, et pulvis in* Sacrarium *reponendus est; si vero in terram ceciderit, lingenda est terra, tergendus, vel radendus locus ipse, sive lapis, sive lignum, sive terra, et pulvis in* Sacrarium *reponendus*. Monasterii Gemmeticensis regulae ita huic eventui consultum volunt [5]. *Si corpus Domini, quod ipse avertat, ceciderit, vel sanguis effusus fuerit, aut quod post Sanguinem mittitur, sive micae de patena perierint, abluentur panni, super quos ceciderint, prius vino, deinde aqua, et ipsae binae ablutiones bibentur a fratribus, qui affuerint: tertio laventur in* Sacrario .... *si super lapidem, vel lignum, vel terram, vel ferrum ceciderit, radatur, vel colligatur, quidquid poterit, et lotio diligenter in* Sacrario *reponatur, et lavatum bibatur. Si super quodcumque vestimentum, comburenda est ipsa pars, et cinis in* Sacrario *reponendus*. Quae quidem gemina sunt regulis Ritualis Beccensis Monasterii, et Consuetudinum B. M. de Lyra [6]; quae praeterea, ubi agunt *de emendatione Sacramenti*, ita pronunciant [7]. *Si Sacerdos vomit post Missam pro infirmitate, etiam in Sa-*

1 ibid. p. 1229.
2 p. 675. in opere de divinis officiis, et Sacros. Missae Sacrificio. Ven. 1783. fol.
3. Martene p. 718.
4 ibid. p. 714.
5 ibid. p. 215.
6 T. IV. Martene p. 214.
7 ibid. p. 213.

crario, *vel alio loco extra Calicem, vel extra vas, quo non possit observari, omnes judicium accipere vidi, et illum cessare, cum aliud de infirmitate, et necessitate.* Iidem usus Beccenses, ubi declarant, *quomodo visitetur infirmus*, inquiunt [1]. *Vncto oleo sancto, abluat manus suas Sacerdos, qui unxit, et aquam, qua lavit, mittent vel in ignem, aut in* Sacrario. Item in ms. a quodam Carthusiano edito [2] providetur. *Si in ipsum sanguinem musca, vel aranea ceciderit, cremetur super* piscinam Sacrarii .... *Si infirmus post sumptionem Christi Corpus evomuerit, omnia diligentissime in vase suscipiantur, et in* Sacrarium *mittantur*. Eadem profert Rituale Cisterciensium, ubi ait [3]. Sacrista *super* Piscinam *comburit, ejusque cineres in eam projicit*. Iccirco a Graecis *Piscina*, *furnus sanctus* ἰπνὸς ἅγιος dicitur, locus nimirum, in quem res sacrae combustae, et in cinerem redactae projiciuntur, ut ex Pachymere Petrus Possinus [4], et Macer [5] animadvertunt.

§. IX.
De Sacrario Praefectis.

Nihil profecto antiquius habuisse videntur veteres sacrorum Antistites, quam ut tam insignis, augustaeque Templorum partis custodiam viris spectatissimis consignarent. Ii vero ex *Diaconorum* ordine plerumque seligebantur, quorum muneris praecipua pars esset, vestimenta Sacerdotalia, Altaris sacra ministeria, donaria, vasa, ac cujuslibet generis gazam custodire, ut videre est in gestis Aldrici Episcopi Cenomanensis [6]. Neque cuilibet eorum

1 ibid. p. 696.
2 apud Martene p. 709.
3 c. xxiI.
4 lib. I. cap. xxvIII. p. 49, et 482.
5 in Hierolexico p. 475.
6 T. III. Misc. Balut. p. 126.

promiscue haec maximi momenti cura committebatur; sed ex iis eligebant, quorum aetas provectior, ac perspectior fides esset. Quod diserte Isidorus testatur, inquiens [2], *Custodes* Sacrarii *Levitae sunt; ipsis enim jussum est custodire Tabernaculum, et omnia vasa Templi. Quinque* ab anno quinquagesimo *eliguntur*. Eos recte Thomassinus [3] a *Sacellariis* distinguit, quos nonnulli pro *Sacrarii custodibus* acceperunt, etsi compertum sit, eos privati Imperatorum, aut Episcoporum thesauri custodes fuisse, ut Mabillonius [1], et Ducangius [2], ac prae ceteris luculentius Cl. Gallettus [3] demonstrarunt.

Idem Isidorus praecipua *Sacrarii custodis* officia ita recenset [4]. *Ad* Custodem Sacrarii *pertinet cura, vel custodia Templi, signum quoque dandi in vespertinis nocturnis officiis, vel vestes suere, ac vasa sacrorum, codices quoque, instrumenta cuncta, oleum in usum* Sacrarii, *ceram ad luminaria*. Itidem ejusdem regula haec habet [5]. *Ad* Custodem Sacrarii *pertinet ordinatio lintheariorum, fullonum, cerariorum, atque sartorum*. Praeterea iidem *oblatas*, sive *hostias*, quas a figurae rotunditate *coronas* [6], aut *rotulas panis* [7] vocabant, ex grano purissimo, statis caeremoniis, ac precationibus *in ferramento caracterato*, quod in miraculis S. Wandregesili [8], *Oblatorium* dicitur, conficiebant, coquebantque, ut praeter alios [9], probat Anselmus Episc. Havelbergensis [10], ubi ait. *Quod etiam*, azymum scilicet, *apud religiosos latinos*

1 de eccl. off. lib. II. c. IX.

2 in veteri, et nova Eccles. disciplina T. I. §. XI. p. 556.

3 in Comment. p. LIV. LV. et CV.

4 in Gloss., et in Cpoli Christiana.

5 del Primicero, e degli Uffiziali del Patriarchio Lateranense.

6 in Reg. Monach c. XIX. et XX. 7 c. XIX.

8 Gregor. Dial. l. IV. c. LV. Chrysost. hom. LXXXIII. in Matth.

9 Iso de Mirac. S. Othomani c. III.

10 Saecul. II. Benedict. p. 557.

11 Vdalricus in l. III. consuet. Cluniac. c. XIII. usus Cistercienses c. XIV. Mabill. de Liturgia Gallicana p. 184.

12 in l. III. Dialogor. c. XVIII. de Oblatis.

per manus Diaconorum, et ex electis granis, et ex mundissima simila, in Sacrario *ad futuram hostiam cum decantatione psalmodiae reverenter praeparatur, et sub diligenti custodia usque ad tempus Sacrificii reservatur*. De quo ritu vide cetera, quae supra [1] attigimus.

Porro Christiani in regione Malabarica degentes, ut scriptum reliquit Antonius de Govea [2], ad coquendas *oblatas* locum de industria super Templi cellas constructum habebant, dumque coquerentur, et refrigescerent, Diaconi, ceterique Ministri psalmos praecinebant. Cophti vero in Aegypto, qui Liturgiam Alexandrinam sequuntur, easdem *oblatas*, ut perhibet Sicardus, coquunt in propriis clibanis, quos dedita opera, retro *Sacrarium* habent. *Oportet enim*, ita Constitutiones Cyrilli Patriarchae Alexandrini praescribunt [3] *ut Panis Eucharisticus non coquatur alibi, quam in furno Ecclesiae*. Praeterea in iisdem Cyrilli constitutionibus sancitum est [4], ne panem offerendum Presbyteri a *feminis confici, vel coqui* sinerent. Nam usque a IX. Seculo, Panem consecrandum, vel ab ipsis Presbyteris, vel, iis adstantibus, *ab eorum pueris* faciendum esse, lege cautum erat [5]. Iccirco Sacerdotes [6] *a singulis familiis, et domibus farinam accipiebant, et inde Dominicum panem faciebant*, Diaconorum opera, *in Sacrario*, Clericis interim psalmos, qui sacrificio magis congruerent, pie concinentibus [7].

1 p. 240. 2 l. I. c. XVIII. p. 59.
3 Martene T. I. de ant. Eccl. rit. p. 325.
4 Ansel. Havelberg. Dialog. l. III. c. XVIII.
5 Capitular. Theodulphi Aurelian. art. V. et apud Baronium anno DCCCXXXV.
6 Honor. Augustod. Gemma animae l. I. cap. LXVI.
7 De hujusmodi oblatis, forma nummorum repraesentantium Dominici corporis pretium, habemus singulares dissertat. Joh. Musaei, Christiani Kortholti, Andreae Kunadi, Herm. Chr. Engelcken de Placentis orbiaularibus, seu Pane eucharistico. Rost. 1725. 4., et Joh. Sam. Straussii de hostiis Eucharisticis in ejusd. positionibus historicis de Rudolpho Suev. Halae 1728. 4., praeter jam memoratas Schmidii, et Mabillonii.

Digitized by Google

Ordinarium Laudunense, agens de *Altarium denudatione, et lotione Feria* V. *in Caena Domini* [1], *post prandium*, inquit, *Canonici in Ecclesiam ad lavanda Altaria conveniunt. Laici custodes tabulas Altaris aperiunt. Sacerdotes Ecclesiae, et Custodes Clerici, et Custos* Sacrarii, *et Subthesaurarius, omnes albis induti, et nudis pedibus lavant primo majus Altare, deinde alia, clericulis aquam deferentibus. Laici vero custodes pavimentum lavant.*

Hujusmodi provinciam, antiquae disciplinae retinentissimus Ambrosius ex veteri, quod jam declaravimus, instituto, Diaconis praecipue dari curabat, ut *Sacraria*, ea, qua pollebant auctoritate, a profanorum injuriis sarta tecta haberent. Quocirca cum Isidoro commendat [2], ut *eligatur Levita, qui* Sacrarium *custodiat, ne fallatur consilio, ne fidem deserat, ne mortem timeat, ne quid intemperantius gerat, ut specie ipsa gravitatem praeseferat.*

Sed varia de hac re pro locorum, ac temporum varietate fuit disciplina; quum Concilium Vasense fidem faciat [3], hujusmodi curam *Presbyteris* etiam fuisse demandatam, quorum *officii est* Sacrarium *disponere, et Sacramenta suscipere*, ni potius, ut supra [4] innuimus, haec ad *Bematis Sacrarium* referenda esse putes.

Ceterum, quae humanarum rerum vicissitudo est, *Sacrarii* custodia Diaconis primitus collata, ac postmodum Presbyteris, et Chorepiscopis, Hypodiaconis etiam, atque Ostiariis indiscriminatim commissa, iis etiam quandoque fuit demandata, qui, ne minoribus quidem ordinibus, initiati essent. Quod, etiamsi perraro alicubi usuveniret, ac dumtaxat eorumdem Diaconorum, seu Sacer-

1 T. III. Martene p. 279.
2 in l. I. de Offic. Min. c. XLIV. T. II. p. 69.
3 c. III. de Presbytero.
4 pag. 267.

Digitized by Google

dotum vice, quos antiquioribus Eccl. seculis haud magno numero fuisse constat, tamen, ne sacro, augustoque loco debitae relligioni, ac reverentiae quidpiam detraheretur, si hujusmodi usus invalesceret, sacri Antistites sapientissime providerunt. Nam, ut cetera praeteream, ac praecipue Conciliorum Laodiceni, et Agathensis auctoritatem, scimus a S. Xysto [1] constitutum esse, *ne sacra vasa ab aliis, quam a sacris ministris tangerentur*. Eadem praescripsit Stephanus I., qui monuit [2]: *Vestimenta Ecclesiae, quibus Domino ministratur, cultusque divinus cum omni honorificentia, et honestate a Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiae ministris celebratur, et sacrata debent esse, et honesta. Quibus aliis in usibus, quum Deo, ejusque servitio consecrata sint, et dedicata, nemo frui debet, quam Ecclesiasticis, et Deo dignis officiis, quae nec ab aliis debent contingi*, nisi a sacratis hominibus.

Verum de ceteris *Sacrariorum* Custodibus, variisque nominibus, quibus fuerunt designati, multo fusius disserendum erit, ubi *Sacristae* munus illustrabimus. Haec interim antiquiora hoc loco adnotare satius duximus, ne cum iis, quae ad multo recentiorem *Sacristiae* vocem spectant, temere confunderentur.

§. X.

De Bibliotheca, et Domo Sacrarii.

Verum iisdem *Diaconis* non modo sacrae supellectilis, sed etiam librorum omnium Liturgicorum, qui in *Sacrariis* adservabantur, custodia demandata erat, ut praeter ea, quae jam attulimus, alibi disertius docet idem Isidorus, ubi decernit [3]. *Omnes Codices* Custos Sacrarii *habeat de-*

1 in Ord. Pontific. 2 in epist. I. ad Hilarium. 3 in Reg. Monach. c. VIII.

Digitized by Google

putatos, a quo singulos singuli Fratres accipiant, quos prudenter lectos, vel habitos semper post vesperam reddant. Prima autem hora singulis diebus codices petantur. Quae quidem Isidori verba Joh. Lud. de la Cerda [1] pro *Bibliotheca* accipienda esse recte pronuntiat, quae *Sacrario* conjuncta ab ejus Custode servabatur. Nam quamvis *Bibliothecae* vocabulo sacri Instrumenti Codicem [2], seu volumen IV. Evangeliorum passim [3] indicarent, quo sensu dixisse videtur Hieronymus de Nepotiano in ejus Epitaphio, *pectus suum fecerat Bibliothecam Christi*, tamen una ex *Sacrarii* partibus librorum custodiae inserviebat, qui ad sacram Liturgiam depromebantur, eamque iccirco, non modo *Scrinium*, *Tabularium*, *Tablinum*, *Archivum*, *Librarium*, *Bibliothecam*, *Grammatophylacium*, *Armarium* [4], sed et *Sacrarium* veteres Christiani nuncuparunt.

Ibidem alia etiam magni momenti reponebantur, praeter professionem Fidei Episcoporum, de qua, quid Pontificale Beccense statuerit, jam audivimus [5]. Siquidem statuta Ardacensia apud Duellium [6] sic jubent. *Item secundo statuimus, quod sigillum nostri Capituli in* Sacrario *debeat esse repositum, et tribus clavibus diligenter reclusum ... privilegia quoque ipsius Ecclesiae in Scrinio, in quo sigillum est repositum, debeat supradictis clavibus observari*.

Verum ex eo praecipue depromebantur Acta, et epistolae Apostolorum, ac Prophetarum Scripturae [7], quae ad cellulas, seu cubicula ad laevam *Sacrarii Bematis* identidem transferebantur, quô Sacerdotes, et Levitae,

1 In adversar. Sacr. c. LXVI. n. v. p. 85.
2 in T. VI. Act. SS. Ord. Ben. p. 36. 370. 371.
3 V. Cangii Gloss., et Vitas S. Anscharii, et S. Wilfridi in Tom. VI. Act. SS. Ord. S. Benedicti p. 92, et 562.
4 Consuet. Citerc. Par. I. c. LXXI, et in Macri Hierolexico. p. 55.
5 p. 281.
6 T. I. Miscell. p. 109.
7 Morach. Amiss. in Chron. ad an. DCXC. apud Martene T. v. Vet. Monum.

sacrificio peracto, secedebant, ut eorum lectioni operam darent, ab omni strepitu, turbaque remoti. Propterea in Nolana Basilica a sinistra absidis legebantur ii versus a Paullino memorati:

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Porro *inter libros Sacrarii, qui ministerio Altaris deserviunt*, ab Auctore Chronici Centulensis [1] enumerantur, *Missalis Gregorianus, et Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus, unus. Lectionarii Epistolarum, et Evangeliorum mixtim, et ordinatim compositi* v. *Missales Gelasiani* XIX. Propterea, ut Statuta Ardacensia apud Duellium, *Sacrarii* nomine *Archivum* designarunt, item ipsa Ecclesiarum *Martyrologia* interdum *Sacraria* fuerunt appellata, ut constat de *Sacrario*, et Kalendario ditionis Leodiensis in Belgio [2], et de *Sacrario* perantiqui Comitatus Namurcensis [3], quae Bollandus [4] excussisse narrat.

Quocirca censendum est, mea quidem sententia, Bibliothecas veterum Christianorum Ecclesiis contiguas, et quamdam veluti partem *Sacrarii majoris* fuisse [5]; idque probat Bibliotheca Aedis Sophianae [6] a Constantino instituta, et a Theodosio juniore, altero Ptolemeo, insigniter aucta, ac Basilicarum Vaticanae, et Lateranensis exemplo confirmabimus. Itaque haud improbabili conjectura existimes, *Bibliothecas* ab Alexandro Episcopo Hierosoly-

1 in adversar. Sacr. c. LXVI. n. 8. p. 85.
2 anni MDCXVIII.
3 anni MDCXIX.
4 in T. I. Jan. p. LIII.
5 V. Ducang. in descript. Aed. Soph., et Hospinian. de Templis l. III. cap. VI. p. 501., et in T. III. Bibl. Anglic. p. 502.
6 V. Eman. de Azevedo in Exerc. XXXVII. de Archiviis, et de fide, quam scripturis eadem conciliant. p. 449. de div. Officiis. Ven. 1783. fol. Jos. Binghamum de Ecclesiarum Scholis, et Bibliothecis T. III. ant. Eccl. p. 270, Joh. Lomajerum de Bibliothecis. Ultrajecti 1680. 8, et Joh. Carolum Beheim in diss. de Archiviis, sive Tabulariis vet. Christianorum. Altorfii 1722.

mis [1], et a Iulio Africano Caesareae in Palestina [2], constructas, aliasque tum in actis purgationis Caeciliani, et Felicis [3], tum ab Augustino [4], et Hieronymo [5] memoratas, pone illarum Ecclesiarum *Secretaria* fuisse aedificatas. Certum est enim cubicula iisdem adnexa fuisse, quae non modo Ministrorum commodo, sed etiam librorum custodiae inservire poterant.

Atque hinc apud nonnullos Scriptores *Sacrarii domum* nominatam offendimus. Eôdem Flodoardum spectasse putaverim, qui de miraculis B. Martini agens, *Siggo quidam*, inquit [6], *Sigeberti Regis Referendarius, virtute B. Martini, cujus idem Gregorius tunc secum habebat pignora, in* Sacrario domus *Ecclesiae Remensis auditum surdae recepit auris*. Sic etiam fortasse interpretanda sunt illa apud Gasparem Zacchi in notitia Auximani Episcopatus [7]. *Haeret ad meridiem ingens campanaria turris, et ex regione ad septemtrionem* Sacraria domus, *unaque in calce Ecclesiae posita*. Huc etiam trahenda videntur, quae Fulcuinus de gestis Abb. Lobiensium memoriae mandavit [8]. *Comes cum conjuge in* Sacrario *Ecclesiae* mansitabat, *et mensa, in qua sacratissimum Domini Corpus absumebatur, Ministerium calciamentorum, et paterarum, seu scutellarum efficiebatur*. An non ad hunc eumdem locum referam, quae exhibent Capitula Domni Adalhardi Abbatis de admonitionibus in Congregatione, ubi agunt *de miscendo in Sacrario, et cito liberando*? Quid vero heic innuatur, haud satis intelligo. Forte huc spectat Capitulum I. Monachorum ad Augiam directorum, ubi permittitur, ut Monachi, et Servitores *mixtum sumant*, hujusmodi

1 Euseb. lib. vI. c. xx.
2 Hieron. Catal. Script. Eccles. c. LXXV. T. I. p. 188.
3 ad calc. Optati p. 267.
4 de haeresi c. LXXX.
5 loc. cit. c. xcIII.
6 lib. II. c. II.
7 pag. 253. Lezz. XLV.
8 T. vI. Spic. Acherii p. 573.

verbis [1]. *Pulsat signum tintinnabuli, ut Hebdomadarii, et ceteri Servitores juxta praeceptum regulae accipiant super constitutam annonam Mixtum, ut non sit eis grave jejunium, dum ministrant, sustinere. Lector vero post sextam, antequam accedat ad legendum*, accipiat mixtum. Hoc enim verbo Boherius [2] *jentaculum* significatum fuisse docet, ut aliis exemplis confirmant Ducangius, et Maurini [3], quod in aedibus *Sacrario* continentibus a Monachis sumptum fuisse putandum est.

§. XI.

De Sacrariis Domus Pontificalis, Vaticano, et Quirinali.

Nonnihil a me quisquam heic addendum fortasse vellet de *Sacrariis Pontificalibus*, quae exstant in Aedibus Vaticanis, et Quirinalibus. Sic enim eadem appellanda esse duxit latinae linguae scientissimus, atque omnium arbiter elegantiarum Steph. Ant. Morcellius [4], quod *Sacrarium* non is solum esset locus, in quo sacrae res ponuntur in usum Templorum, sed aedicula etiam sacra, sive publica, sive privata, ut supra allatis exemplis fuse demonstravimus. Alterum eorum a Xysto IIII. [5] conditum fuit, a quo *Cellae Xystinae* nomen accepit, cui socia posthac altera accessit, *Paullinae* nomine donata, quod eam Paullus III. [6] ad laevam Aulae regiae, eleganti opere, cultuque exquisito aedificandam curavit, ab Alexandro VII. deinde restauratam. Alterum vero in Quirinali Palatio exstruxit Paullus V [7],

1 ibid. p. 703.

2 in regula S. Benedicti c. XXXIX.

3 T. II. P. II. Gloss. p. 463.

4 Inscriptiones Commentariis subjectis. Romae 1781. 4. p. 63.

5 Agostino Taja Descrizione del Palazzo Apostolico Vaticano. Roma 1750. 8. p. 33.

6 Claud. du Molinet Hist. Summ. Pont. a Martino V. ad Innocent. XI. per eorum numismata. Lutetiae 1679. fol. pag. 51. Rodulph. Venuti Nnmismata Rom. Pont. praestantiora a Mart. V. ad Bened. XIV. Romae 1744. 4. p. 81.

7 Molinet p. 151. Venuti p. 216.

de quo haec scribit Victorellus [1]. *Partem maximam, quae Orientem respicit, Paullus fundamentis exstruxit, in qua regia Aula, amplissimumque Sacellum continetur cum sacro Vestiario ad Sacelli Cancellos, quibus Cardinalium, Sacerdotumque consessus a reliquo spatio dirimitur*. Hanc eandem cellam, ut habent Diaria mss. [2], *benedixit sub invocatione Assumptionis B. V. M. die* XXV. *Ianuarii* MDCXVII. *in die festo Conversionis S. Paulli, post dictam Missam in sua privata cappella*. Vtraque Cella Lateranensi Basilicae substituta fuit, quemadmodum animadvertit Jos. Mar. Suaresius [3], inquiens. *Ex quo Pontifices Avenioni subsidentes, quas obire non poterant Stationes, intermiserunt, et Ecclesiarum vice, quas lustrare relligiose, et in quibus sacra peragere moris erat, Sacella in Avenionensi Palatio excitarunt, ibique ea munia perfecerunt. Qui postea Romam redierunt, et ibi resederunt, imitati Antecessores Avenionis Inquilinos, Sacella quoque construxerunt, novis in Palatiis, ubi sacra fierent, Stationibus, ad quas sollemniter procedebatur, omissis huc usque, nisi quod Xystus* V. *eas renovare nisus est*. Verum de his alia proferre supersedeo. Enimvero accuratam omnium rituum, qui ibidem statis anni diebus peraguntur, descriptionem exaravimus in opere, quod lingua vernacula edituri sumus, advenarum commodo, de conventibus Patrum Cardinalium ad sacra sollemnia, adstante Pontifice Maximo [4]. Itaque eô remittimus, qui de iis edoceri cupiant, qui-

1 apud Ciacconium in ejus vita.

2 apud Venutum loc. cit.

3 in Corollariis ad Panvinii librum de baptismate paschali et origine, ac ritu consecrandi Agnos Dei. Romae 1656. 8. p. 99.

4 Descrizione delle Cappelle Pontificie, e Cardinalizie, con una dichiarazione Storica, Liturgica, e Bibliografica, dell' Origine, de' Riti antichi, e moderni, e degli Scrittori di tutte le Feste, in cui si celebrano, oltre l' illustrazione delle Chiese, ove si tengono, e degli Ordini delle Gerarchie Ecclesiastice, che le compongono. Opera divisa in sei volumi.

que interim, de *Apostolico Sacrario*, consulere poterint *Cronhistoriam* Angeli Rocchae [1].

§. xI.

Coemeteria extra Basilicas Sacraria interdum appellata.

Verum *Sacrarii* voce non solum *Altare*, sub quo sacri Cineres *Martyrum* recondebantur, sed etiam *Coemeteria* extra Basilicas posita indicabantur. Profecto hac notione, eodem vocabulo usi sunt Episcopi, qui anno MXCIX. apud Gissonam convenerunt [2], decernentes, *sub anathemate, ut inter spatium Coemeterii nullus audeat inquietare, vel* Sacrarium, *idest* Coemeterium *infringere, vel aliquam violentiam facere*. Atque hinc fortasse profluxit altera vox, quae in pluribus locis adhuc viget, quaeque in statutis Mutinensibus ita occurrit [3]. *Quum propter aquarum abundantiam, quae exeunt de canali, qui vadit .... super* Sacratum *Ecclesiae S. Paulli omnia monumenta, quae sunt in* Sacrato *Ecclesiae praedictae S. Paulli, et etiam domus heremitarum ibi existentium impleatur aqua praedicta.*

§. xII.

Sacrarii vox translate usurpata.

Sed tandem huic capiti modum imponam, illud tantum adjiciens, *Sacrarii* vocem a multis scriptoribus translate identidem fuisse usurpatam. Hegesippus, postquam Civitatis, ac Templi Hierosolymitani ruinam ab Eleazaro deploratam descripsit, *ubi est*, inquit, *maxima civitas Hierusalem? ubi decora Sion? ubi Templum mirabile? ubi secundum illud Tabernaculum, Sanctitatis* Sacrarium, *quó semel in anno solus Princeps Sacerdotum solebat intrare non*

1 T.I.Opp.p.318. 2 in T. III. Conc. Hispan. p. 310. 3 rubr. 362. fol. 71.

sine sanguine, quem pro se offerret, et pro Populi delicto? Pari sensu appellavit Ambrosius [1] *Templum illud, Sacrarium Trinitatis*. Adde Augustinum Deiparae, quam saepe *Sacrarium Spiritus S.* nuncupamus, ita supplicantem [2]. *Admitte nostras preces intra Sacrarium exauditionis.*

Sic etiam explicanda esse nemo non videt, quae de S. Germani, Episcopi Antissiodorensis, Ravennae vita functi, corpore tradidit Historia in hunc modum [3]. *Expridie igitur Kalendarum Augustarum die, qua Confessor eximius, sarcina levatus carnis, caelestibus est insinuatus* Sacrariis, *tertius, et quinquagesimus volvebatur dies, quum sacri thesaurus corporis propriae refusus urbi, solemni obsequio populorum excipitur, atque intra principalis, cui sederat, Ecclesiae ambitum collocatur*. Heic autem, aut ego fallor, locum illum subterraneum, de quo supra [4] egimus, indicatum fuisse puto, ubi Antissiodorenses Pastoris sui, quem caelestibus *Sacrariis* exceptum putabant, exuvias in *Sacrario bematis* collocarunt. Haud igitur facile Georgio [5] acquieverim, ex his aeque, ac ex altero S. Adalhardi exemplo [6], constare veterem usum, SS. MM, et Confessorum exuvias in ipsis *Sacrariis*, una cum sacra supellectile quandoque recondendi.

Verum a nemine frequentius idem vocabulum usurpatum fuisse comperi, quam a Prudentio. Inquit enim [7],

Quaque hominum natura viget, quam corpore toto
Quadrua vis animat, trinis ingressibus aram
Cordis adit, castisque colit Sacraria *votis*.

1 in Hexaemer. lib. III. cap. I.
2 in Serm. XVIII. de Sanctis.
3 in T. I. Bibl. MSS. Labbè c. VII. in Hist. Episcopor. Antissiodorens. p. 417. et in Act. SS. Bolland. Tom. VII. Julii pag. 256.
4 pag. 247.
5 T. I. Liturg. Rom. Pont. c. II. p. XLI.
6 pag 248.
7 in Psycomachia pag. 51.

Similiter alio loco [1].

Respice terrifici scelerata Sacraria *Ditis*,

ac rursus [2].

Deponas jam festa velim puerilia, ritus
Ridiculos, tantoque indigna Sacraria *regno*.

Praesto sunt alia, quae ita habent [3].

Sueta virtus bello, et armis militat Sacrariis.

Ex his autem cur alia ejusdem Scriptoris abstraherem, licet alio sensu deprompta? Haec igitur habe conjunctim edita, quae sunt hujusmodi [4].

Qua vi latentes eruat
Numos, operta existimans
Talenta sub Sacrariis.

Alibi vero scripsit [5].

Praefectus istis imminens negotiis,
Asclepiades iri mandat milites
Ecclesiasten usque de Sacrariis
Raptare plebem.

Ejusdem quoque sunt illa [6].

Subjecta nam Sacrario,
Imamque ad aram condita
Caelestis auram muneris
Perfusa subtus hauriunt.

ac demum ait [7].

Exstructoque agimus liba Sacrario.

Sed, ut ad translata redeamus, praeclaris tantorum scriptorum testimoniis, et alia addere liceat. Ac primum Nicolaum Monachum Claraevallensem audiamus,

1 contra Symmac. l. I. v. 379. p. 569.
2 ibidem v. 500.
3 lib. v. 33. pag. 98.
4 Hymn. II. pag. 107.
5 Hymn. x. pag. 212. v. 43.
6 Hymn. v. pag. 181.
7 Cathemerinon Hymnus v. ver. 140. pag. 37.

qui Willelmum Archiepiscopum Rhemensem ita alloquitur [1]. *Recepisti me infra* Sacrarium *tuae familiaritatis, quae ad recipiendum rara est, ad retinendum constantissima*. Haud absimilis videbitur formula *benedictionis in Ordinatione Abbatis* ex MS. S. Remigii Remensis [2]. *Concede eum inter* Sacrarium *scientiae spiritalis admitti*. Praeterea Pontificalia Lyrensis Monasterii, S. Remigii, et Victorinum inquiunt [3]. *Ex* Sacrario *divinae scripturae partes libri Evangelicae pacis prodeant, denunciantes arcam veteris Legis in passione Domini clausam, ac Legislatoris Moysi testamenta scisso velo patuisse, simul et novae gratiae, ac veritatis Evangelium lucidius sole per Iesum Christum ibi claruisse*. His consonant, quae Budeus pronuntiavit [4]; *quid ille liber unus Evangelii Iohannis? Nonne* Sacrarium *poene totum veritatis continet?*

C A P V T V.

De Vestiario.

Multa sunt, quibus *Secretaria* a primis usque eorum institutionis temporibus inserviisse vidimus. Potissimus tamen, ac communior eorum usus is certe fuisse videtur sacri ministerii, et supellectilis custodia, qua sese Sacerdotes, ceterique Ecclesiae ministri instruebant, antequam ad sacra peragenda procederent. Hinc igitur altera *Vestiarii* denominatio orta est, qua persaepe apud Scriptores *Secretarium* indicatur. Sed priusquam de eo disseramus, ceteras hujusce vocis notiones cursim juvat expendere.

1 in T. II. Miscell. Balutii p. 237.
2 T. II. de ant. Eccl. rit. ap. Mart. p. 438.
3 T. III. Martene pag. 249.
4 de Asse pag. 762.

§. I.

Varii sensus, quibus Vestiarii vocabulum fuit obnoxium.

Eodem modo, quo *clavarium* ad clavos, sive calceos clavatos militares parandos apud Tacitum [1], *cibarium* ad cibos, *cerarium* àd cereos, *vasarium* ad vasa, *diarium* ad dies singulos, *hordearium* ad hordeum, et frumenta indicanda, ita *Vestiarium* dictum fuisse docet Pitiscus [2], ad vestes designandas. Sed in primis pensio, quae in vestes emendas erogatur, *Vestiarii* nomine generatim designatur. *Est aliquid*, inquit Seneca [3], *quod Dominus praestare servo debeat, ut cibaria, et* vestiarium; et Columella [4] monet, *ne servi aut in* vestiariis, *aut in ceteris praebitis injuriose tractentur*. Adde Vlpiani [5], et Scaevolae [6] auctoritatem, cui plane subscribunt Balduinus [7], et Bergerius [8].

Sed, iis posthabitis, Ecclesiasticos tantum Scriptores audiamus. Concilium Budense indicit, [9] ut *omnes in eodem Monasterio, vel regulari Canonica, et sub eadem professione morantes, indifferenter, uno, et eodem* Vestiario *induantur*. Propterea ipsa pecuniae vis, aut alterius rei pensio, quae ad vestes procurandas erogabatur, ac quidquid demum ad *vestium* usum spectat, *Vestiarium* vulgo dictum fuit. Hinc charta anni MCXXXVI. apud Martenium [10] inquit. *Duae portiones decimationis ad* vestiarium *fratrum nostrorum pertinebunt*. Itemque Tabula Bituricensis [11] ait. *Praeterea concedimus in* vestiaria, *et calcearia Fratrum Mo-*

1 lib. III. Histor. c. I.

2 in T. II. Suetonii p. 481, et in Lexico T. II. p. 1056.

3 lib. III. de Benef. c. XXVII.

4 lib. I. cap. VIII. ad fin.

5 lib. XXXV. dig. tit. III. leg. III, et lib. XXI. de alim. vel cibar.

6 lib. XXXIV. tit. 15. 16. 17.

7 de Calceo.

8 de viis miltar. lib. IV. Sect. XI.

9 anni MCCLXXIX. c. LXI.

10 Tom. II. Ampliss. Collect. Vet. Mon. col. 96.

11 ie Gloss. Ducang.

nachorum, sicut fuerat olim, omnes feras annuales mercati. Eodem sensu loquitur charta anni MCCCLXVI. [1]. *Et non tenebitur dictus Aquarius ministrare dicto Abbati, nec Praeposito, nec tribus officiariis saepedictis* vestiarium *aliquod*. Haud aliter intelligenda sunt Statuta Monasterii S. Claudii, ubi declarant [2], quod *tenetur idem Camerarius ministrare* vestiarium *ad* XXXVI. *Religiosos* .... Adde Capitula generalia S. Victoris Massiliensis [3], quae ita habent. *Sic tallias, procurationes, sive etiam census, et* Vestiaria, *seu familiarum Prioratus, vel officii, Logeria, et salaria de tempore suo idem inventus fuerit non solvisse*. Locus vero, ubi Monachorum vestes reponebantur, *Vestiaria* dicebatur, ut constat ex Bulla secularizat. Eccl. Magalon. anni MDXXXVI. [4] et apud Ingulfum [5]. *Askerus Prior in* vestiaria, *Dominus Letvvinus Superior in refectorio* .... *detruncati sunt*. Item Bernardus Monachus, ubi agit de *ritu antiquo offerendi Deo pueros adhuc impuberes* [6] in consuetudinibus Cluniacensibus, haec habet [7]. *Puer, qui cum laicali, vel clericali habitu venerit, hunc Camerarius in* Vestiarium *ducit, eodem modo vestiendum, quo quilibet Novitius vestitur*.

Ducangius in notis ad Paullum Silentiarium [8] plura disserit de *Vestiario*, ac in Glossario Graeco refert loca Scriptorum [9], quae *Vestiarium* una cum Hesichio locum

1 de Aquariatu de Talmundo.

2 pag. 77.

3 In Gloss. Ducang.

4 T. VI. Gall. Christ. col. 390, et 393, et in Gloss. Carpentier T. III. p. 1149, et 1117.

5 pag. 866.

6 Praeter ea, quae supra attulimus p. 252. vide Haefrenium, Mabillonium, Martenium, Bened. Mittarellium, et Ans. Costadonium in diss. de veteribus Conversis. In T. I. Annal. Camaldul. p. 339. col. 2. Petrum Magagnottum nelle Novelle della Republ. delle lettere dell'anno 1739. p. 1. 90. Ven. 1731. 4, et apud Zaccariam T. III. Fleurii de disciplina populi Dei. p. 239. et Petrum Gallade in Opere Inscripto, Puer Religioni oblatus. Heildelb. 1769.

7 c. XXIX.

8 num. LXXXVII. p. 596.

9 Moschopulus, Theophanes Contin. l. III. n. 42. Leo Grammaticus in Basilio p. 472. Constant. Porphyrog. in eod. Basil. n. 89. ed. Combefis. Nicetas in Manuele l. V. n. 7. Joh. Diaconus in vita S. Pelagiae.

fuisse docent, ubi non modo *Vestes*, sed etiam *Cimelia*, ac Thesaurus servabantur. Itaque Joh. Henricus Leichius, et Joh. Jac. Reiskius [1] recte *Vestiarium*, non modo pro supellectilis vestiariae, sed etiam pro omnis omnino pretiosae supellectilis *conditorio* accipiendum esse pronunciant. De quibus *pressoriis*, et *reconditoriis* praecipue consulendi sunt Salmasius [2], Valesius [3], et Tiraquellus [4]. Nam diserte *vestiarium* dicebatur Principum thesaurus, ut colligimus ex Vopisco, qui haec tradidit de Aureliano [5]. *Vestem holosericam neque ipso in* Vestiario *suo habuit, neque alteri utendam permisit*. Id etiam probant Eginhardi, et Willelmi Tyrii auctoritates. Alter enim ait in vita Caroli M. [6]. *Quidquid in Camera, atque* Vestiario *fuisset inventum*. Alter vero [7] inquit, *ex imperialibus* Vestiariis *oblata sunt praedicto viro munera in auro, vestibus, vasis, et pretiosis lapidibus tam pretio, quam dignitate incomparabilia*. Verum id praecipue demonstrat ille Joh. Cantacuzeni locus [8], *diademate, coorona, et purpura in* regio Vestiario *depositis, pretioso nihilominus, et regali cultu splendide ferias agunt*. Accedunt, ut alia ejusdem Willelmi, et Chronici Casinensis [9] exempla praeteream, quae habet Charta Boemundi II. Principis Antioch. apud Vghellium [10]. *Primum quidem indignationem nostram se incursurum, deinde vero quinquaginta libras auri* Vestiario, *et Camerae nostrae.... noverit se soluturum*. Ex quibus recte conjectatus est Franciscus Ant. Vitale [11], *regium aerarium*, apud Gallos praesertim, *Vestiarium* vulgo olim audisse.

1 in not. ad Const. Porphyr.
2 ad Tertull. de Pallio.
3 ad Ammian. lib. xxvIII. p. 531.
4 de jure connubiali p. 73.
5 c. XLV. 6 sub finem.
7 l. II. c. xv. et l. xvIII. c. xvIII. et l. xx. c. xII.
8 Hist. lib. I. p. 125.
9 lib. I. c. xxvIII, et lib. IV. c. LXI.
10 T. IX. p. 174.
11 Tesorieri Generali Pontificii p. IV.

Item Maurini [1], qui omnes *veſtiarii* ſignificationes complectuntur, plerumque pro veſtium armario, aut pro re ipſa veſtiaria, uſurpari docent. Monent tamen *rem veſtiariam* Epiſcoporum, quae itidem *veſtiarium* nuncupabatur, eorum minime propriam eſſe, ſed de manu in manum, inſtar pecuniae, tradendam, ne forte cuipiam rei familiaris anguſtia aditum ad Epiſcopatum praecluderet. Quod aperte conſtat ex Gregorii epiſtola Petro Subdiacono Campaniae inſcripta, ubi ait. *Illos autem, qui cunctorum vice huc venerint ad eligendum Epiſcopum, admone, ut* Veſtiarium *omne Epiſcopi ſui ſciant deferendum, et quantum praeviderint, ſecum argentum adducant, quod in uſu ſuo habere poſſit, qui fuit Epiſcopus ordinatus.*

§. II.

Veſtiarii Lateranenſis ſitus, uſus, ac vices.

Etſi *Veſtiarii* vox praecipue orta ſit ex loco, in quo ſacrae veſtes adſervabantur, tamen, ut jam vidimus, ibidem non modo veſtes, ſed etiam cimelia, ac ſacrarum aedium theſaurus recondebantur; iſque ille idem erat locus extra Eccleſiam, quem *Secretarii*, aut *Sacrarii* nomine veteres deſignabant. Et ſane Procopius S. Sophiae Templum deſcribens fatetur [2], ſeſe Veſtiarii *Templi hujus opes, quae ſunt in argento, et lapidibus, accurate percenſere non poſſe*. Itidem [3] *in Teſtamento Sancti, ac Deiferi Patris noſtri, et Confeſſoris Theodori Studienſis Praepoſiti lecto ante ejus dormitionem*, deſcribitur Veſtiarium *Eccleſiae ſacris imaginibus decoratum, quum et Barſanuphii imaginem in ſacro M. Eccleſiae* Veſtiario, *una cum Antonio Ephraim, aliiſque Sanctis Patribus exſtare conſtet*. Sic ex diplomate Johannis III.

1 in not. ad Greg. epiſt. 2 l.I.de aedif. Juſt. 3 T.IV.Op.Jac. Sirmondi p.82.

anni DLIX, quid esset *vestiarium*, luculenter apparet, quum ibi haec dona Templo XII. Apostolorum a Pelagio inchoato, et ab se perfecto [1], collata recenseat [2]. *Insuper ex sacro nostro* Vestiario *haec dona contulimus, videlicet crucem unam auream pensantem libras sex, calicem unum aureum pensantem libras duas, duos argenteos pensantes libras quatuor, vestes quoque sericas cum gemmis albis, et auro contextas quatuor*. Ex quibus constat, quanta jam tum esset *Apostolici Vestiarii* opulentia, quô Honorius I. post annos LXXX. magnam auri, argentique vim congessit, quam praesertim in Templis adornandis, ac peregrinis sustentandis Pontifices erogabant.

Quumque auri sacra fames omni aevo homines ad pessima quaeque incitaverit, frequentes de sacrilegis *Vestiariorum* raptoribus querelae occurrunt apud Scriptòres. Porro in Concilio Agathensi legimus epistolam Joh. VII. ubi narrat [3], Georgium Gregorii Primicerii filium, *post diversa homicidia depraedationis, et malignitatis genera, tam Patriarchium, quam* Vestiarium *Sedis Apostolicae sibi commissum, non tantum auro, argento, vel pallis, verum etiam aereis signis, vasisque* privasse. Idem *Vestiarium Lateranense* a Mauritio Chartulario, et Isaaco Italiae Exarcho depraedatum fuisse tradidit Anastasius in vita S. Severini, ubi ait [4]. *Post triduum autem introivit Mauricius cum judicibus, qui inventi sunt cum ipso in consilio, et intrantes sub specie pacis, sigillaverunt omne* Vestiarium *Ecclesiae, seu cimilia Episcopii, quae Christiani Imperatores, seu Patricii, et Consules pro redemptione animarum suarum B. Petro Apostolo de-*

1 Bonaventura Malvasia Compendio hist. della Ven. Basilica de' SS. XII. Apostoli di Roma, sua fondatione, origine, nobiltà, sito, preziosi tesori, delle sante reliquie, che in quella si contengono. Roma 1665. 8.

2 apud Baronium n. 8.

3 in T. VI. Concil. P. I. p. 117.

4 T. I. §. XII. p. 249.

Digitized by Google

reliquerant, ut pauperibus singulis temporibus pro alimoniis erogarentur, seu propter redemptionem captivorum. Postmodum misit Mauricius epistolas suas ad Isaacium Patritium Ravennam, de eo, quod actum est, quomodo ipsi cum exercitu sigillasset omne Vestiarium Episcopii, *et quia sine aliqua laesione omnem substantiam praedictam potuissent depraedari. Quumque hoc verius cognovisset Isaacius, venit de Ravenna in Civitatem Romanam, et misit omnes primates Ecclesiae singulas civitates in exilium, ut non fuisset, qui ei resistere debuisset de clero. Post dies aliquantos ingressus est Isaacius Patricius in Episcopium Lateranense, et fuit ibi dies octo, usque dum omnem substantiam illam depraedatus est. Eodem tempore direxit ex ipsa substantia partem quamdam in civitatem regiam ad Heraclium Imperatorem.* Quae quidem de *Sacrario Lateranensi* intelligenda esse docet Blondus, cujùs verba, quum allato Anastasii loco lucem afferant, haud gravabor adjicere. *Quum*, inquit [1], *Severinus Pontifex Mauritii concionem rescivisset, Sacerdotes cum valida propinquorum, clientumque manu convocans,* Sacrarium, *in quo pretiosa servabantur obicibus, repagulisque firmavit. Militibus interim cum armis ad Episcopium convenientibus irrumpere voluit Mauricius. Sed Pontifex Severinus illum, quod diu prohibere nequivisset, Episcopium ingredi permittens, ostendit, quam valido armatorum praesidio* Sacrarium *servaretur. Eum Mauricius defensionis* Sacrarii *apparatum videns, dolo aggressus est, quod armis, et violentia obtinere nequiverat. Pontificem enim, et Lateranensis Eccl. primates Romanos Sacerdotes blandis adlocutus est verbis, sese dicens, ea solum accessisse caussa, ut illa in Sedis vacatione furtum, rapinamque sacrae supellectilis prohiberet. Unde a Severino, Sacerdotibusque suis*

1 in Dec. 1. lib. 11.

facile impetravit, ut arculae Sacrarii *duplici Pontificis, et Chartularii signo ad seras munirentur, communisque Sacerdotum, et militum statio Episcopium custodiret*. Eodem plane sensu Anastasii verba sese accepisse declarat Platina in ejusdem Severini vita.

Verum potior hujusce *Vestiarii* depraedatio accidit Stephani V. aetate, quam idem Anastasius ita describit [1]. *Deinde cum venerabilibus Episcopis, et Augustali Legato, ac honorabili Senatu per omnia Sacri Palatii perrexit* Vestiaria, *quae in tantum devastata reperit, ut de sacratis vasis, quibus mensas tenere festis diebus Pontifices consueverant, paucissima invenirentur. De reliquis vero opibus nihil omnino. Sed quid mirum, si* Vestiariorum *gazas ablatas reperit, qui* Sacraria *perquirens, de pluribus donariis, et Ecclesiarum ornamentis paene nihil invenit? Crux tamen aurea illa famosissima, quam Belisarius Patritius ad honorem B. Principis Petri Apostolorum instituit, ac plurimae sacratissimorum Altarium aureae vestes, cum reliquis pretiosis ornamentis non defuerunt. Nam ideo ipse Beatissimus Papa coram tantis testibus ea requirere providit, ut cuncti cognoscerent, nil tale suis temporibus esse ademptatum*. Quum autem heic *Vestiarium* a *Sacrario* diversum fuisse videatur, haud abs re, puto, erit, ut, quo vere loco Basilicae Lateranensis *Vestiarium* situm esset, ac, utrum una eademque cum *Sacrario* res esset, exploremus.

Vetus Ichnographia Basilicae Constantinianae edita a Joh. Raspono [2] Cardinali, et Praesule Joh. Ciampinio [3] exhibet ad angulum orientalem, sinistro latere, *Sacrarium*, ipsius Basilicae porticibus adnexum. Ejusdem meminit

1 T. III. §. VI. p. 265.
2 lib. IV. de Basil. Lateran. c. XX. p. 386.
3 de sacris aedificiis a Constantino M. constructis c. II. p. 14. et 20.

Anastasius in vita Stephani III, ubi narrat post Paulli I. obitum anno DCCLXVII. Totonem Ducem Nemesinum, una cum suis fratribus, Romam venisse, ut Constantinum fratrem Pontificem eligendum curarent. Sed, Totone interfecto [1], *fugit isdem Constantinus cum suprascripto Passivo, et Theodoro Episcopo, et Vicedomino suo in Basilicam Salvatoris, et descendentes ad Fontem, in Ecclesiam S. Venantii, aliquantulum ibidem resederunt, et considerantes melius se posse salvari, in* Vestiarium *adscenderunt. Illuc intus Oratorium* S.Caesarii *ingredientes, clausisque super se januis, ibidem residebant: et venientes post assignatas horas hujus Romanae urbis militiae judices, eos ex ipso Oratorio ejicientes, sub cautela munierunt*. Rasponus [2] Constantinum, aliosque, ex hoc *Vestiario* in Oratorium S. *Caesarii*, eidem *Vestiario* contiguum, ingressos fuisse putat. Verum Gallettus [3] Oratorium Sancti *Caesarii* in ipso *Vestiario* situm fuisse contendit, reprobans iccirco, quae idem Rasponus capite superiori [4] statuerat de Oratorio S. *Nicolai* a Callixto II. erecto, una cum duobus cubiculis, quibus Patriarchii *Vestiarium* subjectum fuisse scripsit. Quid ni? si eadem Anastasii verba, quae *Vestiarium* superne positum declarant, quô adscendere ex aede S. *Venantii* Constantinus, aliique coacti sunt, sub Oratorii S. *Nicolai* cubiculis situm fuisse, Galletti sententia, reclamant.

Verum, si quid sentiam, dicere licet, litem omnem Rasponum inter, et Gallettum, facile componam, dummodo ante oculos temporum ratio habeatur. Siquidem sacrilegi invasores Oratorium *S. Caesarii*, quod seculo VIII. *Vestiarium* erat, ingressi sunt, quodque a Callixto II. alio tutiori loco posthac erectum fuisse certum est. Nam Nic.

1 T. II. §. IX. p. 139. 2 loc. c. p. 349. 3 del Vestarario p. 3. 4 l. IV. c. 12.

de Rosellis Cardinalis Aragonius in ejusdem Pontificis vita apud Muratorium [1] aperte docet, *Vestiarium* sub Oratorio S. *Nicolai* ab eo constructum. *Hic a fundamento construxit in Palatio Lateranensi Capellam S.* Nicolai *ad assiduum Romanorum Pontificum usum, juxta quam aedificavit duas cameras contiguas cum tuto* Vestiario, *quod sub eis fieri fecerat, unam videlicet cubicularem, et pro secretis consiliis alteram*. Etsi enim locus inferior superiori minus esse tutus videatur ad Thesauri custodiam, tamen alterius cubiculi usus *pro secretis consiliis*, qui ibidem explicatur, *Secretarium*, seu *Vestiarium* ibidem fuisse mihi persuadet, ac propterea retinendam esse puto lectionem *cum tuto Vestiario*, pro *tuto Vescano*, quae in nonnullis exemplaribus occurrit.

Itaque libens Galletto [2] concessero, in Oratorio S. *Caesarii*, quod Baronius [3], Martinellio [4], et Sarnellio [5] adhaerentibus, perperam pro aede S. *Caesarii* in via Appia, pone Templum S. Xysti, accepit, virorum nobilium liberos sacris disciplinis informatos fuisse, quod certe fieri minime potuisset in *Vestiario* sub Oratorio S. *Nicolai* a Callixto II. duobus post seculis e fundamentis erecto, ac postmodum ab Anastasio IV. instaurato [6], quodque nemo, quantum equidem sciam, eidem usui patuisse tradidit, quem jam tum desuevisse putandum est. Itaque de eodem *S. Caesarii* Oratorio accipias, licet, quae Anastasius tradidit de Leone III [7], *qui a parva aetate in* Vestiario *Patriarchii enutritus, et educatus, omnemque ecclesiasticam disci-*

1 in Tom. III. Script. rer. Ital. p. 420.
2 loc.c.p.4. at 31. 3 ad ann. DCIII.
4 In Roma ex Ethnico sacra p. 85.
5 delle acclamazioni usa a farsi nelle elezioni degl' Imperadori, e da' Re, ed anche a' Letterati. T. III.litt.Eccl. p. 114.
6 V. Grimaldum apud Martinellium in Rom. ex Ethnico sacra p. 380. Panvinium, et Severanum de vII. Urbis Eccl. p. 562.
7 T. II. §. I. p. 236.

plinam spiritualiter eruditus, tam in psalterio, quamque in sacris divinisque scripturis pollens, Subdiaconus factus, in Presbyteratus honorem provectus est; et paucis interpositis. *Et dum taliter in ipso* Vestiario *praecipue degens splenderet; et ab ejus sollertissima cura ipse* Vestararius *regeretur, ab omnibus amantissime deligebatur*.

Profecto *Vestiarii* scholam in Vrbe exstitisse, praeter munus *Prioris Vestararii*, de quo infra disseremus, testatur supplex quidam libellus, quem edidit Gallettus [1], a *Iohanne* Vestarario, *et a Leone Priore Scole* Vestiarii *subscriptus*. Praeterea Oratorium S. *Caesarii* in usum *Scholae Vestiarii* opportune, ac commode servire poterat, quippe quod laureatis Imperatorum imaginibus, usque a Gregorii M. aetate, qui meminit [2] iconum Phocae, et Leontiae Augustorum, repositarum *in Oratorio S. Caesarii M. juxta Palatium*, praefulgens, quae ad Vrbem, vix auspicato Principatu, dono mittebantur, amplum, et spatiosum fuisse conjicitur ex Anastasio in vita Sergii I; ubi ait [3]. *Deo annuente, in personam denominati Sergii, venerabilis tum Presbyteri, concordantes se contulerunt, eumque de medio populi tollentes, in Oraculum B.* Caesarii *Christi Martyris, quod est intra sacrosanctum subscriptum Palatium introduxerunt, et exinde eum in Lateranense Episcopium cum laudum acclamationibus deduxerunt*. Ejusdem Oratorii amplitudo patet etiam ex Eugenii III. electione, qui ibidem post Lucium II. a XLIII. Cardinalibus in unum coactis, Pontifex renunciatus fuit [4].

Neque vero dubitari ullo modo potest, quin idem

1 loc. cit. p. 48.
2 lib. XI. epist. I.
3 T. I. §. II. p. 304.
4 in ejus vita apud Muratorium in T. III. Rer. Ital. p. 437. Pietro Cardosi vita del Pont. Eugenio III. nel T. I. dell'Osservazioni di D. Maria Manni sopra i Sigilli antichi. Firenze 1739. 4.

Oratorium Patriarchii Lateranensis *Vestiarium* fuerit. Id enim diserte affirmat *Anastasius* in vita *Sergii* II. inquiens [1]. *Hic a Deo protectus venerabilis, et praeclarus Pontifex fecit in Patriarchio Lateranensi in Oratorio B. Caesarii, qui positus est in* Vestario, *vela sirica numero* v. *unum de blatti, ornatum in circuitu de quadrapulo, et alia duo de quadrapulo ornata de Tyreo, et alia duo de Tyrio ornata de blatti Byzantina*. Quae tamen, quum *Callixti* II. aetatem antecedant, nostras, ni fallimur, conjecturas minime infirmant de altero *Vestiario*, subsequutis temporibus, ejus vice, sub Oratorio S. *Nicolai* erecto. Idque probabilius etiam videbitur, si ea perpendantur, quae recte animadvertit Gallettus [2], qui Sec. xI. exeunte, propter innumeras Vrbis calamitates, *Vestararii* munus sublatum fuisse putat. Tunc enim *Vestiarium* cum *Sacrario* conjunctum fuit, ac *majorum*, et *minorum* vasorum distinctione praetermissa, universae supellectilis cura *Mansionario* fuit consignata. Haec autem perbelle conveniunt aevo *Callixti* II, qui iccirco potuit sub Oratorio S. *Nicolai* duo cubicula in *Secretarii*, et *Vestiarii* usum exstruere. Porro ex iis temporibus dumtaxat *Vestiarii* nomen pro *Sacrario* usurpatum fuisse testantur allata Romanor. Ord. loca.

Ceterum, rebus deinde compositis, ac pace Ecclesiae restituta, quum Pontificum pietati, et munificentiae sacras aedes pretiosa supellectile rursus ditare permissum fuit, denuo hujusmodi cimelia tutiori loco reposita, et e *Sacrario* abstracta facile credam. Id certe suadere videtur Rom. Ecclesiae Thesauri Inventarium *de tempore Domini Bonifatii Pape octavi, et Benedicti* xI. ex Cod. Othoboniano a Galletto [3] editum. Ejus custodiam *Camerario* tra-

1 T. III. §. xxv. p. 52. 2 loc. cit. p. 56. 3 loc. cit. p. 59.

ditam fuisse constat, qui *Vestararius*, seu *Prior Vestiarii* antiquitus nuncupabatur, ut erudite Muratorius [1] ostendit, quia [2] *fortasse nomine Vestiarii Pontificii, Camera olim designata est*, ex qua deinde, ut Franc. Ant. Vitale [3] conjecit, eidem *Camerarii* nomen adhaesit.

§. III.

De Vestiario, et Hegumenarchio S. Anastasii ad Aquas Salvias.

Praeter haec *Vestiaria*, quibus Patriarchium Lateranense variis temporibus instructum fuit, altera etiam in *Oratorio S. Thomae* inferius illustrando, de quo jam nonnulla superius [4] audivimus, ac pone Oratorium *S. Laurentii* in Cella Gregoriana, ibidem exstitisse, una cum Alamanno [5], alibi demonstrabimus. Nunc ad alterum aedis S. Anastasii *ad guttam jugiter manantem* primitus, postea *ad tres fontes*, sive *ad aquas Salvias* nuncupatae, *Vestiarium* innuendum, gradum faciamus, quod incendio exustum, una cum Basil., et Monasterio, a fundâmentis Hadrianum restaurasse narrat Anastasius hoc modo [6]. *Basilicam vero Monasterii B. Anastasii Christi Martyris, una cum* Vestiario, *seu* Hegumenarchio, *ceterisque aedificiis, per incuriam Monachorum nocturno silentio exustam a fundamentis usque ad summum tectum, quum audivit misericordissimus Praesul valde diluculo velociter currens reperit eam adhuc ardentem, et solummodo arcam ejusdem Martyris lipsani erutam in media curte jacentem. Cetera vero Sanctuaria, seu ministeria tam in Ecclesia, quam in* Vestiario *ab ipso igne conflata sunt. Qui cum nimio moerore cum suis ministerialibus certatim extinguens ignem, confestim viribus totis a*

1 in Diss. xxvI. Antiq. Ital.

2 T. I. Ant. Ital. col. 948.

3 Memorie Istoriche de' Tesorieri Generali Pontificii, Napoli 1772. 4. p. v.

4 pag. 229.

5 de parietinis Lateranensibus Rom. 1625, et 1756. 4. p. 17.

6 T. II. §. xcI. p. 231.

flammiferis ruinis erutam a novo in meliorem statum praedictam Ecclesiam cum Vestiario, *et* Hegumenarchio, *ceteraque aedificia renovavit, atque restauravit, et amplius in ea Sanctuaria, atque ministeria, et ornamenta majora, quam quae ibidem combusta sunt, contulit.* Ex quibus emicat altera *Vestiarii* denominatio, quam tamen nullo alio loco usurpatam inveni, si Vignolium sequamur, qui [1] *Hegumenarchium* idem, ac *Sacrarium* fuisse pronunciat. Verum Ducangius [2], ibidem *Hegumeni* domicilium, ut *Patriarchium* aedes *Patriarchae* dicebatur, indicari putat, ac forte quod ἡγουμενεῖον vocat Alexii Comneni Novella. Nam, ut ait Binghamus [3], *monasteria dicebantur etiam* ἡγουμενεῖα, et μάνδραι, *unde* Hegumenus, *et* Archimandrita *nomina sunt Abbatis, qui praecipuus Monasterii cujusdam pater, vel gubernator est.* Hoc nomine Priores, seu Monasterio Praepositos Graeci vocant, qui *Primates Monasterii* a Juliano Antecessore [4], *Principes Monasterii* in Regula S. Pachomii [5] nuncupantur. Et sane sub *Praefecti* notione, hoc eodem vocabulo utitur Eusebius Caesariensis, ubi ait [6]. *Tres in unaquaque Ecclesia ordines, unus quidem* τῶν ἡγουμένων *praefectorum, duo, qui subjecti sunt, quum sit Ecclesiae Christi Populus in duos ordines distributus, in fidelium ordinem, et in eum, qui est nondum ad lavacrum regenerationis assumtorum.* Quod quidem diserte confirmat S. Clemens, qui hac eadem appellatione Episcopos, quidquid Blondellus obmussitet, ita designavit [7]. *Subditi* τοῖς ἡγουμένοις *Praepositis vestris, et honorem debitum Presbyteris tribuentes*; et rursus alio loco [8], τοὺς προηγουμένους *Praepositos nostros veneremur, Presbyteros nostros honoremus, juvenes doceamus.*

1 T. II. p. 567. in Glossario.
2 in Glossario.
3 T. III. p. 41.
4 c. XIX.
5 §. VII. c. XXII.
6 lib. VII. c. III. p. 323.
7 epist. ad Corinth. n. I. p. 10.
8 ibid. n. XXI. p. 20.

Digitized by Google

Hoc eodem munere, ac titulo decorati fuerunt plerique Caelitum sanctorum. Nam *Hegumenos* fuisse constat S. *Germanum* Fundatorem Monasterii Cosinitrensis [1], *Calogerum* [2], *Hilarionem* juniorem Confessorem Cpol. [3], *Hypatium* Presbyt. Monasterii Rufin. in Bithynia [4], *Iohannem* Martyrem Menagriensem [5], *Iosephum* [6], *Iulianum* Cpolitanum [7], *Macarium* Confessorem Monasterii Pelecetes [8], *Memnonem* Thaumaturgum [9], *Nicephorum* [10], et *Nicetam* [11] Confessores Medicienses in Bithynia, *Platonem* [12], *Sergium* [13], *Theoctistum* Monachum in territorio Hierosol. [14]; *Theodorum* [15], *Theophanem*, seu *Isaacium* Confessorem [16], et *Titum* Thaumaturgum Presbyterum [17] apud Graecos. Praeterea *Hegumena Bonembasiae in Laconia* fuit B. *Martha* [18], et S. *Athanasia* vidua in Aegina Insula [19], et S. *Irene* Virgo Constantinopolitana [20], eodem *Hegumenae* titulo fuerunt insignitae. Quae quidem omnia etsi ad quartam Syntagmatis partem, ubi de Ecclesia Orientali habendus est sermo, jure suo quodammodo spectarent, tamen heic collocanda esse duxi, ne *Hegumenarchii* vocem cum altera *Vestia-*

1 in T. III. Maii Bolland. pag. 161., et graece in Appendice p. 7.
2 Dan. Papebrochii de SS. Gregorio, Demetrio, et Calogero Hegumeno MM. in Fragalati Siciliae Monasterio Commentarius. in T. III. Junii p. 594.
3 in T. I. Junii p. 758.
4 in T. III. Junii p. 303.
5 in T. I. Junii p. 402.
6 9. Sept. p. 326.
7 in T. II. Junii p. 557.
8 in T. I. April. p. 30.
9 in T. III. April. p. 578.
10 in T. I. Maii p. 502.
11 T. I. Apr. p. 253. et graece ib. in app. p. 22.
12 Theodori Studitae, Oratio funebris, sive vita S. Platonis Hegumeni graece, et latine cum Commentario praevio, et notis Dan. Papebrochii. T. I. April. Boll. p. 366. et apud Surium. die 16. Dec. p. 269.
13 25. Sept. p. 3.
14 in T. I. Septembr. p. 659.
15 8. Augusti p. 351.
16 inter Scriptores Byzantinos. Paris. 1655. fol. et Venet. 1729. fol. in Surii vitis SS. d. 12. Martii p. 158, et in T. II. Martii Bolland. p. 218. et 700.
17 in T. I. Aprilis p. 101.
18 in T. V. Maii p. 431.
19 in Surii vitis SS. d. 14. Aug. p. 130, et in T. III. Aug. Boll. p. 170.
20 in T. VI. Julii p. 600.

Digitized by Google

rii ab Anastasio conjunctam divellerem, sed una secum, quoad ejus fieri posset, illustrarem.

Sed etiam *Hegumenium* ea Monasterii pars vocabatur, quae peregrinis recipiendis erat assignata, ut docet ille Passionis SS. xx. Martyrum locus [1]. *At* Hegumeniarcham, *id est eum, qui peregrinis praepositus erat in* Hegumenio *commorantibus, Johannem nomine, compositis optimisque moribus adolescentem, ubi diaboli satellites agnoverunt, mille affectum plagis...... non permiserunt pedibus introire in Ecclesiam*. Atque hinc vides, *Hegumeniarchae* munus diversum fuisse ab altero *Hegumeni*. Quod vero spectat ad S. Anastasii Aedem, et Monasterium, consule praeter Surium [2], et Bollandianos [3], iter italicum Mabillonii [4], qui ectypum vetustissimae ejusdem Martyris imaginis exhibuit, quam Hadriani Pontificis Legati in actione IV. Concilii II. Niceni Daemones fugari testati sunt.

§. III.

Vestiarii, Revestiarii, Revesticorii, Revestitorii, Revestorii, Vestibuli, Revestibuli significatio, atque usus, sollemnioribus anni diebus.

Ex hujusmodi reconditorio diebus sollemnioribus pretiosiora cimelia depromi solere docet I. Ordo Rom. cujus haec sunt verba [5]. *Diebus vero festis calicem, et patenam majores, et Evangelia majora de* Vestiario dominico, *exigunt sub sigillo* Vesterarii *per numerum gemmarum, ut non perdantur*. Acolythorum vero curae commissum erat, ut ad Ecclesias, ubi statio indicta erat, necessaria ad Pontificem honore excipiendum deferrentur, quae ita ab Or-

1 T. III. Martii Bolland. p. 171.
2 d. 22. Januarii p. 361.
3 T. II. Januarii p. 436.
4 T. I. p. 140.
5 n. 3. p. 5.

dine III.[1] enumerantur. *Suscipitur autem Pontifex per Presbyteros Tituli, vel Ecclesiae, ubi indicta est statio, una cum majoribus ejusdem Eccl., et offertur in obsequium illius thymiamaterium incensi, inclinato offerentium capite; atque petita benedictione, et accepta, hinc inde Pontificem praecedunt ad Ecclesiam, prout quemque contigit secundum ordinem militare. Sed haec cura erit Acolythorum, ut sacri ministerii vasa per manum* primi Mansionarii, *qui est* Custos Dominicalis Vestiarii, *accepta deferantur per bajulos de majori Monasterio ad celebrandae stationis locum, quae sunt aquamanile, hoc est vas manuale, patenae, calices, et scyphi, atque pugillares aurei, sive argentei, amulae argenteae ad vina fundenda paratae, colatorium aureum, sive argenteum, et cantatorium.*

Iam vero, quum ibidem sacra ministeria adservari vidimus, Antistites, ceterosque sacros Ministros eô ingressos, ut iisdem utantur, intueamur. Illuc enim Romanus Pontifex festis anni diebus, in quibus sacrum peragere solebat, recta progrediebatur, ut sacris vestibus indueretur, excepta sollemni coronationis die, qua sese hac de caussa ad *Cellam Gregorianam* conferebat, quae tum *Vestiarii* loco erat, ut accurate demonstrabimus, ubi de eadem agendum erit. Heic tantum alium illius diei usum commemorabo, qui a Canonico Romano recensetur hujusmodi verbis[2]. *Nota, quod quia semper, quum D. Papa coronatur ad S. Petrum, accipiunt Canonici pro Presbyterio octo solidos lucenses, et decem solidos pro* Vestiario. Petrus Morettus[3] pluribus inquirit, quid lateat sub hac *Vestiarii* denominatione, incertusque haeret, num pro *Sacrario* Canonici locus accipiendus sit, an potius ibidem innuatur vetus consuetudo, certis sollemnitatibus renovandi vestimenta

1 n. 4. p. 54. 2 num. 52. p. 151. 3 de Presbyterio Par. I. Sect. vI. p. 56.

Digitized by Google

ministrantium Basilicae, quae postea in strenam conversa est, an demum pro *Vestiarii* portione, cujus vice fieret Canonicis, quorum tunc vita communis, solidorum solutio. Postrema hujusmodi significatio eidem Moretto magis arrisisse videtur, qui hujusce usus vestigium agnoscit in denariis, qui pro *Vestibus* quondam dispensari consuetis, sacrarum Canonizationum occasione diribentur, ac praesertim in pecuniae distributione, qua sacrarum caeremoniarum Praefecti in Agnorum Dei benedictione donantur pro *Vestiario renovando*, seu pro *Strena Vestiaria* [1].

Sed, ut cetera Ordinum loca, in quibus *Vestiarium* pro *Sacrario* indicatur, diligenter excutiamus, ab augustissima Natalis Dominici sollemnitate exordiamur. Ea die Pontifex, ut docet Cajetanus [2], *hora competenti intrat* Sacrarium, *seu* Vestiarium (*S. Mariae Majoris*) *cum Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Cardinalibus, Capellanis, Subdiaconibus, et reliquis Ordinibus, et cantant Tertiam; qua dicta, induunt eum sollemniter sacris albis vestibus, et quilibet in ordine suo, sic processionaliter adcedunt ad Altare cum Cruce, et* VII. *faculis*. Eadem habes apud Petrum Amelium, qui *de prima Missa Nativitatis Domini* ait [3], *et revertitur ad* Revestiarium, *ubi debet semper indui*; ac disserens *de secunda Missa* [4], iisdem utitur Cajetani verbis.

Kalendis Januarii in Ecclesia Vivariensi Festum Fatuorum peragebatur, *Hypodiaconorum*, *Stultorum*, *Innocentium* promiscue dictum, quo perditi homines, ludicris impia miscentes, Episcopum sacra facturum imitabantur, et in *Vestiario* sacris vestibus per summum nefas induebant. Accipe, quid in hanc rem testatum reli-

1 Martinus Lipenius in Strenarum Hist. c. IV, et in T. XII. Thes. Graevii p. 511.

2 Ord. XIV. p. 328.

3 Ord. XV. §. IX. p. 451.

4 ib. §. X. p. 453.

quit Caeremoniale ms. ejusdem Ecclesiae anni MCCCLXV. apud Ducangium [1]. *Episcopus stultus ad matutinas, Missam majorem, et Vesperas cum suo Capellano in Episcopali Cathedra marmorea decenter ornata debet per hos tres dies pontificaliter praesidere. Vnde in introitu dictarum horarum debet in* Vestiario *cappa communi serica indui, et ornari una cum mitra, et sericis cyrothecis. Capellanus vero ejus cappa etiam communi serica induatur, portans in capite parvum pulvinar, sive cussinum loco cappelli, sive birreti; ut sic ornati, praecedentibus ceroferariis, more solito cappis sericis ornatis una cum Rege (apparitore) a dicto* Vestiario *procedentes cum mansuetudine ad dictam Cathedram perveniunt episcopalem*. Sed de ridiculo hoc festo satis. Pudet enim alia proferre, utpote quae potius theatri pompae, ac lusui, quam Templo, et sacrae caeremoniae convenirent. Paucula haec etiam aegre retulimus, etsi ab instituto nostro non omnino abhorrentia. Cetera, si lubet, vide apud Ducangium, aliosque [2], qui SS. Patrum, et Pontificum curas recensent ad sacrilegum hujusmodi usum plane evellendum.

Atque, ut pias caeremonias per anni cursum obeundas persequamur, Cajetanus agens *de benedictione cereorum, quae fit in die Purificationis B. Mariae*, inquit [3]. *Deinde, si Papa celebrat, vadit ad* Revestiarium, *si sit; si non sit, ad*

1 in voce Kalendae.

2 Joh. Busaeus, T. xxiv. Bibliot. PP. p. 1371. 1373. ad Petri Blaesensis Epistolam cxxvI. et in appendice. Honoratus de S. Maria, de regulis, et usu critices. Paris. an. 1717. 4. T. iI. lib. ssI. diss. iiI. Ant. Pagi in crit. Baron. ad an. MCLXXXVII. num. xviI. et Franciscus Pagi, in Brev. de vitis Pontificum T. iv. Artigny T. iv. des nouves memoires art. 68. Michault T. I. des Melanges historiques, et Philologiques art. xvi. Franc. Ant. Durr Commentatio historica de Episcopo Puerorum, qua historia litteraria universae rei Liturgicae, variaeque antiquitates ecclesiasticae illustrantur. Exst. in T. iiI. Diss. Eccl. p. 88. Hugo Menardus ad Paenitent. Rom. T. xiz. Bibl. PP. p. 931. et ad Concord. Reg. c. 1. §. iv. Aloysius Novarinus. Schediasm. sacra L. v. c. xvI. Muretus, in querela ad Gassend. de festo Stultorum pag. 73.

3 §. LXXVIII. p. 346.

Cathedram suam longe ab Altare paratam ad partem sinistram Altaris; et deposita mitra alba, et plana cum pluviali, et stola, induitur sacris, et preciosis albis vestibus, servato ordine alibi signato. Quid vero Amelius de ejusdem diei pompa depromat, audiamus [1]. *Deinde si Papa celebrat, dicta oratione vadit ad* Revestiarium, *si sit, si non, ad cathedram suam longe ab altari paratam a parte sinistra altaris, et deponit mitram albam, et planam, similiter et pluviale cum stola, et remanet cum alba, prout prius lectis* Quam dilecta ... [2] *et orationibus illis debitis: et quum dicuntur, calceatur Sandalibus, quibus expletis, lavat manus, et induitur sacris, et pretiosis albis vestibus. Similiter omnes Cardinales, et Praelati alii juxta ordinem suum, videlicet Episcopi pluvialia, Presbyteri casulas, Diaconi tunicellas, et dalmaticas, prout moris est, quibus utantur per totam Missam. Receptis paramentis per Papam, traditur sibi mitra nobilis, et sollemnis, qua utitur per totam Missam, et postea venit ad Altare*.

Post haec eumdem Amelium de I. *die Quadragesimae, seu Cinerum*, providentem sequamur [3]. *Qua completa oratione*, postquam cinere sacro populum viritim insperserat, *Papa recedit, et vadit ad recipiendum paramenta sua in* Revestiario, *paratis sollemniter per* Sacristam, *et ejus Clericum nigri, aut violacei indii coloris. Quibus receptis, et mitra sibi reposita, venit coram altare*. Sic etiam Missale ad Fratrum Praedicatorum usum exaratum, postquam descripsit cinerum benedictionem, et impositionem feria IV. in capite jejunii, ita pergit [4]. *Deinde Sacerdos, ac Ministri Altaris divertunt in* Vestiarium, *ac resumpta casula a Sacer-*

1 §. XXI. p. 458.

2 Se il Vescovo, che celebra pontificalmente, è tenuto a recitar privatamente i Salmi di Terza, che tralascia? Sarnelli in T. VII. Lit. p. 10.

3 §. XXIV. pag. 462.

4 Martene Tom. III. de antiq. Eccl. rit. p. 159.

dote redeunt ad Altare. Sollemnis vero pompa memoranda est in Turonensi S. Martini Antiphonario descripta, in qua Hebdomadarius, dominica prima Quadragesimae [1], *cum tribus Diaconis, totidemque Subdiaconis, infulis rubris revestitus incedebat, cantore medio inter succentorem, et suppletorem in alba parato, et cappa serica, chirothecis, baculum aureum manu gestante, qui in reditu Processionis ad januam chori ante stallum Patriarchale, missae introitu imposito ad* Revestiarium *cum succentoribus, vestes exuturus recedebat*. Memorandus est etiam Ordo ms. Eccl. Viennensis in Gallia [2], qui, ubi exhibet *officium* IV. *Evangelistarum, quod in Scrutiniis catechismi dicitur, sive exorcismi, fieri solitum baptizatis feria* IV. *post Dominicam* IV. *Quadragesimae*, haec habet. *Duo Clericuli cum magistro accedentes ad* Revestiarium, *ibidem revestiantur ad modum Diaconi. Archidiaconus Salmonacensis repraesentans Matthaeum indumentis rubeis ..... Archid. Artavensis repraesentans Marcum, indumentis pallidis ..... Archid. de Turre repraesentans Lucam, indumentis viridis ..... Archid. Viennae repraesentans Johannem, indumentis albis*; aliisque interjectis, quae reliquas illius diei caeremonias exponunt, ita explicit. *Post Evangelium, secundum Johannem*, praeteriens Jesus, *recedant* IV. *Archidiaconi in* Revestiarium. Verum ab Amelio, quid agendum esset feria V. in Coena Domini *de lectione processus*, accipiamus [3]. *Facta oratione ante Altare, vadit ad* Revestiarium, *et induitur sacris vestibus albis, et mitra cum perlis etiam sollemni, et sic procedit ad Missam more solito*.

Ordini Rom. et alii consonant. Pontificale Ecclesiae Senonensis de sancto chrismate eadem die conficiendo

1 ibid. pag. 183.

2 Martene in Tom. I. de ant. Eccl. rit. pag. 115.

3 §. LXIV. pag. 481.

haec profert [1]. *Debent etiam praeparari in* Vestiario VII. pueri Acolythi *in albis cum cereis*. Alterum Pontificale Ecclesiae Parisiensis de eadem feria scriptum reliquit [2]. *Lecto Evangelio, praeparabuntur in* Vestiario, *qui ad deferendas ampullas secundum ordinem fuerunt deputati*. Altaris vero denudationem eadem die peragendam ita describit Ordinarium Ecclesiae Narbonensis. *Post comestionem circa horam nonam sint parati Diaconus, et Subdiaconus, cum dalmaticis violatis, et duo pueri cum flocquetis violatis in* Vestiario, *et incontinenti intrent honeste domum Capituli*. Antiqui ritus Eccl. Viennensis in Gallia, ubi exhibent officium in Parasceve, haec produnt [4]. *Post horam* IX. *omnes officiantes cum nova tonsura, et nudis pedibus existent. Induunt se ministri in albis, Archiepiscopus in cappa serica nigra, Archidiaconus Salmonensis, et duo Diaconi cum eo in casula, Subdiaconus, et Turibularius cum eo in dalmatica, et Ceroferarii, faciuntque in* Revestiario *confessionem, et tunc non accenduntur candelae circa Altare*. Jam vero ritus obeundos postrema die majoris hebdomadae ex ipso Amelio intelligamus, qui *de officio Sabbati* haec literis consignavit [5]. *Facta igitur benedictione Cerei, Papa descendit de sede illa, et vadit ad* Revestiarium *longe ab Altari paratum, si sit; alias vero, si non sit; ibidem calceatur sandalia*; aliisque interjectis, quae supra [6] recitavimus, haec adjicit [7]. *Hoc sane intelligas, si induatur in* Sacrario, *seu* Revestiario, *ibidem etiam sic processionaliter vadit. Quod si Papa induatur in ipsa Cathedra, et non in* Revestiario, *ibidem etiam sedet*. Quae quidem ab eodem copiose declarantur, ubi agit de *Presbytero Cardinali servienti Papae* [8]. Ibi enim ait.

1 Mart. T. III. de ant. Eccl. rit p. 259. 4 ib. pag. 391. 5 §. LXXVIII. p. 496.
2 ibid. pag. 261. 3 ibid. pag. 279. 6 p. 307. 7 p. 497. 8 §. LXXX. p. 498.

Tunc vero Papa surgens vadit ad aliam Cathedram longe ab Altari paratam, vel ad Revestiarium, *si sit; et depositis paramentis violaceis praedictis, induitur ipse Papa paramentis albis, et sollemnibus per Diaconum Cardinalem, qui Evangelium est dicturus, qui quidem Diaconus paratus debet esse paramentis albis, quando induit Papam, prout erat in Cerei benedictione. Similiter et omnes alii Cardinales paramenta alba recipiunt, videlicet Episcopi Cardinales cottam, amictum latum, pluviale; Presbyteri vero Cardinales similiter, non tamen pluvialia, sed planetas recipiunt: Diaconi vero Cardinales, et similiter amictum strictum, tunicellam, et dalmaticam recipiunt, et omnes Praelati pluvialia. Quibus paramentis per Papam receptis, imponitur sibi mitra nobilis, et sollemnis, et recipit ambos annulos de manu Presbyteri Cardinalis, ut supra: et assistentibus sibi praedictis duobus antiquioribus Diaconis Cardinalibus, uno a dextris, et alio a sinistris, vadit processionaliter ad Altare.*

Hac eadem die, Graecorum Euchologium referens *orationes baptismatis, quas praecedentibus catechismis dicit Patriarcha, maxime Sabbato S.* inquit. *Postquam introitus lucernarii, et prima sessio fuerint terminata, secundo lectore incipiente,* illuminare, *descendit e throno Patriarcha, et per* Sacristiam *in magni Baptisterii* Vestiarium *ingreditur; tum mutat vestes, et candido amicitur ornatu, et candida sandalia sumit, et ad piscinam progreditur*. Quae quidem vel in *Baptisteriis Sacrarium* fuisse, diserte confirmant, ubi studiose servatas putat Ant. Maria Lupus [1] candidas vestes, quas Neophyti Dominica in Albis deponebant, veluti quoddam testimonium contra eos, qui a professione, quam

[1] Dissert. postuma intorno a' Battisteri degli antichi, con note, e continuazione di Francesco Antonio Zaccaria. p. 120. Faenza 1785. 4.

publice in baptismo fecerant, forte desciscerent. Cujus quidem rei memorabile exemplum prodit Victor Vticensis. Narrat enim, *Murittam* Diaconum *Elpidiphoro* Carthaginiensi, ab se olim de sacri fontis alveo suscepto, qui deinde ad Arianorum castra transierat, ac tempore Vandalicae persecutionis in orthodoxos saeviebat, ventilato, simulque in omnium conspectu extento sabano, quo eum e fonte suscipiens contexerat, haec exprobrasse hujuscemodi verbis, quae totam ad fletum, et lacrymas civitatem commoverunt [1]. *Haec sunt linteamina, Elpidiphore, minister erroris, quae te accusabunt, dum majestas venerit judicantis.* Custodientur *diligentia mea ad testimonium perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Haec te, infelix, immaculatum cinxerunt de fonte surgentem: haec te, miserrime, acrius persequentur, flammantem gehennam dum coeperis possidere, quia induisti maledictionem, sicut vestimentum, scindens, atque amittens veri baptismatis, et fidei Sacramentum. Quid facturus es miser, quum servi patris familias ad Coenam regiam congregare coeperit invitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus, exutum stola Rex conspiciet nuptiali, dicetque tibi, amice, quomodo huc venisti, vestem non habens nuptialem? Non video, quod contuli, non nosco, quod dedi. Perdidisti militiae chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem mensibus texui, et tendicula Crucis extendens aqua mundavi, et purpura mei sanguinis decoravi, non conspicio cultum signaculi mei, caracterem non video Trinitatis.*

Ordinarium Narbonense ob oculos ponit pompam sollemnem ad Domini sepulcrum, festo Dominicae Resurrectionis, in illius memoriam, quam tres Mariae, emptis aro-

1 de persecut. Vandal. lib. II. Bibl. PP. T. VII, et in edit. Ruinart. Paris. 1694. 8.

matibus Christi corpus inuncturae peregerunt [1], fieri solitam, post quam *praedictae Mariae, et pueri intrant Vestiarium ad deponenda vestimenta*. Caeremoniale Eccl. Viennensis in Gallia inquit [2]. *Intrantes in* Vestiarium *Sacerdos planeta alba, Diaconus dalmatica alba, Subdiaconus tunica talari alba, et Turiferarius induantur, et sic praeeuntibus ceroferariis indutis etiam albis, procedant ad sepulcrum*. Ordo ms. Eccl. Rotomagensis Officium *Peregrinorum*, quod ibidem feria II. post Pascha celebrabatur, ita describit [3]. *Duo de secunda sede, qui sint scripti in tabula ad placitum scriptoris, induti tunica, et desuper cappis transversum, portantes baculos, et peras in similitudinem peregrinorum. Et habeant cappellos super capita, et sint barbati. Exeant a* Vestiario *cantantes hymnum*, Jesu, nostra redemptio, *venientes lento pede per dextram alam Eccl usque ad portas occidentales*. Alias vero caeremonias in Paschatis festo obeundas accipimus ex antiquis ritibus Eccl. Viennensis in Gallia, ubi legitur [4]. *Dum dicuntur Laudes, Curatus S. Crucis faciat benedictionem aquae in* Revestiario..... *Dum praemissa decantantur, Subdiaconus hebdomadarius, afferens urceum a* Revestiario, *obviam vadat Archiepiscopo*. Ceterum sollemnis aquae lustralis benedictio, singulis diebus Dominicis, circa medium seculum IX. fieri coepit. Atque hinc consuetudines Cluniacenses, ubi describunt ritum consecrationis salis, et aquae a Sacerdote peragendae, de qua superius [5] alia me dicere memini, sic auspicantur [6]. *In diebus Dominicis post Evangelium Missae minoris, Hebdomadarius major, manus, et faciem, atque os abluit, et*

1 Phil. Dionysii, antiquissimi Vesperarum Paschalium ritus expositio de sacro inferioris aetatis processu, Dominica Resurrectionis Christi, ante Vesperas in Vat. Bas. usitato conjectura. Romae 1780. 8.

2 ap. Mart. T. I. de ant. Eccl. rit. p. 506.

3 apud Ducangium.

4 Martene T. III. pag. 505. 506.

5 pag. 253.

6 ibid. T. IV. pag. 131.

postmodum Revestiarium *petit*, *ac Sacerdotalibus vestimentis*, *sola casula usque ad introitum Missae dimissa*, *se induit*. Hujusmodi aqua benedicta in pompis sollemnibus praesertim utebantur, ut fidem facit Ordinarium S. Petri supra Divam, ubi statuit [1]. *Quod si festum Epiphaniae in Dominica evenerit*, *nihil agatur de ipsa Dominica infra octavam*; *processio tantum sic ordinetur*; *ante Tertiam* sanctificet Sacerdos aquam; *deinde faciat cum Cruce*, *et aqua benedicta processionem*, *dicendo orationes constitutas*, *ad* Revestiarium, *Dormitorium*, *Capitulum*, *Refectorium*, *Collect. ante portas Ecclesiae*.

Ex his vides *Revestiarii* vocem a Cajetano, Amelio, aliisque [2] usurpatam, quorum exempla plane omisit Ducangius, idem ac *Vestiarium* esse. Quod in Inventario S. Capellae Paris. anni MCCCLXIII, ubi nominatur [3] *Fronterium cum dorserio antiquum pro altari* Revestiarii, Thesaurus etiam ita appellatur [4]. *Libri dictae S. Capellae*, *tam in choro*, *quam in* Revestiario, *seu Thesauro ipsius Capellae existentes*. Porro *Revestiarium Ecclesiae* rursus exhibet, Ordo Ecclesiae Viennensis apud Martenium [5]. *Dum classis pulsatur*, *et Tertia canitur*, *Archiepiscopus in* Revestiario *adornetur Pontificalibus indumentis*. Luculenter etiam pro *Sacrario* usurpatur, ubi legitur [6]. *Oratorium etiam cum* Revestiario *ad tuitionem*, *et defensionem ornamentorum Ecclesiae a novo fundavit*, *et forniceo opere cooperuit*, *ne reliquiae SS. vel Thesaurus Ecclesiae posset aliquando incendio populari*, *sive latrocinio*. Accedit Chronicon S. Dionisii, in quo haec habentur [7]. *Turris*, *ubi sunt cymbala*, *a parte* Revestiarii *non*

1 ibid. pag. 294.

2 Liber Feudorum Episcopatus Lingonensis sub anno MCLXVIII. fol. 45. Charta anni MCDL. apud Lobinellum in hist. Britranica . T. II. col. 1124. at in T. III. Gloss. Hist. Paris.

3 in Gloss. Carpent. T. II. p. 156. et 526.

4 ibid. T. III. p. 613.

5 T. I. de ant. Eccl. rit. p. 647.

6 apud Mabill. T. III. Analect. p. 326.

7 ad ann. MCCCXXXI. apud Acheriam Tom. II. Spicil. pag. 813.

erat perfecta, nec voltatus erat chorus, sed a parte S. Hippolyti totum erat perfectum, et etiam voltatum erat a parte Vestiarii. Quae quidem, ut obiter heic moneam, mirifice illustrant denominationem *Turris Cymbelariae*, qua Turrim Campanariam Bas. Vat. nuncupatam fuisse ostendam, ubi de *aeneo Gallo* vetustissimo disserendum erit, quem in Turris a Leone IV. exstructae fastigio olim insedisse constat.

Verum etiam pro *re Vestiaria* innuenda *Revestiarii* vox offenditur in epistola, anni plus minus MCCXIV, ad Nicolaum IV. apud Martenium [1], hujusmodi verbis concepta. *Canonicae seculares ibidem* (nimirum in Eccl. S. Aldegundis Milbodiensis) *praebendas obtinentes Eccl. suae .... licet de quibusdam proventibus praebendarum suarum, illius videlicet, qui ad* Revestiarium *suum, ut inibi vulgo dicitur, pertinent, ac de quotidianis etiam distributionibus suis, et aliis decimas solverint, et solvant pacifice*. Itidem de *Vestiaria* supellectile videntur accipienda, quae in computo an. MCDL. ex tabulario S. Wilfridi Abbavil. habentur [2]. *Pro* Revestiariis *Dominorum Canonicorum, et Capellanorum Majoris Altaris*.

Praeterea *Vestiarium* in *Revesticorium*, *Revestitorium*, et *Revestorium* quandoque commutatum est. Nam Instrumentum anni MCCCXLI. apud Rymerum habet [3]. *Intrantes* Revesticorium *ipsius Ecclesiae, et aperierunt quamdam arcam*; et paullo infra [4], *de dicto* Revesticorio *ad dictam Thesaurariam deferri fecerunt*; nisi utroque loco *Revestitorium* reponendum sit. Hujusmodi vocem produnt Acta S. Francisci de Paula, ubi legitur [5]. *Et introivit cum pluribus aliis locum* Revestitorii *ejusdem Ecclesiae, ut a dicto suo mor-*

1 Tom. Anecd. col. 1261.
2 ibid. Tom. III. pag. 614.
3 Tom. V. pag. 259.
4 ibid. pag. 260.
5 in Tom. I. Aprilis Bollandiani pag. 155.

bo liberaretur. Idem *Revestitorium* etiam occurrit in gestis Guillelmi Majoris Andegavensis Episcopi, etsi apud Acherium [1] altero modo afferatur. Ibi enim scribitur. *Ad* Revestorium *ivimus, et ibidem sandaliis, et omnibus Pontificalibus ornamentis fuimus revestiti*. Quid amplius? etiam. Nam in vita S. Willelmi Abb. Roschild. *Vestiarium Vestibuli* nomine designatur in hunc modum [2]. *Oratione completa*, Vestibulum *ingreditur, et ad Missam celebrandam sacris vestibus induitur*. Idem vocabulum in Pontificali Lugdunensi usurpatum vidimus [3], itemque ms. Pontificale Eccl. Catalaunensis apud Martenium [4] ait. *Pontifex intrat cum Clericis suis* Vestibulum, *seu Sacristiam*. Praeterea in Cod. Corbejensi Ratoldi Abb. legitur [5]. *Properante Episcopo ad Templi* Vestibulum, *et ad ostium* Secretarii, *osculetur Evangelium*. Verum hic ipse locus *Revestibulum* dicitur in Statutis MS. S. Petri Insul. ann. MCCCLXXXVIII: ex tabulario ejusdem Ecclesiae [6]. *Nullus etiam existens in sacris praesumet ad Lavacrum* Revestibuli *se lavare, neque manus tergere ad manutergia Altarium, aut ad lacrymatoria Sacerdotum, sub poena privationis chori*; ac disertius in altero Statuto an. MCDXXVIII. *in* Revestibulo *Ecclesiae, quod* Sacristia *vocari noscitur*.

Sed, ut ad primigeniam *Vestiarii* vocem revertamur, in Liturgia Jacobi, *Sacerdos sacrum celebraturus exit e* Vestiario, *et orationem dicit e janua* Vestiarii, *usque ad Altare. Deinde finitis mysteriis, dicit orationem ab Altari usque ad* Vestiarium. Item in ritu antiquae Missae, qui sub Johannis Abrincensis Episcopi nomine circumfertur [7], praescribitur, ut *Sacerdos in* Vestiario, *ceterique Ministri*

1 Tom. 2. Spicil. p. 303.
2 Tom. 1. April. Bolland. pag. 626.
3 pag. 282.
4 Tom. 1. de ant. Eccl. rit. pag. 613.
5 ibid. pag. 564.
6 in Tom. III. Glossar. Carpentier. p. 614.
7 V. Menard. in Sacram. S. Greg. p. 283.

sacris Vestibus juxta ordinem induantur. Praeterea referunt acta de restitutione Ebbonis ad Archiep. Rhemensem anno DCCCXLI, quod [1] *ductus est Ebbo Episcopus in* Vestiarium, *et indutus Episcopalibus vestimentis, similiter et alii Episcopi processerunt cum eo ad celebrationem Missae*.

In ordine ex antiquis Chartulariis Capituli Eccl. Parisiensis exrcepto [2], ubi agitur *de vita Canonici*, disseritur *de modo se gerendi in Capitulo, et in* Vestiario. Item antiqua Chartusiensium Statuta praecipiunt [3], ut Sacerdos, *quum Conventus adest, induatur in* Vestiario .... *et Diaconus, quum incipitur psalmus* Memor esto, *inter* Vestiarium *cucullam induat, et redeat ad sedem suam*. Ordinarium MS. Eccl. Cabilonensis praescribit, ut, *post tertiam stent Ministri per ordinem in exitu* Vestiarii; ac paullo infra inquit [4]. *Subdiaconus recipit de manu Diaconi Calicem, et involvit Sindone, et factis inclinationibus ante altare, ut supra, reportat eum in* Vestiario *super Altare, Ceroferariis hinc inde*. Sed nimis longum faciam, si cetera heic velim attexere, quae Martenius collegit ex aliis Monachorum [5] consuetudinibus. Heic tamen addam, quae Bernardus Monachus in Ord. Cluniac. inter majoris *Sacristae* munera recensuit, qui [6] *in omni etiam festivitate* XII. *Lectionum in* III. *Nocturno post Evangelii pronuntiationem, lotis manibus, cum uno de sociis, altare linteaminibus nudat, acceptumque Evangelii librum in* Vestiarium *defert*. Tanta enim erat veterum relligio erga Codicem Evangeliorum, quem plerumque collo suspen-

1 in histor. Rhemensis Metropol. Guill. Marlot. lib. III. a. XXI. pag. 386.

2 Tom. II. de ant. Eccl. rit. pag. 511.

3 Martene T. I. de ant. Eccl. rit. p. 631.

4 ibid. p. 649.

5 Vetus S. Germani a Pratis, T. IV. de antiquis Monach. rit. p. 128. 254. 304. 399. Lyrenses. ibid. p. 341. Cistercienses. ibid. pag. 147. S. Dionysii in Francia. ibid. p. 452. Caeremoniale Casalinorum. ibid. p. 149. Statuta Lanfranci. ib. p. 498. 502.

6 in Part. 2. cap. 51. p. 246.

Digitized by Google

debant [1], auro, ac gemmis obductum, ut non modo eum super Altari [2], vel in eminentiori Templi loco [3], collocarent, ac in Conciliis generalibus [4], sollemni, et magnifico apparatu, omnium prospectu, supra thronum ponerent, quemadmodum in Aula, ubi publica ferebantur judicia faciendum statuit Justinianus [5], sed etiam, ne haereticorum interpolationibus obnoxius esset, quotidie, absoluta Liturgia, sigillo obsignabant, nonnisi ex praecepto Archidiaconi reserando, ac, uti supra [6] vidimus, in *Sacrario* reponebant. Praeterea ibidem alii Codices ad Liturgiae usum servabantur. Quocirca *Vestiarii* vox pro *sacro Scrinio* saepe apud auctores occurrit. Exemplo sint haec ex gestis Hodingi Episcopi Cenomanensis desumpta [7]. *Multa Chartarum strumenta, vel praecepta regalia secum inde deferens, ibi ea dereliquit, et propterea in* Vestiario, *et Chartulario S. Mariae, et S. Gervasii hactenus non reperiuntur.*

Hoc eodem loco, quemadmodum in *Sacrario Baptisterii* fieri consuevisse demonstravimus, *Confirmationem* identidem fuisse administratam docet Goarus in Euchologio, ubi haec de Graecis tradidit [8]. *Siquidem fuerit Sacerdos baptizans, confestim ad augendum, signandumque eodem loco properat: si vero Pontifex, Cpoli quidem e Baptisterio S. Sophiae digressus, ad vicinam S. Petri aedem; alibi vero ad* Vestiarium, *Catechumenis exeundis, et Neophytis induendis destinatum, ut in* MS. *superius allato intueri licet, juxta Baptisterium lavacro salutis regeneratos, unctione perfecturus se confert,*

1 Chrysost. Hom. 3. in Matth. et Hieron. in cap. 21. Matth.
2 Aug. de Civ. Dei l. x. c. xxix. et apud Ciampinium in Musiv. S. Joh. Eccl. Raven.
3 Conc. Cpolit. viiI. c. viI.
4 Conc. Chalced. Cpolit. iiI. Nicoen. iI. Synod. Rom. an. DXLII. DCCXLV. et CMLXIX. Cyrill. Alexandr. Apolog. ad Theodos. Imperat.
5 L. rem non novam c. de Indic.
6 pag. 206. 314.
7 Martene T. iiI. Anecdot. p. 247.
8 adn. xxviiI. in baptisomat. offic. p. 300. et ap. Mart. T. 1. de ant. Eccl. rit. p. 233.

Digitized by Google

sicut Romae completo Constantinianis in fontibus baptismo, ad proximam, et adhaerentem S. Mariae in fontibus ideo vocatam aediculam, sacram manum impositurus, et uncturus quoque Latinus Pontifex proficiscitur. Quae quidem conferas velim cum iis, quae de Confirmationis ritu supra [1] attulimus.

CAPVT VI.

De Vestararii munere.

Qui *Vestiarii* curam gerebat, *Vestararius* vocabatur. Hujusmodi munus amplissimum erat, ac nonnisi nobilibus, ac praestantibus viris commissum. Quamplura ad eorum munia, ac privilegia illustranda, luculentissimo commentario prosequutus est Petr. Aloysius Gallettus, Episcopus Cyrenensis [2]. Quare ex ejus opere selectissima eruditione referto, quaecumque ad rem nostram faciunt, delibabimus; aliaque multa sparsim adjiciemus.

§. I.

De Protovestiario in Aula Constantinopolitana.

Protovestiarii, seu supremi *Vestiarii* Praefecti munus apud Graecos vetustissimum fuisse narrat Codinus apud Nicetam, qui ab ipso Constantino institutum putat. Antequam Alexius Imperator *Panypersebasti* [3] munus institueret, quod Imperialis Familiae propinquis collatum, prae ceteris in pretio habebatur, *Protovestiarius* post *Magnum Domesticum* secundas obtinebat. Refert enim Georgius Cedrenus in vita Constantini Filii Romani Imperatoris. *Nicolaum famulorum cubiculi Principem, scholarum domesticum,*

1 pag. 274.

2 del Vestarario della S.R.C. Rom. 1758. 4.

3 Joh. Cantacuzenus pag. 129. 324. 467. Anna Comnena pag. 78. 405.

et accubitorem creavit, *Nicephorum vero secundas post eum tenentem* Protovestiarium; itemque narrat in Mich. Paflagonis vita, *supplicatum esse*, quod sex mensium intervallo nunquam pluisset, *in humili processu*, *a fratribus Imperatoris*, *gestantibus Iohanne sacrum mantile*, *Magno Domestico Epistolam Christi ad Abgarum*, Protovestiario *Georgio sacras cunarum fascias*. Porro *Protovestiarii* dignitatem luculenter demonstrat singulare, quo fruebatur, privilegium cubandi in ipso Imperatoris sacro cubiculo, quum tradat Leo Gramaticus in vita Michaelis filii Teophili. *Erat in cubiculo Basiliscianus Imperatoris jussu ad ejus custodiam in Rentacii lecto accubans*. Qui quidem Rentacius *Protovestiarii* munus gerebat; et paullo ante a Michaele ad Patriarcham missus fuerat, ut eum de Basilii coronatione certiorem faceret, jamque vestes imperiales, aliasque supellectiles, quae tantae sollemnitati opus erant, in promptu habebat. Praeterea Matthaeus Monachus, et Sacerdos in officiorum opusculo animadvertit, *Panypersebastum*, et *Protovestiarium* dumtaxat pileo rubro, auro utrimque intertexto, uti posse, ac primum calceis coloris cedrini, alterum viridis indui solitos, eosque *Magnatum primum quinarium complere*. Quibus consonant ii Anonymi Scriptoris versus.

> *Caesar sub imperii crepidine sedet*,
> *Panypersebastus Senatus est caput*,
> Protovestiarius *honore clarissimus est*.
> *Isti vestibus*, *et calceamentis sibi propriis insignes*,
> *Primam optimatum constituunt classem*.

Hoc amplius, sceptrum gerebat aurei, praxinique coloris, instar vitri pellucens; sedem habebat eminenti, ac distincto loco positam, et *margellis insignitam*, *sicut sella*

Digitized by Google

Panyperſebaſti ; quumque Imperator ſolium adſcendebat, ſui muneris erat, ejuſdem adſcenſum, veſtium imperialium aſſumptionem, ejuſque ſeſſionem in throno, ſceptro indicare. *Hoc etiam*, addit Codinus [1], *ei ſoli officium peculiare obeundum, ut ſi Togae Imperatoris, floccum, lutum, aliaſve ſordes adhaerere viderit, umbella, ſeu capitis tegmine depoſito, manum extendat non vocatus, et detergat*. Denique ipſa die, qua Imperator coronabatur, teſte eodem Codino, *ſtabat prope ipſum Imperatorii Veſtiarii, ſeu aerarii Praefectus* τοῦ βασιλικοῦ βεσαριοῦ ἄρχων, *teneatque intra veſtem ſuam multa aurea numiſmata fuſilia, quae Imperator apprehenſa in circumſtantes Proceres honorarios, et Pueros, quotquot ipſe volet, diſperget*.

Quocirca utrumque munus perhonorificum ipſi Imperatorum Fratris Filii, aliique praeſtantiſſimi Viri ſtudioſe conſectabantur, ut videre eſt apud Meurſium, Suicerum, et Ducangium. Nam, ut refert Codinus [2], Michael Palaeologus Imper. Michaelem Trachaniottam ex Sorore Nepotem *Protoveſtiarii Palatii* munere decoravit. Alterius etiam *Protoveſtiarii* mentionem facit Cod. Colbertinus 499. membranaceus Baſilii operum, qui in fine haec habet e graeco in latinum ſermonem a Montfauconio converſa [3]. *Scriptus eſt hic liber propria manu Nicetae Protoſpatharii, qui fuit Drungarius nauticae claſſis ..... fratris Michaelis Patricii Praepoſiti Veſti, qui fuit* Protoveſtiarius *Nicephori Chriſti amantis Domini*. Atque, ut taceam de *Procopio Protoveſtiario*, cujus mortem narrat Cedrenus [4]. *Angelo Protoveſtiario*, Genero Joh. Cantacuzeni [5], Magiſtro in re bellica, ac *Leone Protoveſtiario* Dictatore a Sclero capto [6], prae-

1 de Protoveſtiario, et in Ducae Hiſt. cap. x. pag. 225.
2 lib. 11.
3 in Palaeograf. Graeca pag. 45.
4 pag. 584.
5 apud eumdem pag. 169.
6 apud Zonaram T. 11. pag. 217.

cipue memorandus est *Iohannes Protovestiarius*, cognomento *Thracesius*, quem Cedrenus [1] laudat, inter eos, ex quibus profecit, et quorum vestigiis sese insistere non diffitetur, una cum Syncello, Theophane Siculo, Psello, aliisque. His adde *Georgium Spunopolum Legatum* [2], *Georgium Phranzam*, Scriptorem Chronici ab anno MCCLX. ad annum MCDLXXVII. [3] *Raxinam* [4], *Taronitam* [5], *Andream* [6], *Rendacium* [7], *Theodosium* [8] *Protovestiarios*, aliosque insignes viros eadem dignitate condecoratos, quos memorant Historiae Byzantinae Scriptores. Hos inter, Codinus, et Georgius Acropolites [9] *Protovestiarium*, et *Protovestiaritem* dignitate, et munere inter se diversos fuisse monent, ut eorum auctoritate Meursius, et Ducangius [10] adnotarunt.

§. II.

De Vestarario apud Romanos.

Vestararii munus in Vrbe instar Cpolitani, fuisse institutum, vetera medii aevi monumenta testantur. Plures profecto idem munus Seculo XIII. exercuisse constat ex diplomate Gregorii IX, quo *Parentium, et Iohannem de Cinthio* Vestararios anathematis telo perculit, *et omnes illos Consiliarios Vrbis, et Iustitiarios, quorum consilio, auxilio, vel ministerio a Montaltensibus obsides recepti sunt, et detenti*. Porro in Concordia inita inter eumdem Pontificem, et Angelum Malabrancam *illustrem almae Vrbis Senatorem* anno MCCXXXV [11], idem Senator juramento vovit, quod Ve-

1 pag. 2.
2 apud Joh. Cantacuz. edit. Paris. p. 732.
3 Jac. Pontano interprete, et cum ejusd. notis.exst. cum Theophili Simocatae Hist. Ingolst. 1604. 4. et cum Genesii Histor. Byzantina. Venet. 1729. fol.
4 in Cantacuzeni Hist. pag. 280.
5 apud Annam Comnenam pag. 78.
6 apud Theophanem Chronograph. p 498.
7 ibid. pag. 466.
8 ibid. pag. 478.
9 pag. 296.
10 p. 249. 286. in Cpoli Christiana.
11 apud Raynaldum an. 1235.

stararii, *Iudices Palatini, Iustitiarii, Scrinarii, Assectatores, et generaliter Officiales suos omnes.... eamdem pacem jurare faciet*. Et sane eadem die xvI. Maii, qua hujusmodi pacta sancita sunt, *D. Romanus Bonaventure* Vestarius *Vrbis super dicta pace servanda juravit similiter. Item D. Paullus Laurentii Palatinus Iudex juravit dictam pacem*. Quod vero hujusmodi munus Viris generis nobilitate praestantissimis tribueretur, aperte liquet e Riccardo a S. Germano, qui narrat, Parentium, quem *Vestararium* fuisse vidimus, Senatorem Vrbis fuisse renunciatum anno MCCXXV, atque ad ejusdem dignitatis culmen sublatum anno MCCXXXVII, loco Johannis a Polo, Johannem de Cinthio [1].

§. III.

De Vestarario Patriarchii Lateranensis.

Inter primores Ministros Palatii Lateranensis *Vestararius* adnumerandus est, qui non modo sacrae supellectilis *Patriarchii* custos erat, sed etiam *Thesauri*, qui propter captivorum redemptionem, aut propter egenos sustentandos, tempore caritatis, relligiose servabatur. Hujusmodi munus ab antiquissimis usque temporibus institutum, illustribus tantum viris, ipsorumque Pontificum propinquis collatum fuit, quibus gravissima etiam munia imponebantur. Illius praeeminentia patet ex I. Ord. Rom. qui ait [2]. *Post equum Pontificis hi sunt, qui equitant, Vicedominus*, Vestararius, *Nomenculator, atque Sacellarius*.

Quod vero iis magni momenti provincias committere Pontifices solerent, constat ex Synodo Lateranensi habità anno DLXI, ubi Nicolaus Pontifex haec Joh. Archiepisco-

1 Vendettini Serie Cronologica de' Senatori di Roma. 1778. 4. p. 5. 2 pag. 4.

po Ravennati praecipit [1]. *Nibilominus praecipimus tibi, ut nunquam res cujuscumque personae, qualicumque ingenio, vel chartula acquisitas, et possessas olim modo occupes, aut titulum superimponas, donec in praesentia Apostolica, vel missi ejus, aut* Vestararii *Ravennae, legali ordine illas in judicio convincas*; ubi pro *Vestararii Ravennae*, *Vesterarii Romani* subrogandum esse putant Blanchinus [2], et Gallettus [3]. Praeterea Adrianus I. anno DCCLXXXII. Miccionem *Notarium Regionarium, et* Priorem Vestiarii S. Ecclesiae, *atque ejus omnes successores Apostolicae Sedis* Vestiarii *Priores*, ut legitur apud Muratorium [4], et Gallettum [5], instituit *judices ordinarios omnium caussarum Monasterii Farfensis*.

Vestararius separato patrimonio fruebatur, quo sese, ac ceteros *Vestiarii* Ministros sibi subjectos sustentabat, ut liquet ex charta donationis *Theodoradae femine nobilissime*, Guidoni Abati Farfensi anni MXII, in qua nominatur *Massa de Vestiario* [6]. Ejusdem Massae fit mentio in Henrici I. diplomate [7], et in charta Bertae de Ioh. Luponis anni MLXXIX, qua Colombano, et Azoni Monachis, et Rectoribus S. Mariae in Therma Alexandrina, Cella Ven. Monasterii S. Mariae Farfensis, de qua confer Gallettum in erudita Gabii descriptione [8], donat *petium terre foris in Ponte Salario in massa de* Vestiario domnico.

Incerta est hujusce muneris antiquitas, et origo. Verum facile mihi persuadeam VI. Seculo esse affigendam. Etsi enim in allato Synodi Lateranensis loco *Ravennae* le-

1 in Anast. Vignol. T. III. §. XXXIV. p. 190.
2 in Anastas. edit.
3 p. p. loc. cit.
4 in Chron. Farf. col. 146.
5 pag. 25.
6 apud Gallettum p. 11.
7 in Chron. Farfen. apud Murator. T. III. p. II. col. 513, et apud Gallettum. p. 19.
8 Gabio, antica Città di Sabina, scoperta, ove è ora Torri, ovvero le Grotte di Torri. Roma 1757. 4. p. 24. 122.

Digitized by Google

ctio, quae Vignolio, aliisque placuit, retinenda esset, prorsus inverisimile videtur, nondum in Vrbe jam tum *Vestararii* munus institutum fuisse, quod tamen alibi exstaret. Neutiquam certe Dom. Georgio acquiescam, qui agens *de sacri Ministerii Praefectis, et variis eorumdem nominibus* [4], Seculo VI, ac longe etiam diutius, qui sacrae gazae Pontificum Rom. praeficiebatur, *Vestararium*, seu *Vestiarium*, et *primum Mansionarium* indistincte appellatum fuisse pronuntiat. Fortasse Georgio fraudi fuerunt supra allata III. Ord. verba, ubi *primus Mansionarius, custos dominicalis Vestiarii* appellatur. Verum ejusdem Ord. aetas respicienda erat, quae longe profecto inferior primo esse videtur, ubi primi *Mansionarii* munus ab altero *Vesterarii* aperte distinguitur, *sub cujus sigillo* dumtaxat *calicem, et patenas majores, et Evangelia majora de* Vestiario *domnico diebus festis* proferenda, quemque tantum cum Vicedomino, Nomenculatore, ac Sacellario post Pontificem equitasse vidimus. Profecto *Monasterii* vocabulum pro *Ecclesia majore* in eodem Ord. III. usurpatum, quod hoc sensu latine prolatum, quantum equidem sciam, ante seculum IX. numquam offenditur, et nulla ejusdem Ord. mentio apud Amalarium, et Micrologum, qui floruit aevo Gregorii VII, satis indicio sunt, seculo XI. exeunte, compactum esse, quo jam *Vestararii* munus nemini amplius collatum apparet apud Scriptores, quod tum ipsum *Vestiarium* una cum *Sacrario* conjunctum fuisse, putandum est. Quare Georgius non satis attente tempora distinguens, quod auctor Ordine III. recte pronuntiavit de primo *Mansionario*, dum scriberet, dominici *Vestiarii Custode*, idem de superiorum temporum *Vestarario* dicen-

1 T. I. Liturg. Rom. Pont. p. LI. LII. 2 p. 140.

dum esse falso sibi persuasit, qui tum certe *Mansionarii* dignitatem longe superabat.

Ceterum, si ejusdem Georgii [1] doctrinam sequamur, *Vestarariorum* series a praestantissimo Archilevita *Laurentio* exordienda est, de quo redibit sermo, quum de *Cemeliarcha* disseremus. Fortasse *Vestararii* munus Seculo III. *Archidiacono* conferebatur. Verum, insequenti aetate, unum ab altero distinctum fuisse constat ex Rom. Ordinibus [2], ubi semper utriusque separata fit mentio, ac diversa munia indicantur. Fatendum tamen est, Ecclesiastici Thesauri custodiam, illiusque dispensationem Archidiaconis [3] diu fuisse commissam. Id enim plures scriptores testantur. Atque hinc aliquando *Archidiaconum*, qui *oculus*, *os*, *et cor Episcopi* dicebatur, *Vestararii* vicem servasse, conjicere licet [4].

1 T. I. p. LI. LII.

2 in I. p. 1. in VIII. p. 86. in IX. p. 89.

3 Isidorus in epist. ad Leudfred. Prudent. Hymn. in S. Laurent. Ambrosius. de Off. lib. II. c. XXVIII. Augustinus. Serm. cxl. de Div. Petrus Chrysologus. Serm. cxxxv. Paullinus. lib. IV. de miraculis S. Martini. Gregorius III. l. I. epist. de Off. Archidiac. Anastasius Biblioth. in Vitis S. Cornelii, S. Lucii, et S. Stephani pag. 8. 9. Thomas Archidiaconus. in hist. Salonitana c. v. Edo Archiep. Rhemensis. in Indiculo de Ministr.

4 De ejus munere, ac dignitate in Vet. Eccles. consule Sirmondum in T. I. Opp. pag. 967. Seussaium de mysticis Galliae Scriptoribus p. 108. Quesnellum in notis ad Leonem M. pag. 883, et 894. Buseeum ad Petr. Blesensem T. XXIV. Bibl. PP. p. 1364. Nicol. Comnenum in praenot. mystagogic. p. 71. Balutium in notis ad Ant. Augustinum de emendatione Gratiani p. 453. 456. J. B. Thiers. in diss. de l'Etole, et de la depoville des Curés. Sarnellium dell' Origine della dignità Archidiaconale. fra le sue lett. Ecclesiastiche. Napoli 1686. 4. p. 186. degli Arcipreti Urbani, e Foranei, e d'onda avvenga, che l'Arciprete sia dall'Arcidiacono precedoto? ibid. p. 190. Franc. Florentem in Tract. de Officio Archidiaconi. ad calcem ejus Opusc. Paris. 1679. 4. Amadutium Diss. Canonico filologica sopra il titolo delle Istituzioni Canoniche de Officio Archidiaconi. Roma 1767. 8. praeter Geor. Henricum Goetzium in dissert. historica de Archidiaconis Vet. Eccles. Lipsiae 1687. 4, et Witteb. Matth. Larroquanum de Archidiaconis. in adversar. sacr. Lugd. Bat. 1688. 8. p. 251. Laur. Dript. in Speculo Archidiaconali. Neuhusae 1676, et Binghamum T. I. Orig. Eccl. p. 339.

ʃ. IV.

Series Vestarariorum Ecclesiae Romanae .

Dominici Georgii sententia de S. Laurentio, primo Eccl. Rom. *Vestarario*, eruditissimo Galletto parum arrisit, qui suum iccirco *Vestarariorum* Syllabum a *Miccione* exorditur sub Adriano I, qui eum, edito diplomate [1], Priorem Vestiarii *S. R. E. judicem pro causis Monasterii Farfensis*, uti jam innuimus, designavit. Recte tamen conjecit Georgius [2], jam tum *Vestarariorum* collegium quoddam exstitisse, cujus moderator, ac praefectus *Prior Vestiarii* dicebatur. Verum nonnisi Proceres, amplissimosque viros tam illustri dignitate insignitos fuisse constat, ex eo quod, teste Anastasio in ejusdem Hadriani vita [3], *in ipso exordio consecrationis ejus direxit ad ejus Beatitudinem suos missos Desiderius Langobardorum Rex, idest Theodicium Ducem Spoletinum, Tunnonem Ducem Eporedias, et Prandulum* Vestararium *suum, suasionis per eum mittens verba, sese cum eo, quasi in vinculo charitatis, velle colligari*. Sub eodem Pontifice floruit Ianuarius, cui Basilicarum SS. Petri, et Paulli reparationem ab eo commissam fuisse narrat Anastasius [4]. *Simili modo et in famosissima, totoque Orbe terrarum praeclara veneranda Basilica beati Petri Apostolorum Principis, dum per olitana tempora vetustissimas trabes, quae ibidem existebant, cerneret isdem praecipuus Pontifex mittens Ianuarium* Vestararium *suum, cognoscens eum idoneam personam, cum multitudine populi, mutavit ibidem trabes numero* XIV, *atque totum ejusdem Basilicae tectum, et porticus a noviter restauravit*. Ac paullo post. *Immo hic ipse saepius nominatus San-*

1 T. II. Bull. Casin. Const. XVI. p. 13.

2 T. I. Litur. R. Pont. p. 36.

3 T. II. ʃ. LXIV. p. 212.

4 ibid. ʃ. LXVII. p. 214.

ctissimus Praesul, pariterque in Basilica Vasis electionis Paulli Apostoli, cernens ibidem existentes trabes per prisca tempora vetustas, ad modicumque ruituras, fecit sicut superius in Basilica beati Principis Apostolorum, cuncta disponens per Ianuarium fidelissimum Vestararium *suum cum multitudine populi. Sed et ipse ter beatissimus Pastor per semetipsum frequentans, totam noviter restauravit, et mutavit trabes majores numero* XXXV, *et per circuitum Ecclesiae ejusdem a noviter porticus omnes restauravit*. Alterius *Vestararii*, qui floruit sub eodem Adriano, notitiam debemus Balutio, qui ex Cod. Bibl. Colbertinae [1] edidit ejusdem Pontificis diplomatis fragmentum, a Galletto [2] deinde recusum, quo cuidam concedit Latifundium Apinianum in via Flaminia XIV. miliaribus ab Vrbe Roma, jampridem a Sergio Presbytero, et *Vestarario* possessum.

Supervacaneum est de *Leone* III. verba facere, quem in *Vestiario* Patriarchii enutritum, ac postea *Vestararii* munere condecoratum fuisse vidimus [3].

Heic potius memorabimus *Gemmosum Vestararium*, cujus nomen legas apud Gallettum [4] in insigni placito, quod, adstante eodem Leone III, habitum fuit an. DCCCXII in Palatio Lateranensi.

Pipinus Consul, Dux, et *Vestararius* nominatur in Charta Regesti Sublacensis, anni DCCCLVII, ab eodem Galletto [5] evulgata, ubi donat *Venerabili Romano Subdiacono regionario S. R. E. terram ad domum faciendam positam Romae, regione secunda; juris venerabilis* Vestiarii *dominici*, quae tamen *defunctis tribus personis, ad jus suprascripti* Vestiarii, *cujus est proprietas, modis omnibus revocatur*.

Conjiciendum vero est, Oratorium S. *Caesarii* positum

1 in T. VII. Miscell. p. 122. 2 p. 29. 3 p. 342. 4 p. 31. 5 p. 38.

in Vestiario *Lateranensi*, uti jam demonstravimus [1], a *Sergio* II. pretiosis muneribus supra indicatis ditatum fuisse, quum hic idem *Pipinus* erat *Vestararius*, qui *potentissimus* dicitur in epistola [2] Joh. VIII. Galliae, et Germaniae Episcopis inscripta, qua damnavit Formosum Episc. Portuensem, Gregorium Nomenculatorem, et *Georgium Vestararium*. Et sane in Synodo Pontigonensi anno DCCCLXXXVI. coacta, postquam lecta fuit Joh. epistola, can. VIII. ita sancitum fuit [3]. *Synodum, quam domnus Ioh. Apostolicus, et universalis Papa super quorundam depositionem, Formosi scilicet Portuensis Episcopi, et Gregorii nomenculatoris, seu et Stephani Secundicerii, et* Gregorii Vestararii, *ceterorumque suorum complicum, sicut in epistola ipsius ad nos missa continetur, nuper instituit, et nos secundum jussionem ipsius in nullo a capite dissidentes consentiendo decernimus, omnibusque Apostolicis illius sanctionibus per omnia parentes, sicut decet, obedimus*. Ibi tamen perperam *Gregorii* nomen pro *Georgii* irrepsit, quod mendum apud Scriptores frequenter usuvenisse, alibi declarabimus. Dum hic *Georgius Vestiario* praeerat, Apostolici *Vestiarii*, et *Sacrarii* depraedatio accidit, quam supra [4] ex Anastasio audivimus.

Ad anonymum ejusdem Georgii successorem spectare putat Gallettus [5] alterum Joh. VIII. epistolae fragmentum, a Balutio [6] editum ex antiquo Cod. Colbertino, ubi factione Archiepiscopi Ravennatensis *claves Civitatis Ravennae a* Vestarario *violenter subtractas* fuisse, Angelbertae Imperatrici dolens exponit.

Theophilacti *Vesterarii* nomen legitur in veteri Charta Cod. Farfensis, cujus sepulcralis inscriptio, literis inver-

1 p. 342. 343. 344.
2 in T. IX. Concil. Labbè col. 232.
3 Ibid., et apud Gallettum p. 43.
4 pag. 338.
5 pag. 44.
6 p. 46.

bbb

sis, in pavimento Basilicae Liberianae reperta est anno MDCCXLVIII, quam tibi heic libenter exhibeo, quum eidem debeamus praeclarissimum Galletti opus de *Vestarario*, quod ad eam illustrandam [1] praecipue compegit.

IN HOC TVMVLO DORMIVNT SERGIA ET BONI*facius* g
ERMANI FILII THEOPHILACTI VESTERARII ET THEODOR*ae*
VESTERARISSE . Q. VIXIT MENSIB. VII. ET QVI VIXIT ANNO I
CONCESSIMVS NOS THEOPHILACTVS VESTERARIVS ET THEO*dora*
VESTERARISSA . FVNDVM . INTEGRVM . QVI . NOMI*natur*
NZANVS . (sic) POSITVM TSRRITORIO . NEPESINO CVM OM
NIBVS SVIS EMOLVMENTIS IN ECCLESIÆ SCE D*ei gen*
ITRICIS VIRGINIS MARIÆ . DOMINE NRE IN *Vsibus t*
ANTVMMODO . MANSIONARIOR. SI QVIS . VO . HOC
NOVIS SVPCRIPTIS . IVGALIB. SCÆ DEI GENITRI*ci vi*
RGINI . MARIÆ OBLAT SVBTRAERE VOLVERIT . VEL
SENSERIT A DO PATRE . ET DNO IHV XPO PERPETVO ANA*ti*
NNODETVR ET IPSE FVNDVS SVB IVRIS NRI HEREDVM

Caveas tamen, ne *Theodoram*, etsi in Inscriptione *Vestiararissa* nuncupetur, una cum *Theophilacto*, *Vestiarii* Pontificii curam habuisse putes. Hujusmodi nomen ei datum unice fuit, quod *Vestararii* conjux esset, quemadmodum *Marchionissae*, *Ducissae*, *Comitissae*, *Marchionum*, *Comitum*, *Ducum* uxores vulgo appellabantur, hodieque appellantur. Itidem meminit Pachymeres [2] *Raulenae Protovestiarissae*, quae in aedem sacram a se magnifice exstructam corpus Arsenii transferri curavit. Ceterum, ne quid modo dicam de iis, quas in Puellarum Monasteriis tali titulo decoratas fuisse comperiemus, in aulis Principum *Ve-*

1 pag. 46. 2 pag. 54.

*stararia*e fuerunt, ut legimus apud Agnellum in vita S. Petri Senioris Archiep. Ravennatensis [1], qui pluries memorat *Vestarariam* Rosmundae Reginae, uxoris Alboini Regis Longobardorum, et Elmegis Concubinam, quem Rosmunda suae *Vestarariae* vestibus induta decepit, et ad Alboini regicidium excitavit.

Sed, ut interruptam *Vestarariorum* seriem resumamus, Pandulphus Pisanus, qui Ioh. XIII. vitae auctor inscribitur, memoriae mandavit, Petrum Vrbis Praefectum ab Othone Imperatore anno CMLXVI. Vrbem ingresso severissime punitum fuisse. *De Roffredo vero Comite*, pergit idem Pandulphus, *et Stephano Vestarario*, qui Iohannem in Arce Hadriani incluserant, ac deinde in exilium miserant, *quia mortui erant, jussit Imperator effodere sepulcra eorum, et ossa eorum foras projici*.

Leo Prior Scholae Vestiarii anno CMLXXVI supplicem libellum subscripsit *Iohannis Vestararii domnici*, a Galletto [2] evulgatum. Ex quo plures *Vestiarii* custodiae addictos fuisse patet, quorum caput, ac princeps esse debuit, qui *Prior Vestiarii* dicebatur.

Petrus Vestararius nominatur [3] in Othonis III. diplomate anno CMXCVI, quo confirmat bona, ac privilegia *Monasterii S. Alexii* in Monte Aventino, cujus historiam eximia eruditione, et elegantia contextam protulit doctissimus, mihique amicissimus Felix M. Nerinius [4].

Publicum instrumentum, quod ad annum CMXCIX. referendum videtur, signatum occurrit [5] *temporibus domni Ioh. Vestararii*, cujus nomen ibidem scriptum est eodem loco, quo Pontificis nomen scribendum erat; quod sane

1 apud Muratorium T. II. p. 124.
2 pag. 48.
3 p. 50.
4 de Templo, et Coenobio SS. Bonifacii et Alexii hist. Monumenta. Romae 1752. 4.
5 apud Gallettum p. 50.

ejus auctoritatis, et potentiae luculentissimum praebet indicium.

Domno Sacri Palatii Vestarario, *primo Senatori*, *nec non unico Romanorum Duci Equivoco* Alinardus Abbas S. Benigni epistolam scripsit anno MXXXII., a Stephano Perardo [1] primum, ac deinde a Martenio [2], Mabillonio [3], Sammarthanis [4], et Galletto [5] evulgatam.

Si vero Francisco Zazzerae fides praestanda esset, alterum *Vestararium* haberemus anni MLIX. Nam in vita S. Eustachii ab se edita, in Farfensi regesto haec haberi tradidit [6]. *Gregorius vir Cl. qui vocatur Minicius* Vestiarius sacri Palatii. Verum Gallettus, quum nullam offenderit hujusce *Minicii* mentionem in Chartario Farfensi, Zazzerae conjecturam explodit, suo contentus *Equivoco*, quo *Vestarariorum* seriem a *Miccione* inchoatam absolvit, quin *Minicium* a Zazzera adjunctum admittat.

§. V.

Diversa aliorum Vestarariorum munera explicantur.

Seculo XI. exeunte, *Vestararii* munus veterem sensim amisisse splendorem, ac dignitatem, putandum est. Nullius enim posthac *Vestararii* mentio fit apud Scriptores. Quod quidem certe ex alienatis *Vestiarii* bonis, novoque *Vestiario* sub Nicolai Oratorio pone Patriarchium Lateranense exstructo, tandem paullo post deletum, aliique Palatii Lateranensis muneri adjunctum fuisse, argumentari facile potest.

Et sane Canonicus Benedictus, qui floruit anno MCXLIII, in Ord. Rom. XI. ne minimam quidem *Vestararii* mentio-

1 Recueil de pieces servant a l' histoire de Bourgogne, Paris. 1664. fol.

2 pag. 55.

3 T. IV. Annal. Ord. S. Benedicti p. 668.

4 in T. IV. Galliae Christ. col. 678.

5 pag. 54.

6 pag. 56.

nem facit, etsi singulatim omnes nominet, qui in novi Pontificis coronatione *Presbyterium* accipere debebant. Nihil etiam de eo profert Cencius Camerarius in Ord. xiI, quem ante annum MCXCII. concinnavit, in prolixa eorum recensione, quibus eadem die *Presbyterium* largiebatur. Ibi enim dumtaxat alios *Vastararios* commemorat, qui unam ex Romae Scholis conflabant, ac munia longe diversa exercebant ab iis, quae *Vestararios Vestiarii Lateranensis* a Sec. vI. usque ad xI. obiisse demonstravimus. Audi ejus loca, quae ita habent [1], cum iis, quae supra [2] recensuimus, conferenda. *In Purificatione B. M. V. D. Papa vadit ad S. Martinam cum Cardinalibus in mane, et ibi cantat Tertiam. Deinde induit se in Eccl. ipsa usque ad dalmaticam, et induto manto, apponit mitram, omnesque Cardinales induunt se: ibique* Vastararii *cum Ostiariis Basilicae sacri Palatii repraesentant cereos ad benedicendum: quos minor Presbyterorum in ordine benedicit. Notandum vero, quod Ecclesia S. Petri dat quindecim libras cereas pro his cereis*. Atque ubi declarat [3], *quibus Scholis datur Presbyterium, et quantum in festo Nativitatis Domini, et Paschae per manus Camerarii*, assignat Vastarariis IV. *sol. proves*. Verum praecipue disserit de *Vastarariis*, eorumque munere alio loco, ubi ait [4]. Vastarariis *vero in omnibus sollemnitatibus, S. Mariae, Assumptione excepta, faciunt candelas de vinetis vivis, papyrum pro candelis aptantes. Et propter hoc cum Domino Papa comedunt in die coronationis suae, et pro universis vinetis, recipiunt de altare S. Petri* IV. *proves. pro ipsis vinetis. Et est sciendum, quod isti pro servitio ista habent medietatem manuum cartae (al. cassae) majoris in die Pascha*.

Hujusmodi verbis lucem affundunt, quae refert Petrus

1 §. v. p. 172. 2 pag. 258. 3 §. XII. p. 195. 4 §. XXV. p. 197.

Mallius in appendice xl. Ord. Rom. [1]. *In Purificatione Sanctae Mariae* v. *libras cerae, et* IV. *deinde pro vincis; in Annuntiatione totidem*. Heic autem pro *vineis*, uti legendum conjiciebat Mabillonius [2], pro *juncis* reponendum est. Ita enim legitur apud Bollandistas, qui ejusdem Mallii libros ediderunt [3]. *In Purificatione S. M. V.* x. *libras cere, et* IV. *denarios pro juncis*. Atque haec mirifice quadrant iis, quae scripta sunt apud Muratorium in charta anni MCCXX. [4] *de proventibus, quos D. Papa recipit de Confessione B. Petri, et Basilica Sancta SS. In Purificatione S. Marie decem libras cerae pro candelis, et quatuor denarios pro* juncis Vestarariis. Quod quidem nil aliud significat, praeterquamquod ad *Vastararios* pertinebat, sacras aedes floribus, et juncis conspergere, quemadmodum alibi etiam factum fuisse scimus. Nam in consuetudinibus S. Augustini Lemovicensis [5], *in festo S. Augustini .... Praepositus debet recipere* juncum, *qui debetur ex consuetudine ad parandum Chorum, et Capitulum*; itemque in Cod. MS. Montis S. Michaelis annorum circiter CD. *Eleemosynarius tenetur etiam invenire* juncum *in magnis festivitatibus in choro, et in claustro*. Haud absimile est, quod proferunt Statuta Lanfranci de v. praecipuis festivitatibus [6], *bancalibus sternatur juncus*. Hinc igitur *juncare*, et *jonchare* idem erat, ac locum floribus, vel juncis spargere. Nam in Ordinario S. Laudi Rotomagensis [7] legimus. *Incortinatur altare S. Iohannis, et juncatur*; et in usibus Abbatiae S. Germani [8]. *Subeelemosynarius debet facere chorum juncari de jerre*. Atque in concordato anni MCCLXXXIX. super nemore de Brueria statutum

1 cap. XXXVIII. de Consuetudinibus Confessionis p. 162.
2 ibid. p. 164.
3 T. VII. Junii p. 49.
4 in T. v. Antiquit. med. aevi p. 806.
5 *fol.* XIV. apud Ducangium.
6 Martene de ant. Monachor. rit. p. 497.
7 ad Joh. Abrinc. de Offic. Eccl. p. 346.
8 in Probat. Hist. ejusd. p. 149.

fuit, *homines commorantes apud Orgiacum possunt, et debent in vigilia transitus S. Germani* Jonchiaturam *sine contradictione aliqua colligere circa dictum stagnum*. Pari modo Statuta Capituli Senonensis de Archidiacono praescribunt. *Item debet Archidiaconus* jonchuram *per claustrum pro processione ante Missam in die Pentecostes* [1]. Ac demum, ne singula persequar, Instrumentum Sergenteriae D. Episcopi ann. MCCLXXI. ex Chartulario Aeduensi statuit. *Item debet, et tenetur dictus Raulinus pro praedictis* jonchare *domum D. Episcopi*. Hujusmodi usus, qui a Graecis φυλλοβολία, ab Apulejo [2] *jaculum floris*, a Tertulliano [3] *florum aspergo* nuncupatur, exquisitis exemplis ab eruditissimo Bottario [4] illustratur [5]. Ejus vero antiquitas apud Christianos, ut alia mittam exempla, ex Hieronymi verbis eruitur, quibus Nepotianum commendat [6], qui *Basilicas Ecclesiae, et Martyrum conciliabula diversis floribus, et arborum comis, vitiumque pampinis adumbrabat*.

1 Ad. Lud. Koenisgmannus de antiquitate Betulae Pentecostalis, frondiumque sacrarum universe. Kilonii 1717. 4.

2 lib. x. Metam. circa finem.

3 de Resurr. Carnis c. xvI.

4 in T. I. Romae subterr. p. 165.

5 Si vero diutius etiam libeat inter flores, frondesque versari, adeundi sunt Joh. Engelhar Steuber in Diss. Biblico exegetice de ligatione festivorum ad Cornua Altaris. Rinteili 1723, et in T. I. Thes. Ikenii. p. 823. Joh. Schlemmii de φυλλοβολία veterum. Jenae 1666. 4. Joh. Christ. Blum Florum consecrandorum ritus antiquus. Lipsiae. Joh. Nicolai Tractatus de Phillobolia, seu florum, et ramorum sparsione in sacris, et civilibus rebus usitatissima; accessit Joh. Cunr. Dieterici Dissert. de sparsione florum. Francof. 1698. 12, et in T. xxx. Thes. Ant. Hebr. Hugolini p. 1220. Conr. Samuel. Schurzfleischius de ritu spargendi flores. Witteb. 1691. praeter de la Cerda c. CLXXV. Adversar. p. 458. Henr. Grut. Thulemarum in l. de viri l. viratu c. xxvIII. Cangii Glossar. Graecum in ἐπιπάσματα, et ὑπάτειον. Henr. Theod. Pagenstecherum in Oratione inaugurali de Missilibus spargi solitis Kal. Jan. a novis Magistratibus. Lingae 1722. 4. Corippum de laudib. Justini Iv. pag. 105. Saxium ed Diptychon Magni Consulis p. 35. Pomp. Sarnelli dell' ornare di festive frondi le Porte delle Chiese, fra le sue lettere Eccl. T. I. p 87.

6 in epist. ad Heliod. de obitu Nepot.

§. VI.

De Vestarariis aliarum Ecclesiarum.

Antiquitus ubique fuerunt selecti viri, quibus sacrarum *vestium* cura demandata erat, ut Synodus Nicena I. testatur, quae ita praecepit [1]. *Sit in unaquaque Ecclesia procurator, et cum eo alii, qui curam habeant proventuum, et redditu*um *Eccl., et deinde villarum, et sementis, et sumptuum, et vasorum auri, et argenti, et* Vestimentorum, *et ornamentorum Eccl.* Id oneris *Mansionario* impositum fuisse, indistincte scripsit Vicecomes [2], etsi primitus *Vestarario* dumtaxat commissum fuit.

Sed, ut *Vestararios* aliarum quoque Ecclesiarum, praeter Romanos, adeamus, age, ab Exquilina porta, Tibur usque nos conferamus. Ibidem *Vestararios* saltem usque ad Seculum XIII. floruisse docet Historia. Siquidem inter epistolas Gregorii IX, unam legimus Ananiae scriptam anno VI. sui Pontificatus, die I. Septembris, ad Episcopum, et Clerum Tiburtinum, ubi jubet [3]. *De gratia, ac speciali mandato nostro vos filii clerici exolvetis sextam partem illorum tantummodo debitorum, quae contracta fuerunt, per Priores, et* Vestararios, *qui a vobis fuerant constituti.* Quae quidem insignem Eccl. Tiburtinam, inter cetera privilegia, a Carolo Crocchiante [4], et Francisco Martio [5] descripta, *Vestararios* habuisse declarant.

Plura vero sunt, quae itidem Eccl. Beneventanam *Vestiariis* condecoratam fuisse demonstrant. Nam eruditissimus de Vita [6] in lucem edidit diploma Card. Lombardi Archiep. anni MCLXXV, ubi *Vestiario* Beneventanae Eccl. *ad*

1 Can. LXIII.
2 De Missae apparatu T. IV. c. 2. p. 22.
3 apud Galletium p. 38.
4 Historia della Chiesa di Tivoli 1726. 4.
5 Historiae Tiburtinae. Roma 1603. 8.
6 in T. 1. antiq. Benevent. p. 406.

Digitized by Google

ejus Thesauros instaurandos melius, et augendos certos, perpetuosque redditus attribuendos constituit. Vghellius etiam refert anno MCCXLI. initam esse concordiam, cui *Vestararius* subscripsit, inter Vgolinum de Comitibus Archiepiscopum, et Clerum Beneventanum. Verum elapso sec. XIII, *Thesaurarii* nomine *Vestararii* dignitas indicari coepit, ut constat ex antiquis Beneventani Capituli Constitutionibus ab Archiep. Hugone anno MCCCLXXI. promulgatis, quae ita habent [1]. *Sequitur jurisdictio, dignitas, officium, et consuetudo* Vestararii, *seu* Thesaurarii *dictae majoris Eccl. Beneventanae. In primis dominus* Thesaurarius, *seu* Vestararius *debet esse die, et nocte continue in* Vestiario. Ac promiscue utrumque nomen eidem muneri tributum fuisse demonstrant verba Conc. Provincialis Card. Sabelli anno MDLVII. coacti [2], quae heic adtexam. Vestiarii, *seu* Thesaurarii *custodiam habeant sacrorum vasorum*. Vestimentorum *Ecclesiasticorum, ornamentorumque omnium Altarium, eorumque munditiae, nitorique consulant, proptereaque sint assidue in* Vestiario. Deinde vero *Vestararii* appellatio plane obsolevit, obtinente dumtaxat *Thesaurarii* nomine, quo quinta dignitas decoratur.

Ecclesia Reatina, a vetustissimis usque temporibus, suis non caruit *Vestarariis*, quorum series ex Chartario Farfensi ab eodem Galletto prolata est. Hanc auspicatur [3] *Alfredi Vestararii* nomine, qui anno DCCXLI. interfuit donationi Diaconi Palumbi Fulcualdo Abati Farfensi bonorum, quae in Lamniano in Sabinis exstabant.

Anselminus Vestararius [4], declinante anno DCCXLVI, subscripsit cessioni Casalium Asiliani, et Fiolae, quam Adualdus, et Audolfus Godefrido Gastaldio fecerunt.

1 p. 4. a ter. 2 T. III. cap. v. sess. v. 3 pag. 78. 4 pag. 80.

Tacipertus Vestararius [1] instrumentum signavit anno DCCLXIX, quo Lupus Actionarius, filius Rodeperti, cessit Alano Abati Farfensi tertiam portionem Casalis de Scandiliano. *Tacipertus* [2] sub finem anni DCCLXIII contractum inivit, quo Siso Rimolfi filius vendidit eidem Alano Abati *decem modia terre Casalis Antiani*.

Adeodatus Vestararius [3] anno DCCLXV. instrumentum celebravit, quo Theodosius Theudolfi filius cessit eidem Abati *Casam Massaritie in loco, qui dicitur Malianus ad S. Eugeniam*. Ejusdem Adeodati nomen apparet in altero instrumento [4] anni DCCLXXIII, quo *Hildericus Theoderici filius una cum genitrice Taciperga donarunt Probato Abati Farfensi curtem, que vocatur Pontianus, Ceserianum, et Papcianum*. Ac demum idem Adeodatus [5] anno DCCLXXVII. chartae subscripsit, qua *Gemmulus*, et *Herphemarius*, *filii Rodemareni*, eidem *Probato* donarunt *terram in Toligiano*.

Iohannes Vestararius [6] anno DCCLXXVIII. chartam firmavit, qua *Hebramundus* filius *Gilionis* donavit Monasterio Farfensi, *portionem Casalis, qui nominatur Atrianus in territorio Sabinensi*.

Adeodatus [7], una cum altero *Vestarario* fortasse ejus Coadjutore, qui *Iohannes* dicebatur, chartam suo signo munivit anno DCCXCV, qua *Romualdus Vrsi filius* donavit *Alperto suam portionem in Aufigiano*.

Majoranus [8] *Presbyter, et Vestararius* floruit anno DCCCIII, quo adstitit bonorum commutationi inter Episcopum Reatinum, et Abatem Farfensem.

Ita explicit Series *Vestarariorum* Eccl. Reatinae, qui, incertum est, an serius etiam ibidem exstiterint. Gabriel Naudaeus in instauratione Tabularii Majoris Templi Rea-

1 pag. 83. 2 p. 85. 3 p. 87. 4 p. 93. 5 p. 97. 6 ibid. 7 p. 98. 8 p. 99.

tini [1], quod jubente Card. Franc. de Balneo Episcopo digesserat, nusquam meminit hujusmodi muneris, de quo nihil etiam tradidit Pompejus Angelotti [2].

Sed tandem ad Eccl. Casinensem progrediamur, quae suis etiam *Vestarariis* fuit honestata. Gattula codicem Leonis Ostiensis ab Ambrosio Camaldulensi emendatum protulit, ubi referens aliorum Monasterii ministrorum munia, inquit [3]. Vestararius *reparare debet, curare cimiteria, balnea*, Vestiarium. Hic autem *Vestararius* separatim bona possidebat, subditosque sui juris habebat, uti constat ex diplomate Girardi Abbatis Casinensis anni MCXIII. [4], et ex altero documento anni MCCLXX. [5] ab eodem Gattula in lucem edito. Praeterea, quum eodem an. MCCLXX. quaesitum fuisset, quid incolae Terrae S. Petri Casinensi Monasterio deberent, Petrus Gulielmi filius inter cetera respondit [6], *quod aliqua molendina ejusdem castri debent censum curiae Casinensi, et aliqua* Vestario *Casinensi, secundum quod continetur in instrumentis eorum*.

Petrus Diaconus [7] in continuatione Chron. Leonis Ostiensis narrat, anno MCXXXVII, *Amfredum Vestararium* Comitem fuisse Rinaldi Abatis, qui cum illustrioribus Monachis Melphim se contulit ad Lotarium Imperatorem, et Innocentium II, qui tunc ibidem degebant, invisendos.

Duo *Vestararii*, qui idem *Iohannis* nomen praeseferunt, alter anni MCCVII, [8] alter anni MCCLI, ab eodem Gattula [9] proferuntur, qui demum de *Raymundo Vestarario Casinensi* [10] ann. MCCCXXVII. verba facit. Nulla deinceps eorum mentio alibi occurrit. Ceterum eos usque ad secu-

1 Romae 1640. typ. Lud. Grigrani 4, et in T. IX. Thes. Italiae Pet. Burmanni a. 199.
2 Descrip. Vrbis Reatinae. Romae 1635. 4.
3 T. II. p. 881. 4 ibid. p. 233.
5 T. II. p. 308. 6 T. II. p. 330.
7 apud Muratorium, et Gallattum p. 106.
8 T. II. p. 284. 9 T. II. p. 436.
10 T. II. p. 404.

lum xiv perdurasse, licet conjicere, quod anno MCCCLXXI. Andreas Abbas Casinensis commisit Joh. a Valleregia Monacho, et Praeposito Pescularum, ut omnia jura Monasterii, et jurisdictionem diligenter inquireret. Hoc vero responsum retulit Johannes [1]. *In Castronovo Castrum ipsum cum fortalitio, et pertinentiis suis est universaliter officii* Vestararii *Casinensis. Item dictum officium habet integram decimam in toto territorio Castrinovi, videlicet grani hordei, milei, fabarum, et farrorum. In Castro S. Georgii Castrum ipsum totum est officii* Vestarii *Casinensis, praeter spiritualitatem, quae pertinet ad Cameram Casinensem. Item quod omnes de dicto Castro debent Decimam dicto officio* Vestarii *de grano hordeo, mileo, fabis, et spelta, et farris, et de omnibus seminibus, et de vino ex consuetudine antiquata. In Castro S. Angeli Castrum ipsum S. Angeli est officii* Vestarii *Casinensis cum juribus, et pertinentiis suis. Item, quod homines omnes dicti castri tenentur annis singulis officio* Vestarii *de omnibus possessionibus eorum terraticum grani, milei, et ordei, quod terraticum intelligitur de septem tumulis unum. Ac demum in Castro Vallis frigidae officium* Vestarii *habet in dicto castro expletam decimam grani de toto territorio dicti Castri.* Hactenus Ioh. *Monachus* Andreae Abati Casinensi, apud Gattula, quibus coronidis loco addendus est *Calottus Vestararius* Monasterii Cavensis apud Vghellium [2], ubi agit de Archiep. Salernitanis.

§. VII.

De munere Vestiarii, et Vestarii, apud Ethnicos, et Christianos.

Haud infrequens est *Vestiarii* titulus apud Scriptores pro *Vestarario*, ac multiplex ejusdem vocis significatio. Papias

1 T. III. p. 427.

2 T. VII. Ital. Sacr. p. 610, et T. VIII. p. 209. 210.

enim ait [1]. Vestiarius *dicitur, qui vestibus praeest*. Hujusmodi munus in antiquis inscriptionibus persaepe indicatur [2], ut *Vestiarius a compito* [3], *Vestiarius a veste Coa* [4], et *Paenularius* [5]. Praeterea, occurrit *Vestiarius Molochinarius*, seu Molochini coloris infector, et *Vestiarius* quoque *Tenuiarius*, nimirum tenuissimorum pannorum artifex [6]. Sic etiam *Vestiarius negotiator* a Scaevola [7] memoratur, ubi ait. *Libertus* Negotiatoris Vestiarii *an eamdem negotiationem exercere possit*. Inter officia domus Augustae recensebatur *servus ad vestem, et a veste scenica, privata, matutina, magna, regia, castrensi, graecula, et venatoria*, quemadmodum plures lapides testantur [8]. Sic autem *Comes Vestiarii* dicebatur, qui vestes procurabat, aut conservabat, et inter Cubicularios, ab Honorio Augusto [9] recensebatur. Alio etiam sensu hujusmodi vocem profert Pachymeres, ubi memorat [10] *Andream Muriscum, quem* Vestiarium *ab Imp. fuisse constitutum diximus; sic enim, qui praebet expensas his, qui sunt supra naves, nominatur*.

Quum vero *Vestiarius* etiam persaepe pro *Vestitore*, et *Vestiarita* usurpetur, Goarus [11], et Ducangius [12] disputant

1 Salmasius in Capitolin. Maxim. et Balbin. cap IV. Gutherus de Offic. Dom. Aug. p. 542, et in T. III. Thes Sallengre p 542, 543, 544, 573, 594. Junius in Catalog. Architect. P. VIII. pag. 119, et 140. Barthel. advers. l. al. c. c. XII. et Pignorius. de Servis p. 212.

2 ap. Maffejum in Mus. Ver. p. CXXXIV. n. 2.

3 ibid. p. CCLXIX. n. 3.

4 p. CCXXII. apud Gudium.

5 ibid. pag. CCXX. 4, et in Thes. inscript. Muratorii p. 944. n. V. p 960. n. VII.

6 apud Muratorium p 946. n. 1. p. 984. n. 12, Gudium p. CC. n. 1. CCXIX. 4. CCXII. 6. CCXXI. 3. Montfauconium in T. II. Ant. explic. pag. 92. Gutherum pag. DCL. n. 8. p. MLXVII. n. 8, et ap. Pitisc. T. II. p. 1056.

7 lib. XXXVIII. tit. I. leg. XLV.

8 V. Gruterum p. 577. n. VII, et n. IX, et p. 578. n. IV. n. VII. Pignorium de Servis in T. III. Thes. Poleni pag. 1198. Fabrettum. pag. 371. Jos. Bianchinium. Sepolcro de' Servi della Casa di Augusto p. 8. 69, 92, 131, 138, et Anton. Franc. Gorium. de Libertor. Columbario in T. VI. Thes. Pol. p. 124. 145. 146. 147. 245.

9 lib. I. Cod. Theod. quia praeb. tap.

10 c. XXXIV. p. 386.

11 in notis ad Codinum p. 25, 229.

12 in notis ad Alexiadem p. 285.

Digitized by Google

de vi hujusmodi vocabulorum. At Reischius [1] nullum inter *Vestitores*, et *Vestiarios* putat fuisse discrimen, quod tantum agnoscit inter *Vestiarios*, et *Vestiaritas*. Proprie enim *Vestiarios* fuisse arbitratur *Sartores*, seu Sutrices *Vestiarias*, *Vestiaritas* vero, *vestium* custodes, ac promos earum condos. Item *Vestiarius* absolute ab Vlpiano dicitur, qui *vestes* facit, aut vendit, ubi scripsit [2]. *Eos institores dicendos placuit, quibus* Vestiarii, *vel Lintearii dant vestem circumferendam, et distrahendam.*

Praeterea *Vestiarii* appellabantur etiam *Vestipices*, *Vestifici*, et *Vestispici*, eorumque uxores, aut feminae, quae eodem munere fungebantur *Vestiplicae*, *Vestispicae*, *Vestificae*, ut plures [3] ostendunt.

Hoc idem munus vel apud Christianos *Vestiarii* titulo indicatum fuit. Nam hujusmodi dignitas floruit etiam in Eccl. Nemausensi, ut liquet ex charta anni MCCIII, quae ita loquitur. *Ego Raimundus Dei gratia Dux Narbon .... concedo, et laudo tibi Hugoni, et Laudumano* Vestiario *Eccl. Nemausensis*. Eadem anno MCCXLVII. instituta fuit a Rainerio Episc. in Eccl. Cathedrali Magalonensi, ejusque curae commissum fuit, *induere omnes Canonicos, et Conversos, exceptis Prioribus, qui tenentur dare* Vestiario *singulis annis pro singulis Canonicis, quos induere consueverunt*, 40. *solidos*. Ejusdem muneris meminit Ordinarium Rotomagense, ubi de lotione pedum in Coena Domini [4]. *Debet D. Archiepiscopus facere distribui cuilibet Canonico praesenti, et Custodi* Vestiarii *unum Lintheum, gallice devantel*.

1 in not. ad Constant. Porphir. p. 13.
2 lib. XIV. Dig. tit. III. leg. V.
3 Pignorius de Servis in T. III. Poleni pag. 1266. Tit. Popma. de Oper. Servorum in T. III. Poleni 1337. Bergierius. lib. IV. de Imp. Rom. Viis c. XXIII. T. X. Graevii p. 766. Matth. Zimermannus in Analectis p. 59. L. Bayfius. de re Vestiaria. Veteres Inscript. apud Reinesium. class. XI. n. 95. Gudium. CXCVI. num. 4, et Muratorium. p. 949. n. VII, et p. 972. n. I.
4 in T. I. Gloss. Carpentier p. 216.

Qui vero apud Monachos *Vestiarii* Monastici custodiam habebat *Vestiarius* itidem dicebatur, ut colligitur ex charta anni MCCCLVIII, quae ita habet. *Item quod grabotum omnium, et singulorum bladorum inter ipsos Curatum, et* Vestiarium, *et eorum successores dividatur, prout blada inter eos sunt dividi consueta, videlicet quod de grabato frumenti, et siliginis dictus* Vestiarius *et sui percipiat, et percipere debeat duas partes, et dictus Curatus, et sui tertiam partem. De aliis vero bladis dictus Curatus medietatem, et* Vestiarius *Athanacensis Monasterii aliam medietatem*. Haec autem *Vestiario* indicuntur in Constitutionibus Ordinis Vallis Scholarium [1]. *Vestiarius omnes pannos, et vestes, et calciamenta, sive vetera fuerint, sive nova, custodiat diligenter, et quae reparanda fuerint, sine morae dispendio, et fratrum incommodo faciet reparari. Si autem frater aliquis novis vestimentis, seu calciamentis eguerit, hoc idem* Vestiarius *Priori intimet, ut ei per voluntatem Prioris, quod opus fuerit, ministretur; pelliciis agninis, et vulpinis tantum utantur fratres. Caveant autem Priores, ne vel ipsi, vel subditi sibi fratres pretiosis, aut curiosis vestibus, seu mantellis, seu calciamentis, vel etiam rebus aliis ad habitum nostrum non pertinentibus, undecumque ipsa provenire contingat, utantur. Calciamenta etiam genua non excedant. Fratres nostri cappas deferant omnino nigras, longas, et scapularibus usque ad longitudinem tunicarum utantur, sotularibus nigris, et clausis, et sine ligaturis.*

Hoc ipsum Monasticum officium, memorat Bernardus Casinensis [2], ubi refert ritum electionis Abbatis faciendae per viam scrutinii, *in tali parte nominantium talem sunt Decanus, Cellerarius, Vestiarius, et Abbas talis loci*. Idem vero

1 §. vII. de Vestiario. dans le voyage litteraire des deux Religieux Benedict. in T. II. p. 117.

2 in cap. LXIV. regul. S. Benedicti, et in Tom. IV. de ritibus Monachorum apud Martenium p. 610.

munus *Vestarii* titulo designatum video in Charta anni MCCLXXIII. ex Tabulario Casinensi [1]. *Casinensi* Vestario *solvere tenebantur de quolibet vino vinearum, sive vitium, quae arboribus substentantur .... de aliis vero victualiis, et olivis solvant eidem* Vestario *integraliter decimam spirtiualem*.

Praeterea *Vestarius*, aut *Vestiarius* appellabatur, qui non modo *Vestiarii*, sed etiam *Thesauri*, et Cimeliorum curam habebat. Primae illius vocis usus patet ex Instructione Pisan. Legat. ad Alexium CP. Imp. an. MCXCIX. [2]. *Studeant Legati, quod omnia pro Pisana Civitate data, sint libera, nec aliquo modo supponantur, vel subjaceant Eparco, et* Vestario. Alterius vero luculentum habes exemplum ex insigni loco Joh. Diaconi, qui prodit Gregorium M. adhuc juvenem, dum in cella nova S. *Sabae* versaretur, (minime vero in Monasterio S. Andreae ad clivum Scauri, ut excidit Georgio [3]), semel, atque iterum, Angelo egentis specie ab se stipem quaerenti, pecunia per manum *Vestiarii* data, opem tulisse. *Vbi hunc*, inquit [4], *de more quaedam scribentem Angelus Dei reperiens, misereri sibi fideliter sub habitu naufragi postulabat. Cui Gregorius ex intimo corde compatiens, bis ternis numismatibus datis abire praecepit. Nec multo post eadem die idem naufragus rediit, seque multa perdidisse, pauca vero suscepisse perhibuit. A quo pari modo senis numismatibus sumptis laetabundus abscessit. Sed die tertia rediens identidem adjutorium naufragus importunis vocibus requirebat. Cui liberalissimus pater, accersito* Vestiario, *alia sex numismata dari praecipiens, cognovit in* Vestiario *nihil numismatum, unde posset consolari naufragum, remansisse. Quid faceret, nesciebat. Aestuabat Deo devoti pectoris pietas*

1 in Gloss. Carpentier. T. III. p. 1149.
2 T. III. Cod. Ital. Diplom. Ludwig. col. 1492, et in T. III. Gloss. Carp. p. 1149.
3 T. I. Litur. Rom. Pont. p. 36.
4 in lib. I. Vitae S. Gregorii Magni cap. X.

non sufferens vacuam proximi reliquisse miseriam . Rursus Vestiarium *suum si forte vas quodlibet , aut vestimentum haberet interrogans , audivit nil penitus remansisse , praeter Matris argenteam , quae cum infusis leguminibus mitti solita erat , scutellam . Mox alacrior factus , ergo , inquit , frater , hanc defer , ne tristis abeat , qui consolari quaerit , pauper .* Quae quidem iis adiecta, quae superius attulimus, quam saepe *Vestiarii*, aut *Vestarii* vocabulum pro *Vestarario* indicando usurpatum fuit, manifeste declarant.

Quid plura? Paullus Warnefridus [1], et Leges Alaman [2]. *Vestiariam Ancillam* vocant, quae domestici *Vestiarii* curam habet, et in Monasteriis feminarum apud Abaelardum [3] dicitur *Vestiaria, quae totum, quod ad curam indumentorum spectat, providet*. Atque hinc Augustinus Sanctimoniales quasdam hortatus est iis verbis [4], *sicut pascimini ex uno Cellario, sic induimini ex uno Vestiario*.

CAPVT VII.

De Receptorio, Repositorio, Armario, et Armariolo.

Secretarium majores nostri aliis etiam nominibus indigitarunt. Nam saepe etiam *Receptorium* vocarunt, ut nempe locum innuerent, quò sese Episcopus, ac sacri Ministri recipiebant, vel ubi sacras vestes, ac supellectilem reponebant. Sic enim C. Sollius Apollinaris Sidonius [5] eum appellat, inquiens. *Epiphanius noster vix suprascripta paraverat, et nuntiatum est, hora monente, progredi Episcopum de* Receptorio. Iacobus Sirmondus [6], nescio qua de caussa, heic *Cryptam* intelligi opinatur. Verum Ioh. Savaro [7] re-

1 lib. II. de gest. Longobard. c. XXVIII.
2 tit. LXXX. §. I.
3 p. 157.
4 epist. CIX.
5 l. v. epist. XVII.
6 in not. ad eumd.
7 in not.

ctius, ut alii putant [1], *Receptorii* voce, *Secretarium* indicari pronuntiat. Quidni? quum sermo sit de Episcopo procedente ad sacrum peragendum, qui iccirco non e *Crypta*, sed e *Secretario* exire debebat. Praeterea inter alias ejusdem vocis notiones, quas explicat Ducangius, nunquam pro *Crypta* occurrit. Tantum enim pro conclavi rationario, ubi pecuniae numerantur, et exsolvuntur, ac pro *recepto*, seu jure pastus, usurpatum fuisse constat.

Itidem locus secretior in aedibus, ubi pretiosiora quaeque reponuntur, *Receptorium*, seu *Repositorium* dicebatur. Narrat enim Capitolinus in vita M. Antonini Philosophi [2]. *Vendidit gemmas etiam, quas multas in* Repositorio *sanctiore Hadriani repererat*. Idem etiam vasorum sacrorum *Repositorium* pro *Receptorio*, seu *Mensa* accipiebatur; quippe, ut ait Festus, *Mensae in Aedibus sacris Ararum vicem obtinebant*. Hujusmodi *mensae* ministeriis divinis aptae, quae fuerunt [3] aureae, argenteae, marmoreae, teste eodem Festo, *Anclabres* proprio nomine appellabantur. Hinc ipsa vasa *Repostoria* nuncupantur apud Ordericum Vitalem [4], qui ait. *Tonnas falerni plenas, aliaque vasa* Repostoria *cum multis speciebus ex pretiosis opibus de suis locis transtulerunt*. Denique pro ipso *Vestiario* indicando *Repositorii* vox usurpatur in regula S. Pachomii [5]. *Vestimenta, quae secum detulerant, accipient, qui huic rei praepositi sunt, et inferentur in* Repositorio, *et erunt in potestate principis Mo-*

1 Ducangius. in Gloss. Binghamus. T. III. pag. 263. Bona. T. III. rer. Liturg. p. 339. Maurini. in T. II. epist. Gregor. pag. 503. Gallicciolius. in T. VII. Opp. Gregorii M. pag. 23. Sianda. in Onomastic. Georgius. T. I. Liturg. Rom. Pont. p. 72. Fassonus. de Puellarum Monasteriis pag. 85.

2 cap. XVII.

3 Val. Max. l. I. c. I. n. III, et l. IV. c. I. n. VII, et Cicero lib. III. de Nat. Deorum c. XXXIV, et Ver. VI. c. LIX.

4 lib. III. p. 898.

5 apud Surium die 14. Maii pag. 1955. in Rosvveidi Vitis PP. Antuer. 1620. fol. p. III. in Tom. III. Maji Bolland. pag. 287, et in Macri Hierolexico pag. 495.

nasterii, qui alias *Advocatus*, et *Defensor* dicebatur.

Verum hunc eumdem locum *Armarii* titulo designatum reperies in ms. Pontificali Eccl. Moguntinae, ubi in *ordidine ad consecrandum Episcopum* haec exponuntur [1]. *Duo Episcopi assistentes ipsum Consecrandum, dum haec cantabuntur,* (nimirum Sequentia *Veni S. Spiritus*) *ad* Armarium *deducunt, dalmatica subtili, sandaliis, cambagis, et desuper pluviali indutum, ad chorum coram ipso Consecratore iterum reducant*. Totius vero consecrationis caeremonia hujusmodi verbis absolvitur, ex quibus singularis ritus ibidem Consecrati manus, et caput, pane, et sale abstergendi declaratur [2]. *Deinde Missa completatur modo consueto, et Episcopi omnes simul ad* Armarium *revertantur, et exuant sacras vestes; sed ipsi Assistentes* caput *Consecrati, et* manus *de sacro chrismate cum* pane duro, et sale *diligenter purgent, et* extergant; *et postea ipse Consecratus indutus albis vestibus de serico, equo suo superducto,* de eodem *ad hospitium suum cum tali solemnitate, et habitu honorifice revertatur*. Ex eodem Pontificali, ubi describitur *ordo ad faciendum officium in Coena Domini*, haec lego [3]. *Ponatur oleum seorsum super altare, donec cum sacro chrismate, et oleo Catechumenorum infra benedicendis ad* Armarium *reportetur*.

Praeterea *Armariolum* dicebatur *Secretarium bematis*, sive locus altari proximus, ubi calix cum corporali, ceterisque ad sacrificium necessariis conservari solebat. Eum ita describit Vdalricus [4]. *Propter hoc ipsum factum est* Armariolum *unum ante faciem majoris Altaris, optime compaginatum, et intrinsecus pannis vestitum, in quo nihil aliud reconditur praeter illa utensilia, quae necessaria sunt ad Missarum solemnia dumta-*

1 T. II. de ant. Eccl. rit. ap. Mart. p. 225.
2 ibid. p. 228.
3 ibid. p. 339.
4 l. II. c. xxx, et in T. iv. Martene p. 162.

xat in conventu generaliter agendarum ; praecipue duo calices aurei cum patenis diversae quantitatis ; et duo corporalia , unum duplum . sicut omnia corporalia solent esse ad privatas Missas , alterum simplum . Minor calix cum duplo corporali ad matutinalem Missam , major cum simplo ad majorem ; nam et unum simplum semper jacet in sinistro cornu altaris , ut a prioribus nostris accepi , ut ad manum possit esse contra periculum ignis , contra quod , si forte contigerit , creditur a multis , quia multum valeret expansum . Item ibi est patena mediocris , et argentea , et aurea scutella , habens operculum ejusdem metalli fabrili opere colligatum , ibi ampullae , ad subministrationem vini , et aquae ; nam et in ampulla vinum ante consecrationem solet offerri . Ibi urceus argenteus cum appenditio suo ad manuum ablutionem , ibi linteola plura , sine quibus singula sacrata vasa ante nec levantur , nec quoquam portantur . Ipsum autem Armariolum *habet in medio tabulatum , ut quaeque sacratiora sunt sursum , cetera deorsum . Ad initium Missarum reseratur a majore Custode Ecclesiae , vel ejus suffraganeo , qui est hebdomadarius ; panno totum desuper operitur , qui et patenam ibi ponit simul cum corporali ; calicem vero cum linteolo in longum extento tenens , et desuper operiens portat ad amphoram aquae , quae de stanno semper est in Eccl. et in loco competenti , ut omnes ibi calices laventur, quorum usus est ad privatas Missas . Ibi quoque tunc hebdomadarius apportatum calicem diligenter lavat aqua bis infusa , et si non est Sacerdos , vel Levita , quaerit ad hoc Vicarium alterius ordinis , ut in* IV. *feria , et Sabbato , manu interius missa bene quoque in fundo ipse calix confricetur , ne forte aliquantulum foetiscat propter vini crebram infusionem ; ergo lavatus reportatur , et ponitur super Armariolum* ; Haec eadem in Benignianis consuetudinibus , totidem quasi verbis referuntur [1].

1 cap. xxI , et in T. IV. Martene p. 182.

Mox vero, ut Subdiaconus pacem accepit, fistulam argenteam [1], *cum qua Sanguis Domini ebibi solet, in sacculo ex panno mundissimo ad hoc ipsum facto reconditam, de* Armariolo *Diacono defert..... interim tollit de* Armariolo *scutellam, et allatam tenet cum linteolo super dextrum cornu Altaris*. Tanta erat majorum nostrorum cura, ac reverentia in rebus sacris contingendis, et custodiendis! Exstat etiam nunc in regali S. Dionisii prope Parisios Monasterio hujusmodi *Armariolum* majori Altari proximum, ubi, teste Martenio, vasa ad sacrum sollemne inservientia summa cum religione servantur.

C A P V T VIII.

De Paratorio.

Locus, ubi Pontifex, seu qui sacra facturi erant, sese *parabant*, id est vestibus ecclesiasticis induebant, vel ubi sese ad sacram liturgiam peragendam, orationi, ac precibus sedulo vacantes, componebant, *Paratorii* nomine donatus fuit, ab antiquissimis usque temporibus. Nam ejusdemmodi vox exstat in Ord. I, ubi legitur [2]. *Calicem autem accipit Subdiaconus sequens, dat Acolytho, quem ille revocat in* Paratorium. Iisdem plane verbis hunc ritum exponit Ordo II, [3] a quo parum etiam differt Ordo III, qui ita habet [4]. *Hoc officio juxta altare peracto*,

1 Haec alibi stamnea, aut eborea, quandoque etiam aurea esse solebat, ac variis nominibus nuncupabatur. Nam *calamus*, *pugillaris*, *canna*, *pipa*, *virgula*, *cannolus*, et *cannadella* dicta fuit. Ejusdem usus adhuc retinetur a Pont. Max., dum, ritu augustiore, rem divinam operatur.. V. Roccam de sacra Sum. Pont. Communione Sacr. Missam celebrantis. Georgium de Litur. Rom. Pont. T. I. p. c. et T. III. p. 164. Joh. Voghtium de Historia Fistulae Eucharisticae, cujus ope sugi solet e Calice vinum benedictum. Bremae 1740. 4, et in Nov. act. Erud. supplem. T. v. pag. 239.

2 §. XX. p. 15.

3 §. XIV. p. 50.

4 §. XVII. p. 60.

et pugillari, cum quo confirmetur populus, per Subdiaconem regionarium jam accepto, traditur calix ab Archidiacono eidem Subdiacono perferendus Acolytho, ut reponatur in Paratorio. Alio vero loco vulgati Ord. Rom. legimus. *Reponitur liber in* Paratorio *quodam, sive in* Secretario.

Quae tamen minus recte, mea quidem sententia, de *Bematis Secretario* intelligi posse putant Ducangius [1], et Reischius [2], ubi ex una parte vestes, Sacramentalia, Missalia, aliaque id genus; ex alterà reposita fuisse panem, vinum, calicem, patenam docuit Paullinus. Nam etsi vel ipsum *Secretarium minus*, quod idem erat, ac *Prothesis*, *Paratorium* dici potuit, ubi oblationes recipiebantur, et praeparatio ex illis ad Eucharistiam fiebat, ut scite explicant Binghamus [3], Sianda [4], et Berlendus [5], tamen abnuo, allata Rom. Ordinum verba de eodem loco esse accipienda; quippe quae luculenter ostendunt, *Calicem*, et *Librum* in sacrae liturgiae usum in *minori Secretario* adhibitos, deinde in *Paratorium*, sive *Secretarium majus* ab *Acolytho* esse referendos. Quae quum ita sint, haud amplius cum Vicecomite [6] dubitandum est, quid sit *Paratorium*. Ac propterea, non modo Capsas ad Calices recondendos, ut notat Meratus ad Gavantum [7], sed ipsum *Vestiarium*, ubi tota Ecclesiae supellex recondebatur, hoc etiam titulo designatum fuisse teneamus, aeque ac *Armariolum*, seu *Prothesim*, ubi sacra praeparabantur. Ab aliis vero hujusce vocis significationibus, quae ad rem nostram nihil adtinent, supersedeo, quum eas apud Ducangium noscere facile poteris.

1 in notis ad Paull. Silentiar. p. 580.
2 ad Const. Porph. p. 35.
3 T. III. p. 248, et 249.
4 in Onomastico p. 244.
5 de Oblationibus p. 229.
6 de Missae apparatu lib. VI. cap. XVIII. pag. 331.
7 T. I. p. 124. ad Tit. I. Pont. Rom.

CAPVT VIIII.

De Donario, et Promptuario.

Ad alia *Vestiarii* nomina quod adtinet, vel illa *Donarii*, *et Promptuarii* eidem indita fuisse animadvertit [1] de la Cerda, quod ibi reponi solerent *donaria* Deo, ac Caelitibus in Templis oblata. Quum vero eadem *Donaria*, et sacrae supellectiles identidem e *Vestiario* depromerentur, *Promptuarium* quoque dictum fuisse monet Lud. Cresollius hujusmodi verbis [2]. *Incredibile dictu est, quantam curam habuere majores nostri piae religionis Antistites, ut supellex, atque omnis divinarum aedium paratura ad omnem elegantiam, et majestatem emineret. In eam rem fuit in Templis ornamentorum choragium, seu* Promptuarium *sacrum, quod vulgo nunc* Sacristiam, *et* Vestiarium *nominant Scriptores*. Praeterea Ducangius *Sacrarium*, in quo MM. Reliquiae asservantur, *Promptuarium* fuisse nuncupatum adnotavit, ad eum Meisterlini locum [3]. *Postquam adductae fuerunt reliquiae... in noviter aedificatae cappellae Promunctorio ostensae*, ubi una cum Vulcanio mendum irrepsisse demonstat, ac *Promptuario* legendum esse docet. Quod tamen minime probat Carpentierius [4], qui pulpitum ibidem, seu ambonem potius agnoscit, sic ab edito loco nuncupatum. Itaque miror, nullam de utroque vocabulo mentionem Georgium [5] fecisse, qui singula nomina, quibus a majoribus nostris *Secretarium* donatum fuit, expendere aggressus erat.

1 Advertar. Sacr. cap. cxxv. p. 249.
2 in Mystagogo lib. III. c. xvI. p. 564.
3 T. III. Gloss. pag. 416. V. Morettum de ritu ostensionis sacrarum Reliquiarum. Romae 1721. 4.
4 in hist. Rer. Noriberg. apud Ludwig T. vIII. reliq. MSS. p. 132.
5 T. I. Liturg. Rom. Pont. p. 66.

CAPVT X.

De Salutatorio.

Quum plura fuerint vocabula, quibus pro regionum, ac temporum diversitate, aut vario loquendi usu *Secretaria* distinguebantur, eadem saepe etiam *Salutatoria*, dicta fuisse scimus. Ita apud veteres monet Papias nuncupatum fuisse locum, ubi ad *salutandum* advenientes excipiebantur, quemque glossae latino-graecae *ἀσπασικόν* vocant, nimirum *domum salutationis*, ut vocant Aelfricus, et Vgutio in Glossario, seu *cubile salutatorium*, ut Plinius [1] appellat *cubicula*, quô sese clientes Dominum *salutaturi* conferebant. Hujusmodi *salutationes* mane fieri consuevisse docet Tullius ad Brutum, de quarum ambitione plures erudite pertractarunt [2]. Porro aedium partem huic usui accomodatam eodem nomine vel apud Christianos venisse patet. Nam Ordericus Vitalis ita eas designat [3]. *Ecce januas heic disponam, et ad ortum Solis ingressum, primo proaulam, secundo* Salutatorium, *in tertio Consistorium, in quarto Tricorium; in quinto zetas hyemales*. Itidem in Chartario Farfensi, Palatii Spoletani ichnographia ita describitur. *In primo proaulium, idest locus ante aulam; in secundo* Salutatorium, *id est locus* salutandi *officio deputatus, juxta majorem domum constitutus*.

Quoniam vero Episcopi, priusquam sacra facturi ad Altare procederent, Fidelium *salutationes* in *Secretariis* ex-

1 lib. III. epist. XII, et XV. cap. II.
2 Balutius in not. ad epist. Cypriani p. 22. Mich. Heusingerus de Salutationibus Rom. matutinis ad Plinii epist. Isenaci 1740. Pet. Ekermannus, in diss. officiosum Ave Rom. leviter adumbrante. Vpsal. 1745, et Gottlr. Schvvarzius, de assectatione apud Veteres Romanos usitata. Altorfii 1722. Ioh. Iac. Claudius de Salutat. ritibus. Vltraj. 1702.
3 lib. II. p. 412.

cipiebant, qui sese eorum precibus enixe commendabant, iccirco *Salutatorii* nomine donata sunt, atque distincta. Et sane hujusmodi aedificium a Felice Ravennae exstructum ita nuncupatur ab Agnello, qui in ejus vita haec memorat [1]. *Fecit hic BB. Felix* Salutatorium, *unde procedunt usque hodie Pontifices ad Introitum Missarum, palam Populis videntibus; et super ipsius regias inveni scriptum continentem ita.*

Forma loci dudum ....
Squallida, sed tantum pervia plebis erat.
Postquam Pontificis meritis juvenescere visa est,
Vicinum Ecclesiae concipit inde diem.
Turba Sacerdotum melius hinc pergit in Aulam,
Oblitum nescit linquere Pastorem.
Per medios gradiens Populos reverentia crescit,
Cum super effundit cognita verba Dei.
Hunc ritum servet veniens quicumque Sacerdos,
Nec finem teneat Pontificalis apex.
Fama loquax tantos nunquam reticebit honores,
Nam ...

§. I.

Insignis Theodoreti locus de Theodosio, qui supplex Ambrosium adiit in Salutatorium, post caedem Thessalonicensium, expenditur.

Ceterum nonnulli Scriptores [2] *Salutatorium* fuisse putarunt ipsam Episcopi domum, sive locum *extra Basilicam*, a *Secretario* plane distinctum, quô advenae, ac peregrini ab

1 in cap. vII. Vitae S. Felicis p. 177, et apud Murator. Tom. II. Script. Rer. Ital. pag. 164.

2 Svicerus T.I. Thes.Eccl. p.556. Macer. in Hierolexico pag. 539. Bulengerus. de Templis lib. III. c. xv, et xx. p. 78. de la Cerda. adversar. Sacr. c. xxxI. p. 27, et Scaliger. lib. II. Auson. lection. c. xxIII.

Episcopo excipiebantur [1]. Video in hanc opinionem doctissimos viros in primis descendisse ex eo Theodoreti loco, ubi agit de Theodosio M. qui post injustam vII. mile Thessalonicensium caedem ab Ambrosio damnatus, Templi aditu exclusus, ac sacrorum communione privatus, menses octo continentes in luctu, ac squallore traduxit, nec nisi obtestationibus multis, ac lacrymis, post facta sanctissimi Antistitis mandata, veniam, ac pristinam sacrorum participationem imploravit. Itaque heic eum, etsi prolixiorem, praestat afferre, ut clarius agnosci possit, num Theodoretus episcopalem Ambrosii aedem, quae forte Templo adhaerebat, quaeque, aliarum instar, ut pluries testantur Gregorius Turonensis, et Menardus, *Salutatorium abs domo Ecclesiae* dicebatur, an potius ipsum *Secretarium* innuerit. Nam inter judicia, quae in *Secretariis* olim peracta fuisse vidimus, nullum aliud proferri potest illustrius, ac memorabilius.

Quum Theodosius criminis sui atrocitate, aut nihil, aut parum adfectus, Mediolanum ingressus esset, ac sese more solito ad Templum conferret, Ambrosius extra Vestibulum ei obviam processit, eumque a sacri liminis ingressu gravissimis hujusmodi verbis prohibuit. *Ignoras, ut puto, Imperator, perpetratae abs te caedis gravitatem, et furore jam sedato, nondum ratio scelus, quod commissum est, intellexit. Obstat enim fortasse imperialis potentia, quominus peccatum agnoscas, et rationi tenebras affundit licentia. Naturam tamen spectare oportet, quae caduca, mortique obnoxia est, et primitivum pulverem, ex quo orti sumus, et in quem resolvimur. Nec purpurae splendore deceptus, corporis, quod sub illa tegitur, infirmitatem ignorare debes. Ejusdem tecum*

1 lib. v. c. xvIII. p. 217.

naturae hominibus imperas, imo etiam conservis, o Imperator. Vnus quippe est omnium Dominus, atque Imperator, is qui universa condidit. Quibus igitur oculis Templum communis Domini adspecturus es? quibus pedibus sanctum solum calcaturus? Quomodo manus extensurus es, injuste caesorum sanguine adhuc stillantes? Quomodo sacrosanctum Domini Corpus ejusmodi manibus excepturus es? Quomodo pretiosum Sanguinem admoturus es ori tuo, qui verbo furoris tui tot hominum sanguinem injuste effudisti? Abscede igitur, nec posterioribus factis prius peccatum augere velis. Accipe vinculum, quod Deus omnium dominus sursum suffragio suo comprobat. Medicabile enim est, et sanitatis restituendae vim habet. His verbis obtemperans Imperator, divinis innutritus oraculis, probe norat, quae Sacerdotum, et quae Imperatorum propria essent officia, flens ac gemens reversus est in Palatium. Longo post tempore elapso, octo enim menses excesserant, Servatoris nostri natalis dies advenit, Imperator interim sedebat in Palatio, magnam vim effundens lacrymarum. Id quum animadvertisset Rufinus, qui tunc erat magister officiorum, magnaque loquendi pollebat libertate, ut maxime familiaris ad principem accedit, et lacrymarum caussam sciscitatur. Imperator acerbius ingemiscens, et uberiores profundens lacrymas, tu quidem, inquit, Rufine, ludis: mea quippe mala minime sentis. Ego vero gemo, ac doleo, meam considerans calamitatem: siquidem servis quidem, ac mendicis patet Ecclesia Dei, in quam libere ingrediuntur, et Domino supplicant. Mihi vero, et Ecclesiae aditus interdictus est, et praeterea clausae sunt caeli fores. Memor enim sum dominicae vocis, quae diserte ita dicit: Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in caelis. Tum Rufinus, curram, inquit, si tibi placet, et exorabo Antistitem, ut vincula tua solvat. Cui Imperator, non persuadebis, inquit, Ambrosio. Novi aequitatem

sententiae illius. Nunquam ille imperialem reveritus potestatem, Dei legem violaturus est. Sed quum Rufinus instaret, seque Ambrosio persuasurum polliceretur, Imperator eum illico abire jubet. Nec multo post ipse quoque spe blandiente subsequutus est, Ruffini pollicitationibus credens. Verum divinus Ambrosius simul atque Rufinum vidit, canum, inquit, impudentiam imitaris, Rufine. Nam quum tantae caedis suasor exstiteris, pudorem e fronte excussisti, et neque erubescis, neque formidas, quum adversus imaginem Dei tanta rabie saevieris. Quumque Rufinus supplicaret, et Imperatorem brevi adfuturum esse diceret, Ambrosius divino zelo incensus, ego quidem, inquit, tibi, Rufine, praedico, atque praenuntio, me illum ab ingressu sacri Vestibuli repulsurum. Si vero imperium in tyrannidem vertit, ego quoque libenti animo caedem excipiam. His auditis, Ruffinus consilium Episcopi per nuntium Imperatori significavit, suasitque, ut intra Palatium remaneret. At Imperator, quum haec in medio foro didicisset, ibo, inquit, et justas patiar contumelias. Quumque ad Ecclesiae septa pervenisset, in ipsam quidem Basilicam ingressus non est; sed accedens ad Episcopum, qui tum in *Salutatorio* residebat, ut vinculis solveretur, rogavit. *Ambrosius vero hujusmodi adventum tyrannicum esse dixit, et Theodosium adversus Deum furere, legemque illius calcare. Tum Imperator adversus leges, inquit, quae latae sunt, non insurgo, nec contra fas ingredi cupio sacra vestibula; sed a te peto, ut vinculis me absolvas, et communis Domini clementiam consideres, nec mihi occludas januam, quam cunctis poenitentiam agentibus Dominus aperit. Cui Ambrosius. Quam igitur, inquit, poenitentiam ostendisti post tam grave facinus? Cujusmodi medicamentis vulnera tua curasti? Heic Imperator, tuum est, ait, medicamenta ostendere, ac temperare; mei autem officii est oblata suscipere. Tunc Ambrosius. Quan-*

Digitized by Google

doquidem, inquit, judicium permittis furori, nec ratio, sed ira sententiam profert, scribe legem, quae furoris sententias irritas reddat, atque inanes: et triginta dierum spatio maneant scriptae sententiae de caede, ac bonorum proscriptione, rationis judicium exspectantes. Quibus diebus transactis, hi, qui edictum scripserunt, ostendant tibi ea, quae jusseris. Ac tum, sedato aestu iracundiae, ratio per se ipsa judicium exercens examinabit ea, quae decreta sunt, dispicietque, utrum justa sint, an injusta. Ac siquidem injusta esse deprehenderit, procul dubio scripta discerpet, sin justa, confirmabit; nec dierum spatium recte dijudicatis quidquam detrimenti adferet. Hoc consilium quum audisset Imperator, et utilissimum esse existimaret, statim legem scribi praecepit, eamque manus suae subscriptione firmavit. Quo facto, Ambrosius ejus vincula relaxavit. Atque ita demum in Dei Templum intrare ausus Imperator, non stans, nec genibus flexis supplicavit Deo, sed pronus humi jacens, Davidicam hanc vocem emisit, adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum. Denique manibus comam vellens, frontemque percutiens, et lacrymarum manantibus guttis solum rigans, veniam sibi dari poscebat. Quum autem tempus advenisset, quo dona sacrae mensae erant offerenda, surgens cum lacrymis non minoribus, quam antea, progressus est ad Altare. Eadem iisdem fere verbis narrant Sozomenus [1], Paullinus [2], Cassiodorus [3], et Paullus Diaconus [4].

Quis autem haec legens, ex intimo animi sensu non commoveatur, ad tam illustre, ac praeclarum, tum in Sacerdote, tum in Principe virtutis exemplum, ac incensum illius, tuendae relligionis studium, ac magnanimitatem, hujus autem obedientiam, ac relligionem non admiretur? Imperator Cpolim deinde reversus pronunciavit, se tan-

1 l. VII. 2 in Vit. Ambrosii. 3 hist. tripart. l. IX. c. XXX. 4 l. XIII. hist. Misc.

dem aliquando edoctum, quid esset discriminis inter Sacerdotem, ac Principem, et veritatis Magistrum invenisse, ac demum se nosse unum Ambrosium, qui Episcopus dici mereretur. *Tantam utilitatem*, inquit idem Theodoretus, *habet reprehensio, quae fit animo, excellenti virtute praedito!*

Sed in hunc ipsum Theodoreti locum, et in alterum Ammiani Marcellini [1] monet Valesius, ἀσπαστικὸν οἶκον ab Epiphanio Scholastico recte versum *Salutatorium*, seu *Secretarium Ecclesiae*, ubi Episcopus, et Presbyteri sedebant ad pias, atque honorificas Fidelium salutationes excipiendas, qui eò conveniebant, ut eorum benedictionem, et preces, vel in arduis etiam negotiis consilium exposcerent; aliique plures [2] contra Scaligerum, ceterosque allatos Scriptores, Valesii partes sequuti sunt.

Verum praesertim adversus Jos. Stephanum, qui eadem omnino sentienda esse duxit de *Salutatorio* [3], acriter surrexit Bernardinus Ferrarius [4], qui ex Cassiodori loco [5], omni asseveratione affirmare non dubitavit, nil aliud apud Theodoretum *Salutatorium* significare, quam primum Domus Episcopalis Ambrosianae aditum, ac *Vestibulum*, quô peregre advenientibus obviam ibat aedis incola, ac primi verborum congressus, mutuaeque salutationes habebantur. Quam quidem sententiam tueri nititur Eudoxiae Aug. Arcadii uxoris exemplo, quae [6] ab Amantio Eu-

1 lib. xv. p. 87.

2 Binghamus T. III. pag. 264, et T. vII. p. 141. Ducangius. in Cpoli Christ. num. LXXXIII. Frid. Spanhemius. hist. Eccl. p. 863. Dad. Alteserra. in notis ad epist. S. Gregorii T. II. pag. 503. Ruinartius. in notis ad Gregor. Turonensem lib. II. c. xxI. Card. Bona. lib. I. c. xxIv. n. II. Fassonus. de Monasteriis Puellarum p. 89.

3 de osculatione pedum Rom. Pont. c. xvI.

4 de ritu sacrarum Eccl. veteris concionum. Vltrajecti 1692. 8. p. 353.

5 lib. Ix, et xxx. hist. tripart.

6 V. P. Desmolets vie d'Athenais Imperatrice de l'Orient, epouse de Theodose, connue depuis sous le nom d'Eudoxie. dans la contin. des memoir. de litterature de M. de Sallengre. Paris 1729. 8. T. vIII. pag 1. Anonymum Gallum Reflexions sur l'attachement d'Athenais pour Paullin,

Digitized by Google

nucho de Marci, et Porphyrii Antistitum adventu edocta, intra regiae domus parietes eos officiosissime consalutavit, sese vehementer excusans, quod non e vestibulo venientibus statim occurrisset, uteri onere, jam ad partum propinqui, impedita. Sed quis non videt, etsi aedium *Vestibulum* a mutuis hisce advenientium, et occurrentium salutationibus interdum *Salutatorii* vocabulo fuerit appellatum, nunquam certe de eo Theodoretum verba fecisse? Cur enim Theodosius Ambrosium in ipsa domo, vel exeuntem vestibulo conveniret, quin potius in *Secretarium*, ubi Fideles Antistiti salutationes ante sacrum rite praestabant, locumque Templo proximiorem, q ò rursus admitti flagitabat, eum adiret, ac supplex culpae veniam exposceret? Praeterea, aut ego fallor, nunquam certe Ambrorius *tyrannicum* Imperatoris *adventum* dicere potuisset, si domi dumtaxat, neutiquam vero in *Ecclesiae septis*, a quibus arcendus erat, eum convenisset. Ita profecto interpretati sunt Theodoreti verba Paullinus [1], Joh. Costerius [2], Baronius [3], Maurini [4], Gottfridus Hermantius [5], Ambrosii vitae Scriptores, aliique [6]. Quid enim morer

favori de l' Empereur Theodose, ou l'on refute l'auteur de la vie precedente. dans le Bibl. Raisonné. T. IX. p. 457. et Matth. Raderum in Aula Theodosii II. seu junioris S. Pulcheriae sororis, et Eudoxiae uxoris. Aug. Vindel. 1678. 8.

1 Vita S. Ambrosii Med. Ep. praemissa libris de officiis, et eliis opusculis. Mediol. 1488. 4, et in vitis SS. Surii ad IV. Aprilis p. 51, et in append. T. II. edit. Maur. ann. 1686. fol. Paris.

2 in edit. Basil. Opp. Ambros. ann. 1557.

3 in Rom. ann. 1580.

4 in Parisien. ann. 1690. in Append. T. II.

5 Vie de S. Ambroise Arch. de Milan. Paris. 1678. 8.

6 Joh. Garcaeus in historiola de S. Ambrosio Ep. Mediol. Witteb. 1571. 8. Joac. Pastorius ab Hirtenberg. vita, et status politicus Theodosii M. Jenae 1664. 8. Flechier. Hist. du Theodose M. Paris 1679. 4. Adam Rechenbergius in diss. de Theodosio M. excommunicato Lips. 1683. 4. et inter ejus dissertat. Historico-politicas Lips. 1698. 8. P. II. pag. 241. Joh. David Koellerus in diss. de famil. Theodosii M. cum probationibus. Altorfii 1715. 4. Ioh. Hermansson in diss. de Theodosio M. Romanorum Augusto. Vpsal. 1723. 4. Iac. de la Baune in vita Fl. Theodosii M. per annos digesta. inter Paneg. veter. Venet. 1728. 4. pag. 304. ac praecipue Aug. Chr.

Digitized by Google

Thomasii dubitationem [1], de qua vel ipsi heterodoxi Bibliothecae Germanicae scriptores mirati sunt, *num vere Ambrosius Theodosium e Templo repulerit, ac poenitentiae subjecerit?*

Itaque quum de nulla alia aede extra Ecclesiam, praeter *Secretarium*, allata Theodoreti verba de Theodosio poenitente excipienda sint, multo minus Christophori Sonntag sententiae acquiescendum reor, qui [2] Theodoreti locum *de bemate, sive choro intelligendum esse* pronuntiat, *ubi erat annexa aedicula* Salutatoria, *in qua Episcopus sedebat, quum ad sacra facienda se pararet*. Ceterum haud inficias iverim, *Secretarium majus*, quod circa absidem alicubi positum fuit, quandoque *Salutatorii* titulo acceptum fuisse. Porro hujusmodi locus in vita S. Ansegisi Abatis Fontanellensis, et Luxoviensis [3] *Beleuterion* nuncupatur; quippe qui *jussit condere domum juxta absidam Basilicae S. Petri ad plagam septemtrionalem, quam Conventus, seu Curiae, quae graece* Belenterion *dicitur, appellari placuit; propterea quod consilium in ea de qualibet re perquirentes convenire fratres soliti sint*. Ibi autem mendum cubare monet Ducangius [4], qui Βουλευτήριον legendum esse docet, quod Curiam re ipsa significat apud graecos recentiores. Sed, inquiet fortasse aliquis, extrema Chronici Fontanellensis verba, Christophoro Sonntag plurimum favent. Ex iis enim aperte liquet, priusquam sacris Antistites operam darent, in aedicula salutatoria *juxta absidem*, Fidelium caussas audire, eorumque negotia curare consuevisse. Id certe in *Salutatorio*, quod

Brunst, in eliis duabus dissert. quod Ambrosius Theodosium a S.Coetu excluderis, majestatis, aut aliud grave crimen non commiserit.

1 in hist. concertationis inter Imperium, et Sacerdotium. Halae 1722.

2 de hyemantibus ad Can. xvII. Concil. Ancyran. Altdorf. 1705. 4.8. et §.xII. p.14. in Them. antiq. Eccl. Schurzfleischii.

3 T. III. Spicil. Achery p. 239. ex chron. Fontanellensi, et in Sec. IV. ann. Bened. Par. I. p. 365; et in T. v. Julii Boll. p.190.

4 In Gloss. med. et infim. latinit. et in altero, mediae graecitatis ad Βουλευταί.

Ansegisus e novo condidit, adcidisse, ambigendum minime est, quodque, instar alterius *Secretarii* supra [1] memorati, a Victore III. exstructi, circa absidem positum fuit. Verumtamen hujusmodi exemplum nihil officit, quominus cum ceteris scriptoribus opinemur, *Secretarium majus* in *Salutatorii* usum frequentius inter exedras, in inferiori sacrarum aedium parte sitas, collocandum, ibique Theodosium patrati criminis veniam ab Ambrosio sacris operaturo supplicem expostulasse. Quidni? si idem Theodoretus *tunc demum Imperatorem in Dei Templum intrare ausum fuisse* narret, postquam Ambrosius ejus vincula in *Salutatorio*, in *Ecclesiae septis* incluso, relaxaverat?

Alteram hujusce *Salutatorii* indicationem nobis exhibet idem Theodoretus, qui Valentini, et Bardesanis asseclas ita describit [2]. *Propterea quod extinctam olim haeresim ab his renovari cernentes, vociferari non cessamus, privatim, ac publice contestantes, tum in* Salutatoriis *domibus, tum in aedibus sacris, structasque fidei insidias patefacimus, convicia in nos effuderunt*. Ibi enim, ut etiam Suicerus [3] animadvertit, Theodoretus in graeco exemplari eadem *Aspatici* voce utitur, qua Theodosium eò ingressum descripsit.

Quum vero nonnullis *Salutatoriis* cubicula essent adnexa, quae iccirco *Salutatoria* promiscue dicebantur, ibidem quandoque non modo sacri Ministri, sed iidem etiam Episcopi morabantur, ut apposite Ducangius [4], Fratres Macri [5], et Mabillonius [6] ostendunt, Gregorii Turonensis testimonio. Is enim haec tradidit de Namatio Arvernorum Antistite [7]. *Et quia eo tempore Ecclesia parvam infra muros urbis possessionem habebat, ipsi Sacerdoti in ipso, quod*

1 pag. 160. 2 epist. CXLV. p. 1022.
3 T. 1. Thes. Eccl. pag. 556.
4 in Glossario.
5 in Hierolexico pag. 539.
6 de Liturg. Gallic. p. 79.
7 Hist. Francor. l. II. c. XXI. pag. 72.

modo Salutatorium *dicitur*, *mansio erat*, *atque ad gratias Deo*, *tempore nocturno*, *reddendas ad Altarium Ecclesiae consurgebat*. His fere similia protulit de Eberulfo, qui [5] *habebat pro timore Regis in ipso* Salutatorio *B. Basilicae mansionem*. *Quum autem Presbyter*, *qui claves ostii retinebat*, *clausis reliquis*, *recessisset*, *per illud* Salutatorii *ostium introeuntes puellae*, *cum reliquis pueris ejus suspiciebant picturas parietum*, *rimabanturque ornamenta beati sepulcri*, *quod valde facinorosum religiosis erat*. Haec tamen, velim, accipias, pro aedibus *Salutatorio* adnexis, non pro ipso *Salutatorio*, ut placuit Valesio [6], Ruinartio [7], Bonae [8], de Prato [9], Fassono [10], aliisque praestantissimis viris, quibus haec distinctio, oppido necessaria ad hujus, aliorumque locorum intelligentiam, non fuit animadversa. Equidem ita explicanda esse arbitror, quae Messianus Presbyter, et Stephanus Diaconus literis consignarunt in vita S. Caesarii Arelatensis [11]. *Quumque expleto lucernario*, *benedictionem populo dedisset*, *egredientibus illis*, *mulier quaedam in* Salutatorio *occurrit*, *quae tam horribilem infirmitatem incurrerat*, *ut die noctuque incessanter manus ei inter se colliderentur*, *quasi aliquid volventes*. Nam si, nonnullis dumtaxat casibus exceptis, et a nobis supra commemoratis, Virginum benedictionis, ac Nuptiarum celebrationis, semper *Salutatorium*, sive *Sacrarium* mulieribus impervium esse debebat, multo magis post officium precum vespertinarum, ab ipso jam solis occasu, praeclusum iis esse debuit, quin tamen iisdem in adnexam *S. Caesarii* aedem aditus pariter impedire-

1 ibid. lib. vII. c. xxII. pag. 246.
2 ad Amm. Marcell. pag. 118.
3 ad Gregor. Turon. pag. 72.
4 lib. 1. cap. xxIv. num. II.
5 ad Sulpic. Sever. pag. 370.
6 pag. 54. de Puell. Mon.
7 in Surii vitis SS. d. 27. Aug. pag. 284. in actis SS. Ordinis S. Benedicti Sec. I. pag. 672. et T. vI. Augusti Bollandiani pag. 80.

tur: etsi narret Cyprianus in ejus vita [1], *mulieres tamen intra* domum Ecclesiae, *non ad* salutandum, *non qualibet caussa, nec religiosae, nec propinquae ancillae, nulla omnino feminarum introeundi habuit licentiam*. Huc igitur revocanda esse puto, quae supra [2] de S. Martini *mansione* retulimus, quô nonnullae Virgines certatim irruerunt, quaeque in vita S. Ephraemi occurrunt apud Bollandum [3]. Siquidem ubique apparet, quoties mulieres vel in ipsas aedes *Salutatorio* adnexas ingressae sunt, id furtim semper, aut ex improviso, aliqua urgente necessitate, praestitisse.

§. II.

Num, instar aliorum Episcoporum, Romani Pontifices in Secretariis Fidelium Salutationes exceperint?

Dom. Georgius [4], morem in *Secretario* Fidelium salutationes excipiendi, paucis dumtaxat Episcopis communem fuisse arbitratur. Negat enim, hujusmodi usum a Rom. Pontificibus fuisse usurpatum, ex eo quod doceant Rom. Ordines, Fideles Pontificem ad stationes procedentem secus viam exspectasse, iisque auditis, Nomenculatori, et Sacellario, rei definiendae potestatem ab eodem impertiri consuevisse [5]. *Si quis autem adire voluerit Pontificem, si equitat, statim, ut eum viderit, descendat de equo, et ex latere viae exspectet, usque dum ab eo possit audiri. Et petita ab eo benedictione, discutiatur a Nomenculatore, vel Sacellario causa ejus; et ipsi indicunt Pontifici, et finiunt*. Verum Ducangius [6] vel ipsos Rom. Pontifices divinam rem acturos, in *Secretario*, saltem a Diaconis, salutatos fuisse contendit, altero ejusdem Ordinis testimonio, quod licet ali-

1 sub fin. 2 pag. 245.
3 num. 11I. T. 1. Febr. pag. 49.
4 T. I. p. 66. 5 Ord. I. n. 1I. p. 4.
6 in descript. aed. Soph. n. LXXXVIII.

bi [1] excepimus, juvat huc rursus proferre. *Quum vero Ecclesiam introierit Pontifex, non adscendit continuo ad Altare, sed prius intrat in* Secretarium, *sustentatus a Diaconibus, qui eum susceperint de sellario descendentem: ubi dum intraverit, sedet in sella sua, et Diacones* salutato *Pontifice egrediuntur* Secretarium.

Ceterum dissimulandum minime est, Ducangium prolati Ordinis verba de ea tantum *salutatione* accipi posse non diffiteri, quam, inclinato capite, exhibebant Diaconi, priusquam e *Secretario* excederent. Verum haec nobis nihil incommodant. Alia enim jam audivimus testimonia, quae hujusmodi ritum diserte confirmant. Nonne, rogo, id aperte probant oblationes illae [2] ante pedes Pontificum in *Secretario* porrectae? Quid vero illud, quod refert Canonicus Benedictus, cujus verba jam supra [3] recitavimus, huc iterum ad rem opportune revocanda? *Vadit ad* Secretarium, *ubi paratis omnibus Ordinibus, prius dat pacem priori Episcopo, qui ei serviturus est, et redit in locum suum. Deinde secundo Episcopo, qui rediens dat pacem Priori suo, et redit in filo, et aliis similiter: deinde Cardinalibus similiter, postea Praefecto, et Iudicibus, Delungariis quoque, id est Praefectis Navalibus, et Majorentibus, qui dicuntur* Schola Stimulati, *et ceteris Laicis Principibus*. Quae quidem totidem quasi verbis confirmata legimus [4] a Cencio Camerario, qui itidem non modo *sacros Ministros*, sed etiam *Laicos* ad hujusmodi salutationes admissos demonstrat. Ait enim. *Subsequuntur ceteri Presbyteri Cardinales, Praefectus quoque, Iudices, Praefecti Navalium, Advocati, Scrinarii, Senatores, Majorentes, qui vocantur* Schola Stimulati, *ac ceteri Laici majores, et minores in ordine suo ad pacem*

1 pag. 206. 2 V. p. 203. 3 pag. 233. 4 pag. 216.

suscipiendam. Haec eadem paucis perstringit etiam Cajetanus, inquiens [1]. *Sic faciunt omnes Episcopi, Cardinales, Presbyteri. Postea Praefectus, Senatores, et omnes Ordines.*

Quo loco recolas, velim, *Subdiaconi Regionarii inclinationes ad genua Pontificis* in Ord. I, et III. supra memoratas [2], ejusque *manuum osculationem*, quam Ordo II, a *Presbyteris* [3], I. vero, ac III [4] ab *Archidiacono*, et *Secundario* peractam fuisse tradunt. Hinc itaque, hujusmodi *Salutationum* vice, quae antiquitus in *Secretario* praestabantur Pontifici sacrum facturo, usus profluxit obedientiae, quoties sacro adstat, Pontificali paludamento indutus, in eminenti Solio, sub praetento Conopaeo, eidem rite exhibendae a Patribus Cardinalibus, qui ad manum ejus sub auriphrygio osculandam accedunt, ac quoties rei divinae operatur, ab Episcopis quoque, et Abbatibus infulatis, ac demum a Poenitentiariis Presbyteris, planeta indutis, illis ejus genu, his vero pedes deosculantibus [5].

Praeterea, quum Pontifex sacris Vestibus indutus e *Sacrario* egrediebatur, ut sese ad Altare conferret, ei *Primicerius Scholae Cantorum* [6] antiquitus occurrebat, qui dexterum ipsius humerum osculabatur, ut Angelum denotaret, qui Servatoris ortum fortunatis Pastoribus adnunciavit, quemadmodum explicat Innocent. III [7]. In hanc rem ait Cano-

1 Vide p. 236.
2 p 210. col. I, et III.
3 pag 211. col. 2.
4 pag. 212. col. I, et III.
5 V. Polid. Virgilium de rer. Inventor. l. IV. c. XV. M. Ant. Mazzaronum de tribus Coronis Pont. Rom., necnon de osculo SS. ejus pedum. Romae 1588. 8, et 1609. 8. Jos. Valentin. Stevanum de adoratione, et osculatione pedum Rom. Pont., et levatione, seu portatione ejusd. Coloniae 1580, et Romae 1588. Saussajum de Summ. Pont. deosculatione pedum. c. II. Chr. Lupum ad Can. IX. Gregorii VII. Cennium de Osculo pedum Rom Pont. in T. I. Diss. posthum. p. 171. adversus Martinum Kempium de osculis pedum Rom. Pont., et Mattheum Zimermannum. in Montib. Pietatis p 173.
6 Cenni dell' origine, Incombenze, e dignita del Primicerio, e Secondicerio. nel T. I. delle sue Diss. Pistoja 1778. p 98.
7 L. II. Myst. II. c. XIV. Georgii T. II. p. 59.

nicus Benedictus [1]. *Quum autem venerit ad primum Cereum, Primicerius deponit mitram, et osculatur scapulam dextram Pontificis, qui benedicit eum.* Hujus etiam vetustissimi usus vestigium adhuc superest, quum Pontifici in Basil. Vat., ritu augustiore, sacrum peracturo, eademque pompa, ut olim e *Secretario*, e Throno Pontificali, ubi sacra indumenta accepit, ad Altare procedenti, e suis subselliis, reverenter accedunt *tres postremi Cardinales Presbyteri*, quorum senior primo, deinde alii duo per ordinem, Pontificis *vultum*, ac *pectus* exosculantur, ut adorationem Deo Puero a tribus Sapientibus exhibitam, eodem Innocentio interprete [2], repraesentent, duplici osculo, quo duas in eo naturas venerati sunt [3], *divinam* nempe, *quasi latentem in pectore, humanam, quasi patentem in ore*; nisi potius, mysticis interpretationibus praetermissis, hujusmodi ritum dumtaxat praeseferre putes publicam fraternae illius caritatis declarationem, quam Christus ipse ad sacram mensam accedentibus inculcavit, monens [4]. *Si offers munus tuum Altari, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversus te, relinque munus tuum ante Altare, et vade prius, reconciliare fratri tuo, et tunc veniens, offer munus tuum.*

Quae quum ita sint, quis posthac Dominico Georgio [5] suffragari poterit contendenti, Romanos Pontifices, remotiori aetate, ab hujusmodi *Salutationibus* in *Secretario* excipiendis penitus abstinuisse? Quid, quod ne alios quidem Episcopos eas detrectasse, unquam assentiar? Siquidem recte Macer animadvertit [6], *Aspaticum, fuisse mansionem, seu diversorium Ecclesiae contiguum, seu* Sacrarium,

1 in Ord. XI. n. 47. p. 141.
2 de Myst. Missae c. II. lib. II.
3 V. Chiapponum in Actis Canoniz. IV. Sanctorum p. 228.
4 Matth. V. Consule Chrysostomi explicationem in hom. XVI. in Matth. p. 166.
5 loc. cit.
6 in Hierolexico pag. 57.

in quo Episcopus sacris indumentis vestiebatur pro sollemnibus celebrationibus , ibique a Clericis obsequio , et ejus manuum osculatione salutabatur . Ideo Salutatorium *locus hic appellatus est* . Haec eadem confirmat Sianda [1], qui *Aspatium*, vel *Aspaticum* , locum esse monuit , *in quo Episcopus ad Altare processurus , indumenta sacra accipiebat , et a Clero* salutabatur , *proinde dictum etiam* Salutatorium . Qui quidem usus adhuc retinetur a Vigiliarum Episcopo , qui , ut Sarnellius testatur [2], quoties Pontificalia indumenta suscepit ad sacrum sollemne peragendum , a singulis Canonicis, sacris item vestibus indutis , manus osculo , reverenter in *Secretario* salutatur . Praeterea, quae profert Georgius [3] ex vita S. Martini , ut suam sententiam corroboret , eam infirmare potius, ac plane evertere, mihi quidem videntur. Jam vero et nos Sulpitium Severum audiamus [4]. *Deinde* Secretarium *ingressus quum solus , ut erat illi consuetudo , resideret (hanc enim sibi etiam in Ecclesia solitudinem , permissa Clericis libertate praestabat) quum quidem in alio* Secretario *Presbyteri sederent , vel* Salutationibus *vacantes , vel audiendis negotiis occupati , Martinum vero usque in eam horam , qua sollemnia populo agi consuetudo deposceret , una solitudo exhibebat* . Quid igitur ex his Georgio favere potest ? profecto nihil . Siquidem heic tantum Sulpitius duos singulares Martini usus declarat ; alterum scilicet , vel ipsos ministros altari inservientes ex *minori bematis Secretario* amovendi , ut solus ibidem orationi vacaret , ab omnium consortio remotus ; alterum vero commune Episcoporum munus, qui humane, ac benevole Fidelium , ac praesertim *Honoratorum Salutationes* , atque oscula pacis in *altero Secretario* , nempe *ma-*

1 in Onomastico sacro pag. 37.

2 dell'antica , e moderna costumanza di scrivere le lettere missive . in Tom. III. Litt. Eccl. p. 3. Venet. 1740. 4.

3 in Dialog. II. de Virtutib. B. Martini p 98.

4 ad lib. xv. Marenclil. cap. vII. p.78.

jori excipiebant, Presbyteris delegandi, ut de rebus superis, ac coelestibus unice cogitaret, sacrisque mox celebrandis animum totus intenderet. Quae quidem eo fidentius pronuntio, quod ita etiam sensisse video Valesium [1], Ruinartium [2], et Hieronymum de Prato [3].

Ex his autem libenter cum Bona, et Fassono adnotaverim, interdum vel ipsos Sacerdotes in *Secretarii* exedra sedisse *salutationi* vacantes, et in cognoscendis negotiis occupatos, ut etiam haud obscure significat Gregorius Turonensis [4]. Hujusmodi morem Valesius [5] confirmat ex illo sermone, qui perperam Ambrosio adscribitur [6]. *Interrogo vos, qui in quadragesima prandetis, si non vobis est rubor, quum exitis in publicum, ne quis vobis jejunus occurrat; aut si non cogitatis, quum ad Ecclesiam proceditis, quemadmodum pacem Episcopo porrigatis, ne forte ipso spiritu osculi vestri vos reprobet?* Nescio autem, cur Georgius [7], in cujus sententiam inclinare videtur de Prato [8], haec verba de Fidelium *salutatione* Episcopis in *Secretario* adhibita minime accipienda esse contendat; sed potius de faustis illis vocibus, quibus Episcopo succlamabant, *et cum spiritu tuo*. Quam in rem affert Johannis Chrysostomi testimonium, qui ait [9]. *Ut Praesul Ecclesiam ingreditur, dicit, pax omnibus, quando concionatur, pax omnibus; quando benedicit, quando salutem optare jubet, quando sacrificium absolvitur, pax omnibus. Et interea rursus gratia vobis, et pax, et dicis, et cum spiritu tuo*. Verum quid, quaeso, *publicae* in Ecclesia adhibitae salutationes, cum *privatis* in *Secretario*?

1 ad Amm. Marcell. p. 87.
2 ad Greg. Turonens. lib. II. c. XXI. p. 72.
3 in Observat. ad Sulpit. Sever. p. 369.
4 Hist. Francor. l. II. c. II. l. VI. c. XI. l. VII. c. XXII.
5 loc. cit.
6 Serm. XXXIV. nunc Serm. XXXIII. de Quadrages. VIII. num. II.
7 T. I. p. 67.
8 in obser. ad Sulp. Sev. p. 370.
9 Hom. III. in epist. ad Coloss. p. 1338.

Quid *pacis* augurium in sacris ab Episcopo Fidelibus prolatum, cum *osculo*, vicissim dato, et accepto, quo ab oris spiritu crapula, atque intemperantia prodi poterant, commune habent? Neque vero quisquam, (etsi id faceret, mea quidem sententia, longe probabiliori conjectura,) haec potius referenda esse censeat ad osculationem, quam fideles Episcopo, aut Sacerdoti in Orientis, ac in Occidentis Ecclesiis porrigebant, postquam Eucharistiam susceperant. Hanc certe in usu fuisse probant Hieronymi verba adversus Joh. Hierosolymitanum [1]. *Quisquam ne tibi invitus communicat? quisquam ne extenta manu vertit faciem, et inter sacras epulas Iudae osculum porrigit?* Eadem tradit Paullus Diaconus Emeritensis, disserens de Fideli Episcopo. *Vade*, inquit [2], *communica, et da nobis osculum*. Id etiam probat Mabillonius [3] testimonio cujusdam tractatus Fratrum Praedicatorum Cpoli inventi, et a Stevartio evulgati, ubi haec habentur. *Qui Missam celebrat Sacerdos, osculatur volentem communicare*. Quemadmodum nunc etiam Pontifex, quum facit sacrum sollemne, Diaconum Cardinalem, et Subdiaconum Apostolicum post communionem eis impertitam, peramanter amplectitur. Sed tamen Joh. Episc. Abrincarensis in antiquo ritu Missae celebrandae, hujusmodi usum deinceps contractum fuisse docet ad solam osculationem manus Sacerdotis, porrigentis communionem, inquiens [4]. *Et post, qui communicandus est, manu Sacerdotis osculata, communionem ab eo accipiat*. Ex qua consuetudine sensim fortasse manavit altera, quae hodieque viget, Episcopi divinam dapem impertientis annulum osculandi, ut recte conjecit Franc. Berlendus [5]. Ceterum ser-

1 epist. ·LXII.

2 In Vitis Patrum cap. vII, et in T. 21. Febr. Bolland. p. 63.

3 in Comment. Ord. Rom. n. xI. p. LVI.

4 Menardus ad Sacram. Gregor. p. 277.

5 de Oblationibus p. 133.

monis a Valesio allati verba numquam certe ad communionis osculum pertinere concesserim; quum ibi tantum de violato jejunio quadragesimali disseratur, minime vero de eo, quod communionem praecedere debebat. Nil enim dicam de pacis osculo, quo post *Agnus Dei* cantum, sese invicem Fideles salutabant, quum heic tantum de pace ab ipsomet Episcopo Fidelibus data, disputetur. Salvianum praeterea Valesius [1] adducit, qui refert [2], Afrorum paganos, etiamsi ad Christianorum religionem deinde adductos, idolorum cultus retinuisse, *propterea quod ipsam quodammodo Ecclesiae* Salutationem *idolo praestiterunt*. Hisce etiam Georgius [3] intercedit, ac de *Salutatione* erga Episcopum in *Secretario* residentem intelligenda esse negat. Atqui, rogo, quae alia esse potuit in Ecclesia *salutatio*, quae magis *Salutationi*, qua Ethnici Idola osculabantur, responderet? Postremo studet Georgius [4] hunc locum vitae S. Germani Episcopi Parisiensis per Ven. Fortunatum scriptae in alium sensum detorquere [5]. *Posteaquam S. Germanus ad Missarum solemnia agenda in Ecclesiam venit. . . . . praemissa in populo* Salutatione *solemni*. Haec enim eam dumtaxat *Salutationem* perspicue innuere putat, quam Episcopus sacrum faciens populo dabat per ea verba, *Pax vobis*. Sed hujusmodi *Salutationem* nusquam aliis caeremoniis praemissam fuisse constat [6], quumque scriptor

1 loc. cit.
2 lib. VIII. de gubernatione Dei p. 191.
3 loc. cit.
4 T. I. p. 68.
5 lib. I. in Surii Vitis SS. die 28. Maji pag. 314. In actis SS. Ord. Bened. Sec. I. p. 234. et in T. V. Maij Bolland. p. 774.
6 V. Ang. Rocca. de Salutatione Sacerdotis in Missa, et in Divinis officiis, nec non de Ministri, vel Chori responsione. In Tom. I. Opp. p. 236. Romae 1719. fol. Alexand. Caprara Tractat. de Benedictione Episcopali, et Larroquanum, de salutatione, seu bedictione Episcoporum. in ejus advers.sacr. p. 709. Lugd. Batav. 1688. 8. Innoc. Molinaro Diss. Liturgica sopra il *Dominus vobiscum*, e 'l *Pax vobis*, e le Sacre *Collette*. Napoli 1747. 4.

vitae S. Germani *de benedictione ante Miſsam* loquatur, Valeſio tute ſubſcribam, qui de benedictione ab Epiſcopo in *Secretario* data interpretatus eſt. Quod eo magis conſtabit, ſi in mentem revocabimus, quae de Proclo legimus apud Socratem [1], quaeque privatas *Secretarii Salutationes* confirmare docet Garnerius [2]; eum nempe ex primoribus, qui ante Miſsarum ſollemnia, Epiſcopi *ſalutandi* cauſsa de more venerant, comprehendiſse Thalaſsium, atque Epiſcopum Caeſareae Cappadociae ex Praefecto Illyrici ordinaſse. Quare quin Valeſii animadverſiones collabantur, ex adverſo Georgii caſtigationes, ſi diligenter expendantur, facile ruant, oportet; ac ſanus quiſpiam ei tantum conceſserit, Valeſio pro *Conſtantii* nomine, *Venantii Fortunati* utendum, qui tantum, teſte Gregorio Turonenſi [3], S. Germani Epiſc. Pariſienſis vitam conſcripſit.

§. III.

Vetuſtiſsimus in Salutatorio, ſollemnioribus diebus, ſumendi Pallium, ibidemque, ſacro abſoluto, deponendi ritus exponitur.

Secretarii uſum ad fidelium *ſalutationes* excipiendas praecipue confirmant inſignes Gregorii M. epiſtolae Johanni, et Mariniano Archiepiſcopis Ravennatibus inſcriptae, a Ducangio [4], Macro [5], Faſsono [6], aliiſque certatim allatae, et ab ipſo Georgio [4] animadverſae, quin tamen eum a ſuſcepta ſententia dimoverint. Earum partem nobis etiam liceat excerpere. Sic igitur Johannem Gregorius

1 lib. VII. cap. XLVII.
2 in append. ad notas c. IV. Diurni Rom. Pontiff. Paris. 1680. pag. 207.
3 lib. V. Hiſt. Francor. cap. VIII.
4 in deſcript. aed. Soph.
5 in Hierolexico pag. 539.
6 de Puellarum monaſteriis pag. 81.
7 T. I. Lit. Rom. Pont. pag. 70.

Digitized by Google

alloquitur [1]. *Mota nimis est vestra fraternitas, atque cum tumore cordis quasi satisfaciens, scripsit nobis* Pallio *te, non nisi post dimissos de* Secretario *filios Ecclesiae, et Missarum tempore, atque in litaniis uti solemnibus; verbis aliquid te usurpasse contra generalis Ecclesiae consuetudinem apertissima veritate professus. Quomodo enim fieri potest, ut illud, cineris, atque cilicii tempore, per plateas inter populorum strepitus ages licite, quod te agere in conventu pauperum nobilium, et in* Secretario *Ecclesiae, velut illicitum, excusasti?* Post haec Gregorius jubet, *quatenus, nisi decessorum* Pontificum privilegia Eccl. Ravennati impertita protulerit, *ut in plateis* Pallium *ulterius ferre non praesumat, ne non habere et ad Missas incipiat, quod audacter et in plateis usurpat. De* Secretario *autem quod Fraternitas tua resedisse cum* Pallio, *et filios Ecclesiae suscepisse, et fecit, et excusavit, nunc injuria nihil querimur, quod synodorum sententiam sequentes, minores culpas, quae non negantur, ulcisci recusamus. Hoc tamen quia semel, et iterato sit factum, cognovimus, sed fieri ulterius prohibemus.*

Johannes vero sese apud Gregorium his verbis ita excusavit [2]. *BB. D. meus, nihil me contra priscam consuetudinem existimet attentasse, quod et a multis, et prope ab omnibus civibus hujus Vrbis attestatur, inter gesta etiamsi acquievisset, et suprascriptus reverendissimus Notarius potuerat, attestari. Quoniam jam de* Secretario *descendentibus filiis Ecclesiae, et ingredientibus Diaconibus, ut mox procedatur; tunc primus Diaconus Episcopo Ravennatis Eccl.* Pallium *consuevit induere, quo et in litaniis uti pariter consuevit.* His permotus Gregorius Mariniano Johannis successori ita rescripsit [3]. Pallio *non aliter te uti memineris, nisi in propria tuae*

1 lib. II. ep. LIV. Indict. XI. 2 epist. LV. 3 lib. IV. epist. LIV.

civitatis, dimissis jam filiis de Ecclesia, procedens a Salutatorio *ad sacra Missarum solemnia celebranda*; *peractis vero Missis, idem in* Salutatorio *rursum curabis deponere*.

Plura heic profecto adnotatione digna sunt. Ac primo *Salutatorii* vocem ad *Secretarium* indicandum a Gregorio usurpatam, nemo non videt. Secundo si *Filii Ecclesiae* pro *Laicis*, non pro *Clericis* accipiendi sunt, quos, ut recte adnotavit Card. Bona [1], Gregorius [2] *Ecclesiae milites* appellare consuevit, statuendum est, in Eccl. Ravennatensi viguisse usum, quem vel apud nos obtinuisse demonstravimus, ut scilicet etiam Laici in *Salutatorium* ingrederentur, ad Episcoporum opem in sacris eorum precibus implorandam.

Verumtamen, quum aliis etiam horis commodius, ac si vis etiam, opportunius Episcopos, ac Presbyteros in *Secretario* de sacris rebus disceptasse, et audiendis, ac dirimendis fratrum negotiis vacasse compertum sit, eos, peractis jam sacrae Liturgiae officiis, illuc quandoque admissos facile credam, idque affirmanti Georgio [3] minime abnuam. Neque tamen Ducangio [4], de Prato [5], et Fassono [6] item assentiar, qui tunc temporis Diaconis in *Secretario*, una cum Presbyteris, sedere vetitum fuisse propugnant. Satis enim infra probabimus, hanc Conc. Arelatensis legem ad *Secretarium Bematis* unice referendam. Haeream potius cum Cangio [7], utrum ad has fidelium salutationes, spectet Canon XII. Conc. Ticinensis sub Leone IV, quo prohibentur Poenitentes *Salutationibus* vacare. Fortasse enim Flentibus, Audientibus, et Substratis interdictum erat Sacerdotes in *Secretario* salutare, quod cete-

1 lib. I. rer. Liturgic. c. XXIV. §. II.
2 lib. VI. ep. III.
3 loc. cit. p. 69.
4 in descript. cod. Soph. n. LXXXVIII.
5 ad Sulpic. Sever. p. 370.
6 de Monaster. Puellarum p. 58.
7 loc. cit.

ris fidelibus licebat. Nec scio, an Episcopi, praeter communes *Salutationes*, separatim a Presbyteris Diaecesanis, statis diebus, in *Secretario* salutarentur, ut sibi tamen persuaserunt Bona [1], ejusque illustrator Sala. Nam in Concilio Niceno arabicae versionis praecipitur, *ut Chorepiscopus bis per annum congreget Presbyteros ad* salutandum *Episcopum, et tradendum se ei, et communionem cum eo habendam, et prandeant cum eo, fiatque hoc primum in exitu anni, secundo vero in Festo Resurrectionis D. N. I. C.*

Ceterum una cum doctissimo Garnerio [2] fateor, *Clericos* etiam sub *filiorum nomine* intelligi posse, quum in II, ac III. Fidei professione libri Diurni, iidem Pontifices *filiorum* nomine *Clericos* compellent. Quapropter nescio, an potius de *Cantorum Schola*, ut ille conjicit, Gregorii locus sit interpretandus, quae signo dato, e *Salutatorio* dimittebatur, ut Pontificem ad altare incedentem praeiret, eo modo, quem Romani Ordines a nobis allati, idemque Gregorius [3] describunt.

Tertio patet Episcopos Ravennatenses ante Sacrificii celebrationem, in *Secretario Filiorum Ecclesiae*, qui demum cunque ii essent, *Salutationes* excepisse, in quorum tamen conspectu *Pallium* sumere non poterant, quod, tantum iis dimissis, induebant, postquam ceteris sacris vestibus ornati essent. Ac denique perspicuum est, sacro absoluto, statim eô reverti debuisse, ut *Pallium* reverenter deponerent, quod ibi tantum relligiose custodiri licebat. Sedulo enim semper Romani Pontifices curarunt, ne *Pallium* extra Missarum sollemnia a quopiam gestaretur, idque etiam per paucos anni dies concedendum putarunt. Et sane, nonnisi post diuturnam disquisitionem, ac postquam

1 c. LV. 2 in append. ad not. Diurni p. 208. 3 in append. ad Sacram. p. 265.

Digitized by Google

de veteri Eccl. Ravennatis privilegio amplius dubitare non potuit, Gregorius *Pallii* usum pro IV. dumtaxat pompis Archiepiscopo concessit, nimirum die natali D. N. J. C. B. Petri Apostoli, B. Apollinaris, ac sui natalis, sive consecrationis. Insolens enim fuit privilegium illud a Leone IV. Hincmaro Rhemensi Archiep. concessum, et a Flodoardo [1] memoratum, quotidie *Pallium* deferendi; nosque jam supra [2] vidimus, Joh. VIII. Waloni Episc. Metensi *Pallii* usum concessisse a *Secretario* ad Altare, et in reditu ab Altari ad *Secretarium*. Qui quidem Pontifex in Conc. Ravennae habito anno DCCCLXXVII. *Pallii* usum extra Missarum sollemnia Metropolitanis omnino interdixit, poena ejusdem *Pallii* privationis inflicta in haec verba [3]. *Quicumque sane Metropolitanorum per plateas, vel in litaniis uti* Pallio *praesumpserit, et non tantum in praecipuis festivitatibus, et ab Apostolica Sede indictis temporibus ad Missarum solummodo sollemnia, careat illo honore*. Quae leges, vetustissimis Eccl. ritibus plane conformes, adhuc vigent, ut videre est apud Catalanum in Pontificali Rom. [4], quum Episcopi [5], *vocati sint in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*.

1 in Hist. Rhemensi lib. IV. c. X.

2 pag. 207.

3 T. IX. Conc. Can. III. p. 300.

4 T. I. §. IX. pag. 248.

5 V. Ducangium in Glossario. Macrum in Hierolexico edit. Bononiens. Tom. II. p. 139. Andr. Saussaium. de Pallio sacro in lib. de mysticis Galliae scriptoribus. Paris 1639. 4. p. 198. Mar. Paull. Leonem de auctoritate, et usu Pallii Pontificii. Romae 1649. 4. Peregr. Muserum. de Pallio Pontificio e B. Petri corpore Orientalibus concesso. Romae 1678. fol. Nic. de Bralien. Pallium Archiepiscop. Paris. ann. 1648. 8. Petr. de Marca. de Concor. Sacerd. et Imp. lib. VI. c. VI. Balutium, ibidem. Ruinartium. de Pallio Archiep. inter opusc. posthuma Mabillonii. Paris. ann. 1724. T. II. p. 397. Sarnellium del Pallio Arcivescovile. in T. VII. lit. Eccl. p. 54. Spiegazione di alcune medaglie di S. Gennajo Vesc. e M. in T. X. p. 43. Papebrochium. de forma Pallii. in Prop. ad acta SS. Maji pag. 208. et cum Joh. Geor. Pertschio. Garnerium. de usu Pallii. ad lib. Diurn. Rom. Pontif. p. 193. Berlendum. delle Oblazioni. p. 41. Marangonium Chronol. Rom. Pont. superst. in pariete

Haec ad nostrum institutum maxime accomodata de *Pallii* usu proferre libuit, quod *summi Sacerdotis humeris gestatum*, ut Isidori Pelusiotae verbis utar, *ex lana, non ex lino, aut bysso intextum, ovis illius, quam Dominus aberrantem quaesivit, inventamque humeris suis substulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, nosque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit*. Quae quidem paucis confirmat Simeon *Thessalonicensis*, ubi pronunciat. *Ideo ex lana quoque texitur, quoniam erraticam ovem, hoc est naturam nostram signat*.

§. III.

De Monialium Salutatoriis.

Ad hujusce capitis coronidem nonnulla de *Monialium Salutatoriis* adjungam, quae frequenter apud Scriptores nominantur; quin tamen adhuc recte exploratum sit, quid revera essent, quonam loco exstarent, ac utrumne ad Virginum *Salutatoria*, viris etiam pateret accessus. Ac licet plures Scriptores [2], de *Virginum Asceteriis* disseruerint,

australi Bas. S. Pauli Apost. Viae Ostiens. Romae 1751. fol. pag. 52. 54. 55. et 58. Joh. Laur. Berti. nella sue Prose volgari. Firenze 1719. Bacchinium. in not. ad lib. Pontif. Agnelli. Barthelium de Pallio. Herbipoli 1753. 4. et in opusc. juridic. varii argumenti T. II. p. 1. Pertschium. de origine, usu, et auctorit. Pallii Archiep. Helmst. 1754. 8. Cantelium. de Pallio, et Cruce Archiep. in Hist. urb. Metropolit. Paris. 1685. 4. p. 31. Zaccariam. de jurejurando, quo Archiepiscopi Pallio donati, et Episcopi in sacra ipsorum ordinatione obedientiam Rom. Pontifici pollicentur. T. II. Diss. Eccles. Fulginiae 1781. p. 264. Boehmerum. in Jure Ecclico Protestantium T. 1. p. 350. Basnagium. Histor. Eccles. lib. v. c. vI. pag. 244. Thulemarum. de Archiepiscopor. pallio. Heidelb. 1684. 4. Deylingium. Observ. misc. p. 505. Schmidium. de Omophorio Episcopor. Graecor. Halmstad. 1698. Schlutterkium. de candidis Archiepisc. palliis. Hanov. 1726. 4. Henricum Salomonem Cyprianum. de Omophorio Episcopor. Graecor. Helmst. ann. 1698. 4. Christ. Phil. Richterum. de Pallio Episcopali. Jenae 1758. 4.

1 in epist. cxxxvI.

2 Abaelardus de orig. Sanctimonialium in ejus Opp. Paris. 1616. 4. p. 94. et int.

nemo tamen certe subtilius, ac diligentius hanc quaestionem satis obscuram, et implicatam pertractavit Liberato Fassono, in dissertatione de *puellarum Monasteriis* Canone XXXVIII. Epaonensis Conc. celebratis [1], quem Anonymus anno MDCCXV. apud Trivultianorum ephemerides illustraverat. Itaque [2] adversus Thiersium, Oratoria intra Puellarum Monasteria antiquitus aedificata demonstrat, Mabillonii [3], et Giballini [4] fultus auctoritate, qui complurium sacrarum aedium in interiori Monasteriorum parte exstructarum exempla proferunt, ac praesertim Metacellensis Coenobii in Phocensi provincia. Affert praeterea sanctionem Conc. Epaonensis, qua delectis Sacerdotibus Monasteria Virginum adeundi facultas permittitur, ut sacris ibidem operentur, dummodo exacto Ministerio, statim illinc discedant. *Monasteria puellarum nonnisi probatae vitae, et aetatis provectae ad quascumque earum necessitates, vel ministrationes permittantur intrare. Ad faciendas vero Missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt.* Similia sunt, quae decrevit Conc. Matisconense celebri Canone [5]. *Nullus Episcopus, Presbyter, Diaconus, Clericus, vel quicumque secularis in Monasteriis puellarum, nisi probatae vitae, et aetatis provectae, praeter utilitatem, aut reparationem Monasterii, ad quascumque earum necessitates, habitare aut secretas colloquutiones habere praesumat, nec extra* Salutatorium, *aut Oratorium ulterius ingredi permittantur.* His etiam

ejusd. Epist. Lond. 1718. 8. p. 109. Muratorii Diss. de Monaster. Monialium. in T. v. Antiquit. Ital. medii aevi. Mediol. 1741. fol. pag. 36. Samuel. Basnagius de sacris Virginib. in T. II. Annal. Polit. Eccles. Roterod. 1706. fol. 510. Jos. Giballini Disquisitiones Canonicae de clausura regulari, ex veteri, et novo jure. Lugd. ann. 1648. 4. Joh. Cabassutii Diss. de sac. Virginibus. in Tom. II. Disc. Populi Dei Fleurii pag. 66.

1 Romae 1757. 4. V. Labbè Dissert. de Conc. Epaun. Mansi T. I. p. 398.

2 pag. 71. num. 59.

3 Tom. I. Annal. Benedict.

4 de Clausura regulari.

5 cap. II.

consonat regula S. Aureliani apud Holstenium [1], quae ita jubet. *Nec Viri, nec Mulieres seculares in Monasterium ingrediantur, praeter in Basilicam B. Mariae, et in* Salutatorium. Quum enim Pontifices a vetustissimis usque temporibus in Virginum Coenobiis anniversaria sacra sollemni apparatu, et pompa facere consueverint, ut liquet ex epistola Gregorii M. ad Respectam Abbatissam [2], iccirco vel earum aediculis, sive Templis *Salutatorium* adjunctum esse debuit, ubi Pontifex sacras vestes indueret, ac priusquam ad Altare procederet, ut in more positum erat, *Salutationes* exciperet. Hinc patet, Monialium Templa intra Parthenonis septa olim exstructa, eaque adeundi potestatem dumtaxat fuisse concessam, viris aetatis provectae, et probitatis laude praestantibus. Verum et iis certi limites, terminique praescribebantur, *Salutatorium* nempe, et *Oratorium*, extra quae evagari minime licebat. Sic enim extrema Conc. Matisconensis verba, nulla animadversione ab aliis [3] prolata, etsi loci obscuritas lucem flagitaret, interpretanda esse duxit Fassonus [4]. Ceterum Ant. Augustinus [5], quem Giballinus [6] sequutus est, Concilii mentem fuisse putat, ut maxime Judaei a *Salutatorio*, et *Oratorio* Sanctimonialium arcerentur. Sed Macer [7] Patres Matisconenses generatim cavisse docet, ne cuipiam in sacrarum Virginum *Sacrarium*, ac Templum pateret accessus, praeterquamquod viris, optimis moribus instructis, ac aetate adulta.

1 in Cod. regular. num. XIII.

2 epist. XII. l. VII. et lib. III. ep. IX. et lib. V. epist. XIII.

3 Andr. Victorellus. de origine, et clausura Sanctimonialium. Romae 1645. 4. Binghamus. T. III. §. VIII. p. 163. Bulengerus. in System. Opusc. c. XVI. p. 18. de la Cerda. advers. sacr. c. XXXI. p. 27. Svicerus. Thes. Eccl. p. 556. Ducangius in descript. aed. Soph. num. LXXXVIII. Bona. T. III. p. 218., et Sala ibid.

4 pag. 87.

5 T. V. p. 518.

6 cap. 1. §. III. num. VIII. et IX.

7 in Hierolexico p. 540.

Idem vero honos, qui Episcopo in *Salutatoriis* habebatur, praestitus etiam fuit Antistitae, quae ibidem *Salutationibus* interdum vacabat. Id enim constat ex regulis S. Caesarii [1], et S. Donati [2], ubi legimus. *Observandum est, ne Abbatissa ad* Salutationes *in* Salutatorium *sine digno honore suo, hoc est sine duabus, aut tribus Sororibus procedat*; atque alibi [3]. *Si Abbatissa, ut adsolet*, Salutatoribus *occupata fuerit*. Item in recapitulatione regulae S. Caesarii [4], et in regula S. Aureliani [5] praescribitur, *ut quaecumque ad conversionem venerit, regula ei in* Salutatorio *legatur*. Verum dubius sum, an haec ad *Secretarium* referenda sint, ut Ducangius [6] affirmavit, an potius ad cubiculum, quo excipiebantur advenientes hospites, et *salutaturi*, quodque non modo *Auditorium*, *Locutorium*, seu *Loquericium*, ac barbaro plane vocabulo *Parlamentorium*, aut *Parlatorium*, sed etiam *Salutatorium* dictum fuit, ut idem Ducangius [7] non diffitetur.

CAPVT XI.

De Sacristia, Sacristanea, Sacristania, Sacristerio, Sacristeria, Sagrestia, Sagristia, et Segristia.

Postquam singula *Sacrarii* nomina, quae remotiori aetate obtinuerunt apud Latinos, diligenter expendimus, age, nunc ad recentiora, et barbara deveniamus, ne quid intactum, quantum quidem in nobis erit, de hoc argumento supersit. Idque eo lubentius praestabimus, quod ne minimam quidem de nominibus medio, et infimo aevo usitatis ad *Sacrarium* indicandum mentionem fecerit Dom.

1 c. xxxvI. 2 c. LVII. 3 c. XL. 4 c. vIII. 5 c. II. et XIV. 6 in Descr. sed. Soph. num. LXXXVIII. 7 in Glossario in voce *auditorium*.

Georgius, qui cursim nonnulla de ceteris disseruit.

Etsi communior *Sacrarii* appellatio, fuerit *Sacristia*, tamen *Sacristanea*, *Sacristania*, *Sacristarium* etiam, *Sacristeria*, atque ipsa italica voce, quo nunc *Sacrarium* indicamus, *Sagrestia*, et *Segrestia* interdum fuit nuncupatum. De singulis exempla proferamus. Jubet charta anni MCCXL. in Chartulario Cluniacensi [1], *ut* Sacrista, *quicumque fuerit, integre* Sacristaneam *teneat, et computationem de ea ad minus bis in anno reddat, ita quod, si quid residui fuerit, in albis, vel in aliis ornamentis, sive in meliorationem* Sacristiae, *de consilio Prioris convertatur*. Eadem vero notione *Sacristaniae* vocabulum occurrit in Charta anni MXXXVIII. ex Tabulario S. Victoris Massiliensis, ubi legitur [2]. *Donamus unam semodiatam de vinea, juxta Ecclesiam S. Iusti, in opus* Sacristaniae. Ipsum etiam Monasticum *Sacristae* munus quandoque *Sacristariae* nomine indicabatur, ut hujusmodi verba testantur [3]. *Vniversa, quae* Sacristariae *vestrae obedientia possidet.... eidem obedientiae conservetur*. In relatione Inventionis corporis S. Prisci [4], haec memoriae tradita sunt. *Quumque Archipresbyter sequenti nocte se sopori dedisset, quamdam mirabilem visionem vidit. Videbat enim sibi in* Sacristario *ejusdem Majoris Eccl. civitatis aquae putridae adstare, et quod paratus albis vestimentis esset, quemadmodum mos illi fuerat in majoribus sollemnitatibus, et de* Sacristia *exiens ad sacrum adire volens altare, quasi sanctum missarum ordinem, humiliter, utpote decet, velletque peragere*. Hisce consonant, quae de *domo* Sacristaria refert Bernardus [5], quaeque habet historia translationis S. Edmundi Cantuariensis [6]. *Nocte vero sequenti sublatum est* (corpus)

1 T. I. c. VII. p. 61.
2 in T. III. Gloss. Carpentier p. 673.
3 ibid. 4 T. I. Anecd. Martenii p. 391.
5 T. I. Septembr. Bolland. pag. 217, et T. VIII. Vghell. col. 290.
6 cap. LI.

de altari, et conclusum in loco abdito; qui Sacristeria *superior nominatur*. Sed eodem plane modo, quo nunc vulgo *Sacrarium* appellatur, occurrit in chronico Modoetiae [1]. *Qui Presbyter quasi alliteratus per stuporem tantae visionis, sine mora in* Sagrestia *intravit*. Atque ibidem alio loco [2]. *Tunc Presbyter de* Sagrestia *cum devota facie exivit*. Itidem in relatione Sanguinis Johannis Baptistae Modoetiae servati [3]. *Reposito thesauro S. Ioh. Bapt. qui olim erat Modoetiae, in ejus sancto oraculo, a suprascriptis Praeposito, et Canonicis Eccl. M. Avenione in* Sagrestia *Eccl. sua in capsa, una cum pluribus clavibus clausa.... venit die quodam ille malignus, caute aperto ostio dictae* Sagrestiae, *clausuram capsae ignominiose aperuit, et thesaurum illum accepit*. Immutata vero litera, idem vocabulum exhibet charta Tabularii Nobiliacensis apud Stephanotium [4]. *Ad illorum* Segrestiam, *seu ad suas Eccl. restaurandas per hanc cessionis epistolam ad habendum delegavimus*.

Haec tamen rariora; frequentius certe enim fuit *Sacristiae* nomen, in cujus illustratione paullo diutius propterea immorabimur. Prima hujusce vocabuli mentio, quantum equidem viderim, occurrit apud Rheginonem, cujus verba alibi [5] recitavimus. Verum sec. XIII. ejusdem vocis usus communior fuisse videtur. Nam in Caeremoniali edito, jussu Gregorii X, quod inter ordines Rom. a Mabillonio in lucem editos decimum tertium obtinet locum, legimus [6]. *A Septuagesima vero usque ad* I. *diem Quadragesimae, utitur colore nigro, et facit processionem de S. Anastasia, usque ad S. Sabinam, et vadit Papa, et alii discalceati, et discalceatur ipse Papa in porta Eccl. et propter hoc induitur*

1 T. III. Anecdot. Martene col. 1866.
2 col. 1093.
3 T. IV. Junii Bolland. p. 763.
4 T. III. Antiq. Bened. Pictav. ms. p. 338.
5 p. 66.
6 Ord. XIII. pag. 235.

sacris vestibus, et non calciatur sandalibus. Et postquam veniunt illuc, intrat Sacristiam, *et lavat pedes, et calceatur, et postea cantat Missam.* Hoc idem vocabulum Cajetani aevo frequentius etiam fuisse usitatum apparet. Nam praeter ea, quae supra [1] attulimus, *de officio Cinerum* IV. *feria Caput jejunii*, haec memorat [2]. *Feria* IV. *Caput jejunii, non est praetermittendum de officio Cineris. Illa die, si Papa fuerit in Vrbe, conveniunt omnes ad S. Anastasiam: sed antequam veniat D. Papa, fiunt cineres ibi de Palmis praeteriti anni, et benedicuntur a juniori Presbytero Card. cum ministris paratis in albis tantum. Tunc D. Papa vadit ad dictam Eccl., comitante eum tota Curia, et dicit ibi Sextam, quia, antequam descendat de palatio, debet dicere tertiam. Postmodum imponitur ei Cinis benedictus a Priore Episcoporum, si praesens est, sin autem a Subpriore Presbyterorum. Demum D. Papa ipse imponit cineres super capita eorum, dicens,* Memento homo [3]. *Postea per Priorem Diaconorum ordinatur processio. Si D. Papa vult pergere pedes, debet se induere vestimentis Missalibus usque ad dalmaticam: post impositionem cinerum debet se discalciare, et indui nigra casula* [4], *et pergere processionaliter usque ad S. M. Scholae Graecorum, et usque ad S. Sabinam, ubi statio est; pedibus discalceatis. Interim Scholenses cantent per viam Antiphonam: demum sequuntur litaniae. His finitis, D. Papa ablutis pedibus ad S. Sabinam in* Sacristia, *et recalciatus dicit Nonam; deinde procedit ad altare ad divina peragenda.* Hanc ipsam pedum lotionem in *Sacrario* S. Sa-

1 p 203. 2 Ord. XIV. §. LXXIX. p. 347.
3 Ang. Rocca. Vnde cineres super caput spargendi usus originem trahat, et quae sibi velit? T. I. Opp. p. 217.
4 Piazza. Iride sagra c. XXI. dell' uso, tempo, e mistero del color nero nelle sacre funzioni. pag. 367. Dom. Giorgi gli abiti sacri del Sommo Pont. paonazzi, e neri in alcune funzioni della Chiesa giustificati con l'autorità degli antichi rituali, e degli Scrittori liturgici. Roma 1724. 4.

Digitized by Google

binae a Pontifice peragendam fusius commemorat P. Amelius, hujusmodi verbis [1]. *Notandum, quod si D. Antistes velit pergere pedes, debet se induere vestimentis missalibus, usque dalmaticam inclusive, antequam cineres recipiat. Post impositionem cineris debet se discalciare per suos cubicularios, et indui nigra casula, vel violacea, et pergere processionaliter usque ad S. Mariam Scholae Graecorum, et usque ad S. Sabinam, ubi est statio, pedibus discalceatis. Interim Schola, seu Cantores cantent per viam Antiph. demum sequuntur Letaniae, prout sunt in Politico. His finitis, D. Papa ablutis pedibus ad S. Sabinam secrete in* Sacristia *per cubicularios suos Subdiaconos, et commensales, aqua parata calida, cum herbis odoriferis per praedictos cubicularios, tapeta vero, brancalea, et alia necessaria ad illud per febrarium cum cursoribus, quibus lotis pedibus, calceatur sandaliis violaceis sine perlis, legendo Nonam, et* Quam amabilia..... *Perinde induitur sacris violaceis paramentis sine perlis, et sic procedit ad divina peragenda, prout est moris*. Hactenus Ordines Romani; quorum loca, si cum ceteris, quae supra [2] attulimus, conferantur, quidquid pro suppliciis stativis, quae ad Sabinae in Aventino, sacro die, quo jejunium quadragenarium occipiebat, rite peragebantur a Pont. Max., luculenter explicabunt.

Idem *Sacristiae* vocabulum, de quo nunc agimus, exhibent etiam plures libri rituales [3]; et ms. Codex Vticensis Monasterii, ritum conficiendi aquam benedictam de-

1 Ord. xv. §. xxxvII. p. 466.

2 p. 222. 223. 289.

3 Ord. MS. Monast. S. Gregorii in Valle Gregoriana dioeces. Basileensis. T. 1. de ant. Eccl. rit. Marten. p. 654. Eccl. Viennensis in Gallia. Martene T. III. p. 393. ant. Mussalia ibid. p. 403. Caerem. Casalis Benedicti. ibid. T. IV. p. 520. 521. 522. 523. 526. ibid. p. 526. Cistercensium. c. xvIII. et in Mauri Hierolexico in Socculus.

scriptionem ita explicit [1]. *His peractis, omnes, praeeunte Cruce, ordine, quo venerant, in* Sacristiam *revertentur. Deinde lavantur in aqua sic benedicta furiosi, qui sanitatem ex hujusmodi lotione consequi solent*. Praeterea, ubi agendum erit de oblationibus, quae in *Sacrario Bas. Vaticanae* detinebantur, priusquam ante Pontificem deferrentur, quum nonneminem in Sanctorum album sollemni ritu recensebat, easdem in *Sacristia S. Petri* servatas fuisse, ab Amelio audiemus. Interim, ne a Rom. Ordinibus discedamus, in constitutionibus Lateranensibus, quas Mabillonius evulgavit, haec occurrunt [2]. *Res, quarum perditio esset magnum praejudicium illatura, diligentiori sunt custodia gubernandae. Et propterea hoc statuto jubemus, quod statuta, privilegia, inventaria, sigilla Ecclesiae, et Capituli, intra claves Reliquiarum, et Cancellorum* Sacristiae, *ubi est mensa domini... clausa sint*. Ex quibus patet usus SS. exuvias in *Sacrariis* religiose adservandi, quem tamen haud communem fuisse probant hujusmodi verba apud Bollandianos [3]. *Subcustos vel expectatione fatigatus, vel forte ne horam prandii negligeret, non reposuit caput ipsum S. Ladislai ad locum, seu armarium ejus pro conservatione deputatum, sed dimisit simpliciter in altari* Sacristiae. Sed eum alibi admissum S. Philastrii translationis acta a Ramperto Episcopo Brixiensi descripta confirmant, ubi legimus [4]. *Deinde reponant dictam capsettam plumbeam or-*

1 ibid. T. II. p. 1003. V. Raph. Badium Discorso esortativo alla riverenza, e divozione dell' Acqua benedetta. Firenze 1680. 4. Sebast. Paullium de ritu Eccles. Neritiose exorcizandi aquam in Epiphania. Neapol. 1719. 4. Nicol. Collin Traité de l'Eau benite, ou l'Eglise Catholique justifie sur l'usage de l'Eau benite. Paris. 1766. 4, et in T. LXIV. Diar. Eccl. Dinuartii. Refutation d'une Critique sur le Traité de l'Eau benite. pag. 273. M. de Bresse sur la presentation de l'Eau benite. Ibid. T. LXIV. p. 22. Povet sur le même argument. ibid. p. 143. Bourlet sur le même argument. ibid. T. LXV. p. 58.

2 pag. 581. In Rubrica LIV.

3 T. vI. Junii p. 262. col. 1. et in T. III. Gloss. Carpentier pag. 803.

4 apud Surium die 18. Julii pag. 212. et Tom. IV. SS. Julii Bollandiani pag. 394.

nate fabricatam in Capsono in Sacristia *de Dom. circumsepto ferratis, in quo repositae sunt Cruces aureae, flammae, et campi*. Quo in loco *Capsonus*, vel *Capsonum* ponitur pro majori arca, ubi *minores capsae* servabantur. Atque hinc mirifice, ut mihi quidem videtur, Carpentierii conjectura roboratur, qui *primam* horam, *cassadosam* ex officiis ecclesiasticis diurnis dictam fuisse censuit [1], quod in *Sacrario*, seu loco, ubi asservabantur *Cassae*, seu *Capsae* Reliquiarum, decantaretur. Ecce tibi verba chartae anni MCCC. ex Tabulario Auriliacensi deprompta. *Elevatione cujus missae facta, pulsetur Campana pro prima, diebus, quibus non dicitur* Prima Cassadosa, *neque in jejuniis; et diebus, quibus illa* Prima Cassadosa *diceretur, vel esset jejunium, pulsetur dicta campana in elevatione Corporis Christi in dicta Missa faciendum*. In iisdem Constitutionibus Lateranensibus a Gregorio praescribitur [2], ut *inventarium de rebus omnibus in* Sacristia *existentibus per Vicarium, et Capitulum quolibet anno fiat, et privilegia, statuta, vel instrumenta sine licentia domini Cardinalis, vel, eo absente, ejus Vicarii, et Capituli, nullus tentet de loco, ubi sunt reposita, removere, nisi pro evidenti causa ipsius Ecclesiae, vel alicujus deservientium in eadem; et tunc in manibus Vicarii, seu Camerariorum, infra tempus per Vicarium, et Camerarios praefigendum, debeat ad ipsos Camerarios reportari. Et contrarium faciens, excommunicationis sententia se noverit innodatum, a qua absolvi nequeat, nisi illa reportet primitus ad* Sacristiae *locum, unde receperat*.

Hinc factum est, ut quandoque etiam in *Scrinii*, et *Tabularii* usum *Sacristiam* accomodarent, ut colligimus e

et in Collect. veter. PP. Brixiensis Eccl. pag. 381.

1 Tom. III. Gloss. p. 396.

2 loc. cit. §. 21. p. 581.

Statutis Astensibus, quae haec indicunt [1]. *Teneatur Potestas, sive Iudex maleficiorum facere scribi, et poni omnia nomina bannitorum de maleficio, et maleficia, pro quo banniti, et condemnati erunt in duobus libris, quorum unus deponatur ad domum Fratrum Minorum, et alius remaneat ad* Sacristiam *communis*. Ac paullo post [2]. *Ordinatum est, quod facto isto volumine, Statutorum vetus volumen, sive vetus liber Statutorum ponatur, et consignetur in* Sacristia *communis Astae, et ibi custodiatur*. Item in Computo Fabricae S. Petri Insul. an. MCDLXXXVIII. [3]. *Michaeli Crespin Corifici pro reparatione librorum, tam in vestibulo* Sacristiae, *quam in choro existentium*, IV. *lib.* X. *sol.*

Quid, quod hoc eodem vocabulo designatas video Sanctimoniales, quibus *Sacrarii* cura demandata erat? Exemplum praebet diploma Paulli III. datum anno MDXXXVIII. ubi nominantur [4], *ultra dignitatem Abbatialem, una Cameraria, una Infirmaria, una* Sacristia, *una Celleraria, una Hostellaria*. Interdum etiam apud easdem, quae *Sacristiae* praeerat, *Sacristissae* titulo salutatam reperies. Nam in Charta anni MCDXX. inter dignitates recensentur [5], *Priorissa*, Sacristissa, *Praecentorissa*.

Verum, hisce posthabitis, quorum haud ita frequens mentio obversatur, quid disciplina Farfensis [6], ubi agit *de positione, seu mensuratione officinarum, de Secretario* statuat, audiamus. Sacristia *pedes longitudinis* LVIII. *in turre, quae in capite ejus constituta est*. Itemque, ubi agit de *mensuratione officinarum* [7], inquit, *inter istam mansionem, et* Sacristiam, *atque Ecclesiam, necnon et Galilaeam, sit Cimiterium, ubi laici sepeliantur*.

1 cap. LVIII. fol. 32.
2 fol. 67.
3 in T. I. Gloss. Carpentier p. 1145.
4 T. IV. Gall. Christ. col. 11I.
5 in T. III. Gloss. Carpentier p. 674.
6 pag. 87 7 lib. II. cap. I.

Quo vero cultu recentiores sacrae relligionis Antistites, praeclaris majorum exemplis inhaerentes, *Sacraria* prosequuti sint, quamplurimae Conciliorum sanctiones luculenter ostendunt. Verum, ne longum faciam, nonnullas dumtaxat ex iis seligam. Ac primo, quae de *Sacristia* Conc. Aquense pie sancteque praescripsit [1], in medium afferam. *Sacristia unaquaeque habeat, quae sequuntur.* I. *Armarium, vel Vestiarium unum, plurave ad indumenta conservanda, instructa suis capsulis, aut loculis, aliove modo, opereve, multipliciter, ordineque distincta, pro Eccl. ratione, vel supellectilis copia. Tum praeterea Oratorium, separato quantum poterit loco positum, atque distinctum, ubi possit Sacerdos in solitudine se colligere, et orare ante, et post Missae celebrationem. Labellum item cum manutergio appenso ad manus abluendas, et abstergendas. Tabulam etiam de orationibus sacro unicuique indumento accomodatis. Tabellam quoque appensam ad Conc. I. Provincialis praescriptum, in qua et Missae, et anniversaria singula ordine notata sint, quae vel ab universo illius Eccles. Clero, vel ab unoquoque in singulos dies, hebdomadasque peragi, praestarive debent, ac reliquas item tabellas ex instructionum praescripto, aliasve Episc. jussu. Episcopi omni labore, et diligentia curent, tabellam confici, in qua singuli Episc. qui Ecclesiae illi praefuerunt, notata temporum ratione, descripti sint, quae in* Sacristia *affigatur, ut frequentius Sacerdotes memores sint pro illis preces, et sacrificia offerre. Vestes sacrae, ceteraque ornamenta, volumina item Ecclesiae usui ministerioque addicta, et reliqua Eccles. supellex, et parochiales item codices in* Sacristia *certis armariis recte, atque ordine asserventur. Nec vero sordibus, situ, squallore, pulvereque obsordescant, sed, quoad ejus fieri potest, ab omni sorde, et inquinamento*

1 an. MDLXXV. p. 1567.

pura omnia, et singula sint, ac integra: ac nullo praeterea modo lacera, sed sarta tecta, et bene compacta. Baptisterii Sacrarii *Tabernaculi lunulae, vestium, confessionalium, aliarumque hujusmodi rerum forma, instructionibus Episcopi commonstranda, in omni Eccl. Cathedralis* Sacristia *ponatur: ad cujus similitudinem reliquae, quae in aliis Eccl. adhibentur, recte confici possint. In* Sacristia *ipsa silentium servetur accurate, neque in ea pateat aditus laicis, nisi necessarium fuerit. Ex ea egrediantur vestibus sacris induti, qui celebraturi sint, nec aliter celebrent, nisi in* Sacristia *vestiantur, ad quam cum pariter celebraverint, revertantur sub poena unius aurei pro medietate Seminario applicandi*. Hactenus Aquensis Conc. verba recitavimus, quae iis plane consonant, quibus usum fuerat Conc. Mediolanense IV. anno MDLXXVI., ut singula in *Sacrario* custodienda sigillatim enumeraret. Ibidem alias etiam regulas indictas videmus, quas et Concil. Aquense descripsit, nimirum, ut *caveant Eccl. Rectores, aliique Ministri, ne aulaea, peristromata, tapetia, aliaque supellectilis, et ornamentorum genera, Ecclesiae, aut* Sacristiae *addicta, ad domesticum usum ullo modo unquam adhibeant: nec vero aliis utenda dent. Vestes autem sacrae, aliaque indumenta Missae, divinorumque officiorum cultui dicata, in vulgus cuiquam exposita ne sint, sed armario, Vestiarioque inclusa clave obserentur, neque laicorum manibus contractentur, ut antiquo Canone cautum est*. Haec eadem in Conc. Salernitano rite praescripta sunt, quod anno MDXCVI. haec egregie sanxit [1]. *Quemadmodum vero Ecclesia religioso ornatu perpoliri debet, ita reliquae ejus partes cum simili decore eluceant, necesse est; hinc* Sacristia *munda, et tanto ministerio conveniens semper habeatur, in quam saeculares nunquam ingrediantur. Adsit in ea*

1 Mansi ad Conc. Veneto Labbeana Supplem. Lucae 1751. T. v. cap. IX. pag. 1174.

Oratorium, et singula, quae ad Missarum praeparationem Sacerdoti serviunt, ibidem accurate custodiantur. Praeterea haec subdit [1]. *In* Sacristia *tam Cathedralium Eccl. quam reliquarum Collegiatarum quatuor adsint perpetuae tabellae; una, in qua omnes Missae, et officia pro mortuis, ac reliqua descripta sint, quae ex imposito munere, quacumque de causa celebrari oportet; altera, in qua cujuscumque dignitatis, beneficii, capellae, altaris, et officii ejus Ecclesiae in Missis, et aliis divinis officiis obeundis debita munia contineantur*.

De hujusmodi tabellis meminerat Synodus Valentina anno MDXCIV. coacta, statuens, ut [2] in *Hierophylaciis, seu* Sacristiis *tabella suspendatur, aut parieti affigatur, in qua ordine describantur omnia quaecumque ad Praefectum operum Eccl. illius pertinent officio*. Eadem habes in Conc. Amalph. [3] quibus etiam concinunt, quae legimus [4] in Synodo Diamperitana ann. MDXCIX. *Praecipit Synodus, ut in quolibet* Sacrario, *sive* Sacristia *sint plutei obserati, in quibus asserventur, calices, corporalia, et vestes sacrae, sicubi autem non existat* Sacristia, *plutei hujusmodi in aliquo Eccl. angulo collocentur, quousque* Sacrarium *aedificetur*. Quae quidem manifesto indicio sunt, majores nostros, ab antiquissimis usque temporibus, nullam potiorem habuisse curam, quam ut *Sacraria* inter praecipuas sacrarum aedium partes adnumerarent, ac propterea quaecumque ad ea pertinerent, omni aetate, ac loco, summo honore prosequutos.

1 cap. XI. pag. 1197.
2 T. IV. Conc. Hisp. p. 711.
3 pag. 1294. cap. IX.
4 decr. XXVIII. p. 16.

CAPUT XII.

De Sacrista, ac multimodis hujusce muneris appellationibus.

Etsi Angelus Rocca in *Cronhistoria de Apostolico Sacrario* multa de *Sacristiae* munere commentatus sit, quamplurima nihilominus adhuc intacta supersunt, eaque fortasse majoris momenti, quae hujusmodi dignitatem mirifice illustrare possunt. Nam pluribus nominibus, tum apud Graecos, tum apud Latinos, id muneris indicatum fuisse praemonuimus, de quibus in ejus opere, nec vola, nec vestigium. Nonne autem haec ipsa nominum copia, quam late patuerit ejusdem officii exercitium, ac quanto in honore apud majores habitum semper fuerit, totidem quasi vocibus, aperte declarat?

Sed, ut singulorum vim percipiamus, ac quibus de caussis tam diversa titulorum varietas *Sacristis* obtigerit, exploremus, praeter ea, quae loco suo attulimus de *Secretariis*, *Sacrario Praefectis*, ac *Vestarariis*, sigillatim de ceteris, atque ordine, per usitatam literarum seriem, quoad ejus fieri poterit, disserendum est. Ita enim singula facilius reperientur; ac postquam nomina *Sacrariis* apposita, eorumque usus apud Latinos didicimus, cunctas quoque Custodum iis praefectorum denominationes callebimus.

§. I.

De Aedituo, Aedili, Aedititio.

Qui primum Ecclesiae gradum attigerat, *Aedituus* dicebatur, quemque iccirco Hieronymus [1] in imo gradu locat post Exorcistas, et Lectores, inquiens; *inferioris gra-*

1 in Comm. ad epist. Paulli ad Titum c. 1I.

dus Exorcistae, *Lectores*, Aeditui. Sic autem illum vocabant, cui sacrae aedis custodia commissa erat, ut probat insignis ille Paullini locus [1]. *Ipsius ordinatione in Presbyteratu ordinatus sum, fateor, invitus, non fastidio loci: nam testor ipsum, quia et ab* Aeditui *nomine, et officio optavi sacram incipere servitutem*. Ita Frodoardus in Adriano P.

Ampliat Aeditui *locupletans dotibus aedem*.

His addam, quae de sollemni novi ignis benedictione, post horam nonam conficienda, feria v. in Coena Domini, profert concordia Dunstani [2]. *Hora congrua agatur nona, qua cantata ob arcanum cujusdam mysterii indicium, si ita placuerit, induant se fratres, et pergant ad ostium Eccl. ferentes hastam cum imagine serpentis, ibique ignis de silice excutiatur. Illo benedicto ab Abbate, Candela, quae in ore serpentis infixa est, ab illo accendatur, sicque* Aedituo *hastam deportante, cuncti fratres chorum ingrediantur; unusque dehinc cereus ex illo illuminetur igne*. Itemque, ubi agit de festo Purificationis B. V. [3]. *Abbas stola, et cappa indutus benedicat Candelas, et conspergat aqua benedicta, et turificet, et sic accepto cereo ab* Aedituo, *psallentibus cunctis, accipiant singuli singulos, acceptosque accendant*. Alibi vero ab ea praecipitur [4], ut *infantibus ad Eccl. intrantibus*, Aedituus *primum signum sonet*. Praeterea ibidem post sollemnem aquae lustralis adspersionem, expleto Completorio faciendam, adjicitur [5]. *Si quis post haec, devotionis suae forte fervore his diutius incumbere voluerit, agat quidem haec, sed, audito signo* Aeditui, *quo resides ad egrediendum vocat, nihil moretur*. Adde chartam apud Martenium, in qua legitur [6].

1 In epist. vI.
2 T. iv. Martene p. 362.
3 ibid. p. 303.
4 Cap. 1.
5 T. iv. Martene p. 313.
6 T. I. Anecdot. col. 67.

Digitized by Google

Nos Bernerius scilicet Decanus, atque Firmannus Aedituus .... Hoc idem custodis Templorum munus, ac dignitas in Collegiis Canonicorum *Aedilitas* vocabatur, quemadmodum constat ex charta Folcuini Episc. Tervanensis anno Ludovici Regis xxvI. apud Folcardum [1], quae nominat, Aedilitatem, *seu custodiam ipsius Basilicae*; nec non ex alia Lietberti Episc. Cameracensis ann. MLXVI [2], ubi scribitur. Aedilitatem *vero, et Praepositurum, quae mei juris erant, huic Eccl. contuli*. Ac proinde, qui Templum custodiebat, *Aedilis*, ac *Aedititius* dicebatur. Perhibet enim Scriptor miraculorum S. Jacobi [3]. *Qui quum Eccl. ingressi fuissent, et Oratorium, in quo Corpus Apostoli jacet, ingredi pro suo libito non potuissent, rogaverunt* Aedilem, *ut eisdem Oratorium aperiret*. Sic in vita V. Marcuardi Abbatis Prumiensis [4], Ostiarius *Aedilis* nuncupatur. Item Scriptor miraculorum S. Maurilii, *decretum est*, inquit [5], *ab eo, et ab* Aedititiis *ejusdem S. jam praedictae Martyris Eccl. Andegavensis, ut pignora jam praelibati S. Maurilii Episc..... visere decernerent*. Ac demum, ne nimius sim, eadem voce translate usus est Tertullianus, ubi ait [6]. *Quum omnes Templum simus Dei, ejus Templi* Aeditua, *et Antistes Pudicitia est*; de qua alibi disserens, egregie pronunciavit [7]. *Non scitis, vos Templum Dei esse, qui et Templo sanciendo, purificandoque* Aeditualem *legem scripsit, si quis Templum Dei violaverit*.

1 in lib. I. Miracul. S. Bertini cap. vII.
2 in Hist. Cameracensi Joh. Carpentarii.
3 T. vI. Iulii Bolland. p. 56. col. 2. et in T. I. Gloss. Carpentier p. 93.
4 in T. v. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 574.
5 T. IV. Sept. Boll. p. 76. et in Gloss. cit.
6 de cultu feminarum cap. I.
7 lib. LII. c. X.

§. II.

De Altarario, Altario, Altarerio, Altariensi, Altarista, et Altaristro.

Exposita *Aeditui* significatione, qua interdum *Sacrista* innuebatur, ad alteram accedamus *Altararii*, ad quem propter *Altaris* custodiam emolumenta spectabant, quae Presbyteris, et Curionibus proveniebant. Porro, qui curam *Vaticanae Confessionis* habebat, non modo *Custos*, sed etiam *Altararius*, *Altarerius*, *Altarius*, sive *Altarista* dicebatur, ut patet ex variis Pontificum diplomatibus [1]. Id muneris, non modo Bas. Canonicis Pontifices conferebant, ut Bonifacium VIII, Joh. XXI, Clementem VI, Innocentium VI, praestitisse scimus [2], sed etiam Episcopis, aliisque Cleri regularis, ac secularis idoneis, ac spectatae fidei viris commissum fuit. Nam Joh. XXII. [3] hanc provinciam demandavit Angelo de Tineosis Episc. Viterbiensi, et in Vrbe a vice sacra, ac Benedictus XII. [4], Joh. Piscis de Permhaco Canonicum Narbonensem selegit, cui ab eodem Pontifice [5] deinde suffectus fuit Petrus Canonicus Atrebatensis. Quamobrem Clemens VI. [6] anno MCCCL. viros probos cujuscumque professsionis, religionis, et ordinis *Altararios* Bas. Vat. et Lateranensis eligi mandavit. Nil igitur mirum, si Innocentius VI. [7] uni *Altaristae* facultatem concesserit cum aqua benedicta Basilicam reconciliandi, si forte sanguinis effusione, aut pollutione violaretur; et Vrbanus V. eidem alia privilegia contulerit diplomate,

1 Victor. II. Tom. I. Bull. Vat. pag. 38. Joh. XXI. ibid. p. 157. et XXII. ibid. p. 263. Clem. VI. ibid. p. 332, et in Macri Hierolexico p. 27. Innoc. VI. T. I. Bull. Vat. p. 347.

2 ibid. p. 226. 232. 251. 264. 281. 357. 347.

3 ibid. p. 271.

4 ibid. p. 291.

5 ibid. p. 308.

6 ibid. p. 339.

7 in Macri Hierolexico p. 20.

quod apud Waddingum [1], et in Bullario Vaticano [2] occurrit, ubi Joh. Chambaretum Ord. Fratrum Minorum ita adloquitur. *Te* Altararium *Altaris Bas. Principis Apostolorum de Vrbe usque ad nostrum beneplacitum.... constituimus, et etiam deputamus, ibi recipiendi omnes, et singulas oblationes, obventiones, ac fructus, redditus, et proventus ad dictum Altare pervenientes.... et generaliter omnia, et singula, quae ad dicti* Altariatus *spectant officium*.

Hinc obventio, seu oblatio Altaris promiscue dicta etiam fuit *Altaritagium*, *Altalagium*, *Altaragium*, *Altarium*, ut videre est apud Ducangium, et Carpenti erium. Quum vero *Altarario* oblationum omnium, tum ad *Camer am*, tum ad Basilicam spectantium collectio incumberet, iccirco sacramentum Camerario praestabat [3]; ac si forte e vivis excederet, prius quam rationem reddidisset, ejusdem bonorum possessionem statim inibat *Camera* [4], quae heredes nunquam absolvebat, nisi postquam oblationum administratarum ratio constitisset.

Hoc idem munus, ineunte seculo xv, *Altaristae* titulo designari coepit [5], ac plures numero fuisse constat ex diplomate Nicolai V. [6], qui, ceteris sublatis, Laurentium Santi Canonicum Bas. *Altaristam* renunciavit. Demum Xystus IV. [7] inter Cleri Vaticani Dignitates *Altaristam* adnumeravit, cui praeter curam, singula Basilicae Altaria, tribus saltem vicibus in hebdomada, visitandi, attestationemque faciendi Episc. ad sacra limina venientibus, clavium custodia [8] tradita erat, per quas *Confessionis*

1 ad ann. MCCCLXVIII. num. IX.
2 ann. MCCCLXVIIII. T. II. p. 7.
3 T. II. p. 109. 4 T. I. p. 307.
5 T. II. p. 70.
6 T. II. p. 109. apud Turrigium Grotte Vaticane pag. 529. Macri in Hierolexico p. 27. 59. in voce *Assisius*.
7 T. II. p. 206. 8 T. III. p. 225.

penetralia recludebantur, quibusque loculus, ubi Pallia illuc ab eodem inferenda, indeque amovenda servabantur, aperiebatur. Quamobrem Alexander VII. [1], eidem praemium octo aureorum in singulos menses assignavit. Nunc autem, veteri disciplina aliquatenus immutata, ob legem latam a Benedicto XIV. [2] *de benedictione, et traditione Pallii*, Arculae argenteae, in qua reponuntur, cura, et custodia adhuc pertinet ad Canonicum *Altaristam*, sed ejus Clavis a primario sacrarum Caeremoniarum Antistite retinetur.

Verum in aliis etiam Ecclesiis *Altaristas* exstitisse scimus [3]. Atque, ut tibi rem comprobem, aliquo allato exemplo, quoddam instrumentum in Actis B. Guillelmi Cuffitellae Heremitae Xiclensis in Sicilia ita inscribitur [4]. *Vniversis, et singulis D. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Vicariis perpetuis*, Altaristis..... *hoc praesens instrumentum inspecturis*. Alterius etiam Instrumenti recognitio de miraculis S. Wernheri Pueri, Martyris [5] Vesaliae a Judaeis interfecti, peracta fuit, praesentibus tribus Presbyteris *Altaristis* Eccl. Bachumensis. Atque alibi [6] octo *Altaristae* de ejusdem pueri sanctitate testantur. Addenda est etiam Charta anni MCDLVII. apud Ludewig, quae ita habet [7], *In praenarratis autem vigiliis, et missis, custodes praefatae Ecclesiae, pulsabunt solemniter, ac Tumbam unam ministrabunt panno coopertam funerali, circa quam praememorati* IV. Altaristae *ordinabunt, ac ponent* IV. *candelas ardentes, prout in diebus funerum, seu exequiarum fieri est consuetum*. Praeterea

1 T. III. in appendice p. 46.

2 T. III. Bull. Vat. p. 328.

3 V. Miracula S. Catherinae Svecicae. Statuta Metensia. Leibnitium. T. II. Hist. Brunsv. p. 817. Serrarium. T. I. de rebus Moguntin. p. 76. nov. edit. Miraeum. T. II. Op. Diplom. edit. sec. p. 1061. Lud. Laguille. Hist. Alsat. p. III. Instrum. col. II.

4 T. I. Apr. Bolland. p. 392.

5 T. II. Apr. Boll. p. 713. 6 Ib. p. 731.

7 T. XI. reliq. MSS. p. 521, et in T. III. Gloss. Carpentier p. 1092.

identidem *Altarienses*, et *Altaristros* nuncupatos fuisse comperi. Nam Innocentii VIII. diploma datum an. MCDLXXXIV. jubet, ut [1] *qui contrarium fecerit, pro qualibet vice solvat, si Canonicus, duos solidos, si Habituatus, sex denarios, si* Altariensis, *duodecim denarios*. Et charta anni MCCCXCVIII. in probatione hist. Antisiod. declarat [2]. *Quae candelae dictis diebus festorum erunt Capellanorum, et* Altaristrorum *dictorum Capellarum, et Altarium*.

§. III.

De Apocrisario, vel Apocrisiario.

Multa sunt munera, eaque inter se longe diversa, quae *Apocrisarii* titulo designantur apud Scriptores. Hanc enim vocem Justinianus, Liberatus, Evagrius, Theophanes, Cedrenus, Nicetas, Isidorus Pelusiota, Constantinus Porphirogenneta, Willelmus Tyrius, aliique, pro *Legatis* indicandis ususparunt, qui responsa Principum deferebant. Alii vero, ut docent Cujacius [3], et Gutherus [4], pro *Cancellario*, seu *Referendario*, qui annulum regium servabant, quo diplomata, et regia praecepta subsignanda erant, acceperunt. Frequentius tamen *Responsales negotiorum Ecclesiasticorum* dicti sunt *Apocrisarii*, qui ab Archiepiscopis mittebantur ad suarum Ecclesiarum negotia pertractanda. Celebriores erant ii, quos Rom. Pontifices Cpolim ad Imperatores, vel Ravennam ad Exarchos delegabant. Verum heic de iis non est disserendi locus, de quibus praeter

1 in continuat. Bullar. p. 290. col. II, et in T. I. Gloss. Carpentier p. 174.

2 pag. 135. et in Tom. I. Gloss. Carp. pag. 174.

3 ad fin. leg. Cod. de re milit.

4 T. III. Thes. Sallengre de Offic. Dom. Aug. cap. VIII. de Referendariis, et ad responsum p. 512.

Ducangium, Petrum de Marca, Thomassinum, et Binghamum, consulendus est Adam Grenzius [1].

Nunc tantum agimus de officio Monastico, quod ab Vdalrico ita describitur [2]. Apocrisiarius *est, qui custodit Ecclesiae thesaurum, et in cujus manu est, quidquid ad altaria offertur*. Recte igitur Papias *Apocrisiarii* munus idem, ac *Thesaurarii*, vel *Legati*, seu potius *Sacristae* fuisse pronunciat. Nam Bernardus Monachus [3] loquitur *de principali Eccl. custode, qui vulgo* Sacrista, *dignius vero, et honorabilius* Apocrisiarius *vocatur*. Idem Vdalricus [4] huic uni, Templorum ostii reserandi, et claudendi munus commissum esse declarat, quippe qui *in Eccl. morabatur excubiis, ibi dormiebat, et legebat*. Rem demonstrat Anonymus Floriacensis [5] scribens de miraculis S. Benedicti. *Porro* Apocrisiarius *ipsius sacri loci, sane vir modestus, Iterius nomine, Laico cuidam, qui sub eo Basilicae excubias observare solebat*. Id etiam confirmat Tabularium S. Theofredi Velaviensis, cujus haec sunt verba. *Cui officium* Apocrisiarii *prius in eo monasterio peragens*. Item *Apocrisiarii* mentionem faciunt consuetudines S. Benigni Divionensis, ubi explicant ritum Eucharistiae post sacrum recondendae [6]. *Post orationem, corpus Dominicum diligenter a Diacono, et ab Armario undique patenis obvolutum, in tabulis quoque locatum, et a Sacerdote incensatum, cum candelabris, et turibulo defertur retro majus Altare, et in loco editiori ab Apocrisario reponitur*.

1 Commentatio bipertita de Apocrisiariis, ex antiquitate ecclesiastica, et variis responsorum divinorum modis. Dresd. 1748. 4.

2 lib. III. Consuet. Cluniac. cap. XII, et in Elogio S. Majoli Abb. Clun. T. VI. Act. SS. Ord. S. Ben. p. 745, et 768.

3 cap. LI. p. 245. In Const. Meniac.

4 loc. cit.

5 lib. IV. cap. XLIV, et in T. VI. Act. SS. Ord. S. Benedicti p. 429.

6 in T. IV. Martene p. 369.

§. IV.

De Arcario, Archiclavo, Archiclavi, Archiclavigere, Claviculario, Clavigero, Clavigerio, et Claverio.

Sacri thesauri Custodes in Ecclesiis Cathedralibus, et Monasticis frequenter *Arcarii*, et *Archiclavi* dicebantur. Nam *Arcarius Eccl. Rom.* inter munera Ecclesiastica recensetur ab Anastasio in vitis Agathonis, et Constantini Pontificum [1]. Sed in aliis etiam Eccl. idem munus floruisse constat, ac frequentius *Archiclavi* nomine designatum, passim occurrere adnotarunt Cangius [2], et Georgius [3]. Nam meminit Glaber [4] Rodulphus *Hervei*, quem Basilicae S Martini apud Turones *Archiclavum* Robertus Rex Francorum renuntiavit. Item in charta apud Martenium [5] legitur *Walterus Diaconus, et* Archiclavus *subscripti*. A Sigehardo Monacho Sanmaximianensi in historia miraculorum S. Maximini Episcopi Trevirensis [6], *Wambertus* Archiclavus *Monasterii S. Maximini* nominatur. *Stephanus Archiclavus Ecclesiae Arvernensis*, seu Claromontanae, circa annum CMLXXVI. unus e testibus fuit apud Balutium [7], qui decreto Stephani Arvernorum Episcopi pro Monasterio Celsiniano subscripserunt. Willelmus Dux Aquitanorum [8] anno CMXC. census confirmationem pro Monasterio S. Hilarii approbandam esse voluit a *Savarico* Archiclavo *S. Hilarii*, aliisque fratribus ejusdem Coenobii.

Ea vero fuit hujusce muneris amplitudo, ut non modo viris doctrina, et genere illustribus, sed ipsis etiam Episcopis persaepe collatum fuerit. Id multis exemplis de-

1 p. 53, et 65.
2 In Glossario.
3 T. I. Litur. Rom. Pont. p. XLIV.
4 lib. III. p. 253.
5 T. I. Anecdot. p. 89.
6 T. VII. Maji Bolland. p. 32. n. 29.
7 Histoire d'Auvergne T. II. p. 40.
8 In Comitib. Pictaviens. Joh. Beslii p. 286.

Digitized by Google

monstrat Joh. Beslius [1]. Siquidem in concessione Guillelmi Comitis Pictavorum Monasterio S. Hilarii Pictaviensis ann. CMLVI. *Ebolus Episc. Lemovicensis*, ejusdem Monasterii *Archiclavus* nominatur. Item in oblatione quorumdam bonorum Willelmi Ducis Aquitanorum haec habentur [2]. *De proprio jure hereditatis meae cedo, atque transfundo Domino nostro praecaellentissimo Confessori Christi Hilario, cujus Coenobio praeesse videtur* Archiclavus *patruus noster Ebolus* S. *Lemovicensis sedis Episcopus*.

Saepe etiam hoc idem munus sub *Archiclavis* titulo designatum occurrit. Monachus Antisiod. in Chron. memoriae tradidit. *Anno Henrici Imp.* X. *Henricus Archiclavis B. Martini Turonis obiit*, quem supra *Archiclavum* dictum fuisse vidimus. Idem anno MXL. *Mainardum*, qui Geldoino Senonensi Archiep. successit, *Senonensis Eccl.* Archiclavem appellat. Inscriptio sigilli Henrici, fratris Lodovici VII. apud Duchesnium, praefert. *Henricus filius Regis S. Martini* Archiclavis. Necrologium Eccl. Antissiodor. in Bibl. Colbertina [3] asservatum haec adnotavit. *Die octava Septembris obiit Eribaldus Levita, et* Archiclavis, *qui insperate ab inimicis gladio interfectus est*. Ejusmodi dignitas Sec. IX. apud Joh. Beslium ita memoratur [4]. *Igitur nos in Dei nomine Fulradus Congregationis eximii Confessoris Christi B. Martini Sacerdos, atque Decanus, nec non Berno Sacerdos, et* Archiclavis, *ceterique praelibatae congregationis fratres notum fieri volumus*. Praeterea traditioni more precario S. Martino oblatae multorum bonorum anno CMXXXVIII. ab Hugone Francorum Duce [5] *Farmannus Sacerdos, et* Archiclavis *S. Martini* subscripsit. Ac demum, ne singula commemorem, in charta Willelmi Comitis, et Abbatis Monasterii

1 l.III.c.IV. 2 ib.p.266. 3 Cod.1966. 4 Op.cit.p.181.202.210. 5 ib.p.239.240.241.

S. Hilarii, exstat [1] *Signum Eblonis* Archiclavi *S. Hilarii*, et in altera apud Macros [2], *Signum Guarcilonis* Archiclavi. Ex his igitur satis liquet, quanti habitum fuerit hujusmodi munus, praesertim in illustrioribus Galliarum Ecclesiis apud Senonenses, Turonenses, et Antissiodorenses, ut clarius etiam constabit, si Galliam Christianam Sammarthanorum [3], novamque Bibl. MS. Labbejanam [4], aliosque Scriptores [5] evolves. Heic tantum addam verba Episcoporum Cenomanensium, quae protulit Gervasius [6], quaeque a Ducangio pro oblatione inter Missarum sollemnia exhibenda interpretantur. *Cunctasque ibi decimas pertinentes, cunctos census, et suburbia, quae* Archiclavi *tenere solebant, excepta Proferenda, quam Archicapellanus de manu Pontificis Missam cantantis recepit.*

Promiscue etiam, qui *Archiclavus*, et *Archiclavis* dicebatur, quandoque *Archiclavigerum* nuncupabant. Subscripsit enim chartae anni CMXXXIX. [7] *Gualterius Archiclavigerus*. Interdum quoque *Clavigeri* nomine veniebat. Porro idem *Ebolus Episcopus Lemovicensis*, quem supra *Archiclavis*, et *Archiclavi* titulis insignitum fuisse audivimus, in iisdem chartis apud Joh. Beslium [8], Claviger *S. Hilarii* nuncupatur. Item chartae Tabularii Burguliensis anno CMLXXV. subscripsit [9] *Savaricus B. Hilarii Claviger*. His addas Historiam Abbatiae Condomensis [10], Monasticon [11], et Formulare Anglicanum [12]. Profecto de hujus verbi notione dubitare non sinit charta anni MCCCXXXIV. in Chron. Vpsa-

1 ibid. p. 294. 2 in Hierolex. p. 51.
3 I. II. III. 4 T. I. p. 433. 437.
5 V. Henricum Monachum. de Miraculis S. Germani Antisiodor. ibid. p. 551. Doubletum in Hist. Sandionisiana. p. 810, et Joh. Bouquetium in Annalibus Aquitanicis. de dotat. Eccl. S. Hilarii p. 51.
6 pag. 31.
7 T. VI. Gall. Christ. col. 17, et in T. I. Gloss. Carpentier p. 280.
8 p. 284, 285.
9 apud Beslium p. 292.
10 pag. 505. 11 T. I. p. 184.
12 apud Thom. Madox. p. 132.

Digitized by Google

liensi [1], ubi effertur *Halvardus* Claviger, *sive Custos Ecclesiae Vpsaliensis*.

Iisdem vero *Archiclavi*, seu *Clavigeri* nominibus in vetustis monumentis, ne quid dicam *de Diis Clavigeris Ethnicorum* [2], praecipue designatur Princeps Apostolorum. Nam Archiclavus *totius Monarchiae Ecclesiarum* dicitur, tum in donatione Villae Cluniacae [3], quam Willelmus Comes fecit ad Monasterium aedificandum in honorem SS. Apostolorum *Petri, et Paulli*, tum in charta fundationis Paterniaci Monasterii [4] anno CMLXVI. per Bertam Burgundiae Reginam. Eumdem Venantius Fortunatus [5] *Principem Clave*, Prudentius [6], et Damasus [7] *recludentem creditas aeternitatis januas*, Tertullianus [8], Origenes [9], ac Beda [10] *consequutum claves regni coelorum, ac judiciariae potestatis*, Optatus [11], *solum claves ceteris communicandas obtinentem*, Hilarius [12], et Leo [13] *Coeli janitorem*, Ambrosius [14] *Coelum aperientem*, Cyrillus Episc. [15] Hierosolimor. κλειδοῦχον τῶν οὐρανῶν, *Clavigerum Coelorum*, et Ephraemius Syrus [16] appellant τῶν κλειδούχων πρωτότοκον, *primogenitum Clavigerorum*. Saepius autem eum veteres, ut *Christi, aut Coeli Clavigerum, regni Coelorum Clavigericum, Clavigerum coelestem* salutabant, quemadmodum videre est in pluribus monumentis [17]. Hinc

1 p. 160. apud Schefferum.

2 V. Christ. Gottlieb Schwarzium. Altdorfii 1728. 4, et Leur. Jac. Molin de Clavibus veterum. Vps. 1684. 8, et in T. II. Thes. Sallengre p. 800.

3 in Comit. Pictav. apud Beslium p. 233. et in vite B. Bernonis Abb. in T. VI. Act. SS. Ord. S. Ben. p. 79.

4 in Biblioth. Sebus. Centur. I. c. I. p. 6.

5 lib. III. Carm. VI. T. X. Bibl. PP. edit. Lugd. p. 541.

6 Hymn. II. p. 460.

7 Carm. XXXVII. p. 42. edit. Rom. an. 1754.

8 de praescript. c. XXII. p. 209.

9 T. III. In Matthaeum p. 70. n. XXXI.

10 Homilia in die SS. Apostol. p. 112.

11 lib. VII. c. III. p. 101.

12 in Matthaei cap. XV. num. VI.

13 T. I. Oper. edit. Quesnell. c. II. p. 104.

14 enarr. in Ps. XL. T. II. opp. edit. Maur.

15 in II. Catechesi n. XIX. p. 31. edit. Paris.

16 in Encom. in Petrum T. III. graec. let. edit. Jos. Assemanni p. 462.

17 Epitaphium Liutprandi Regis Lango-

etiam apud Cummianum Hibernum de controversia Paschali S. Petrus *Clavicularis* appellatur. Ac licet carcerum janitores a *Clavium* gestandarum munere, ut notant Ducangius [1], Cujacius [2], et Pignorius [3], *Clavicularii* dicerentur, tamen alio sensu, in sermone S. Isidori, haec de eodem celebrantur [4]. *Simon Iohannis virginitatis generatio incorrupta est, qui eligitur primus, nec immerito, quia Apostolorum Princeps est, Confessor filii Dei, primus Discipulus, Pastor humani generis, Ecclesiae* Clavicularius *regni, amator Domini, atque negator*. Quae quidem omnia, nemo est, qui non videat, quam mire conveniant Apostolorum Principi, cui regni coelorum *Claves* Servator commisit, de quarum symbolo confer Raynaudum [5], Bonannium [6], ac praesertim Bollandianos [7], qui plura de *Clavi S. Petri* commentati sunt. Jure igitur S. Theodorus Studita Leonem III. [8], Petri successorem, *regni coelorum Clavigerum* appellavit, et Paschalem I. *Claves Christi* accepisse pronuntiavit [9] per *Apostolorum Antistitem, et per eos, qui successione praecesserunt, ac Romanam Ecclesiam esse primariam sedem, in qua Christus posuit* Claves *Fidei*.

Sed, ut ad nostros *Archiclavos* revertamur, monendum est, eos etiam *Claverios* interdum nuncupatos fuisse. Id patet ex hoc loco Ordinationis anni MCCLXXIV [10]. *Ecclesia*

bard. in Basil. S. Petri in Coelo aureo apud Ticinum. Charta Odonis Comitis Campaniae. apud Beslium pag. 289, et 306. lib. mirabilis Abbatiae Conchensis. apud Balut. hist. d'Auvergne T. II. p. 37. Charta Roberti Abb. Corbejensis anni MCXXVI. ex magno Chartul. nigro ejusd. Monast. fol. 89. V, et in T. I. Gloss. Carpent. p. 930. altera anni XXIV. regni Lothar. ex Chartul. S. Pet. Carnotensis, in T. I. Gloss. Carpentier p. 984. Domniz. de vita Mathildis. lib. I. cap. I.

1 in Glossario.
2 lib. X. Cod. tit. 65.
3 Diss. de Servis. in T. III. Thes. Pol. p. 1199.
4 apud Murator. T. II. col. 166.
5 in Corona aurea Pontif. praenotione IV.
6 Numismat. Pontif. T. I. p. 234, et 252.
7 T. V. Junii p. 453.
8 lib. I. epist. XXXIII.
9 lib. II. epist. XII.
10 T. I. p. 177.

de Romanis. Sacrista, *seu* Claverius *habeat custodiam clavium portarum Villae de Romanis*. Auctor Hist. Delphinalis [1] haec pro Vrbis clavium Custodibus, qui in quibusdam locis, *Claverii* dicebantur, accipienda esse duxit. Sed heic Maurini [2] *Sacristam Claverii* nomine distinctum fuisse docent, non quod *Vrbis Claves*, sed quod *sacri thesauri Claves* penes se haberet.

§. V.
De Armario.

Etsi frequentius *Armarii* nomen designaverit Cantores, Bibliothecae Praefectos [3], aut Monasterii Aeconomos [4], tamen, ni fallor, interdum etiam pro *Sacrista* indicando usurpatum fuisse puto. Saltem consuetudines Monasterii Cluniacensis, ubi agunt de obitu fratris, et sepultura, ita profecto, mea quidem sententia, interpretandae sunt. Ajunt enim [5]. *Prior, qui tenet ordinem, ignotescit* Armario, *et* Armarius *praevidet cuncta ad hoc necessaria, scilicet Sacerdotem, quem indui faciat alba, et stola, et Conversos, qui deferant aquam benedictam, et crucem, et candelabra, et ipse portat oleum; tunc paratis omnibus, procedit processio*. Ac paullo infra, sacrae unctionis descriptione absoluta. *Si autem communionem suscepturus est, tunc ab alio dicuntur praefatae collectae, et ipse interim Cruce, et aqua benedicta remeantibus, cum geminis candelabris per parlatorium ad Ecclesiam redit, comitante* Armario ..... *postquam in Eccl. venerint, unum de quotidianis calicibus in* Armario *accipit, vel ipse Sacerdos, vel* Armarius, *prius tamen lotis manibus, et vinum, et aquam, ac si Missam cantari inde deberet, infun-*

1 T. I. p. 127. col. I.

2 in not. ad Ducang. T. II. edit. Bas. p. 365.

3 T. III. Martene p. 733. 746. 754. 758. 761. 778. 780. 781. 794. 801. 803. 806. 807. 809. 810. 887. 909. T. IV. p. 366. 407. 446. 798. 802.

4 in Macri Hierol. p. 55.

5 Mart. p. 303.

dit ; tunc Sacerdos ad majus Altare , super quo Corpus Domini servatur , accedit , et priusquam accipiat , incensat , postmodum accipiens frangit super ipsum calicem , et illam partem , quam allaturus est , super calicem tenet , aliam in pyxide reponit , et tunc ab Armario , *tam manus Sacerdotis , quam ipse calix linteo mundissimo cooperiuntur .*

Quis autem non videt , haec ad *Sacristae* munus esse referenda ? Idem dicas de vetusto Corbejensi Ordinario , ubi legimus [1] . Armarius *unum de fortioribus cereis ad opus Diaconi eligit , et similiter in ramis palmarum unam de palmis . Inter accendendum autem dicitur Antiphona* , lumen ad revelationem , *quam Abbas , vel* Armarius , *accenso Abbatis cereo , incipit .*

§. VI.

De Capellano , Cubiculario , Costurario , Vasorum , Ecclesiae Custode , Magistro Custode , et Iudice Capellae .

Walafridus Strabo [2], et Honorius Augustodunensis [3] , quibus consonat Durandus [4] , *Capellanos* dictos fuisse docent , qui *Capam* , seu *Capellam S. Martini* , vel in Regum Palatiis custodiebant , vel in praeliis cum aliis SS. reliquiis deferebant . His adde Hincmari testimonium [5], qui *Apocrisarios* , etiam *Palatii Custodes* dictos fuisse monet , non quod *Palatii* custodia iis commissa fuerit , quae ad laicos tantum , et militares viros pertinebat ; sed quod essent *Capellae Palatinae* Custodes , ubi varia SS. Lipsana *Apocrisiarii* , seu Capellani servabant , quae , in praeliis praesertim , secum religiose deferebant , ut militum cultui in Oratoriis Ca-

1 Martene Tom. IV. pag. 303.
2 de reb. Eccl . cap. XXXI.
3 in Sermone de S. Martino , et in Gemma animae cap. CXXVIII.
4 In Rational. lib. II. cap. X.
5 de Ord. Palatii cap. XVI.

strensibus, quae a Nicephoro Callisto [1], *Ecclesiae portatiles*, a Bonifacio VIII. *Altare Viaticum*, a Conc. Triburiensi *Tabula consecrata*, et ab aliis [2], *Tabulae itinerariae*, *mobiles Ecclesiae*, *Arae Viaticae*, *Altare Viatorium*, *Gestatorium*, *Portatile*, sive *Lapis Portatilis* dicebantur, exponerent. De hujusmodi *Ecclesiis* confer, quae a Gattico [3], et Fed. Altano [4] erudite congesta sunt. Deinde vero, quicumque Sanctorum Lipsanis custodiendis addicti erant, *Capellanos* vocabant. Nam initio velamina, quibus operiebantur monumenta, ubi SS. reliquiae servabantur, *Capas*, vel *Capellas* nuncupabant [5]. Hujusmodi munus indigitat Eadmerus [6], qui de Virginis Deiparae crinium parte verba faciens, Anselmo Cantuariensi Episc. ab Ilgyro quodam concessa, *mihique*, inquit, *utpote qui Capellae illius custos eram, atque dispositor, custodiendos commendavit*. Quid si ob peculiarem ejus cultum, *Capellanus B. M. Virginis* nuncupetur S. Lucas in gestis quarumdam Sororum Ord. Praed., hoc modo [7]? *De sorore Elisabeth de Senhem ..... audivit corporeis auribus D. Iesum dicentem sibi. Commenda te Lucae Medico*, Capellano *matris meae, ut totaliter, et perfecte te curet*. Verum disertius eos memorat Anastasius in

1 lib. VII. cap. XLVI.

2 in Gemma cap. XXVIII. lib. I. Mabill. in T. VII. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 230. 276. Erra Storia della Chiesa di S. Maria in Portico. Roma 1750. 4. cap. XX. Paciaudi Ant. Christ. de cultu S. Joh. Bapt. p. 386. Pomp. Sarnelli lett. IX. Se le reliquie de' SS. sieno di sostanza della consecrazione dell' Altare? T. III. delle sue lett. Eccles. pag. 26. Joh. And. Schmid. de Aris Portatilibus. Jenae 1695.

3 de Oratoriis domesticis, et de usu Altaris Portatilis. Acced. Opuscul. Apologetica de vetita c. XXIX. administratione Eucharistiae in Oratoriis privatae domus, et Card. Brancatii Diss. de privilegiis, quibus gaudent Cardinales in propriis Capellis, cum notis J. A. Assemanni. Romae 1770. fol.

4 Diss. Epistolaris in quoddam Altare Portatile, de Calendariis. in T. VI. Simbol. Rom. Gori p. 193. et Venet. 1753. 8. p. 125.

5 Ducange in Gloss. Macer in Hierolexico T. I. p. 195.

6 lib. IV. Histor. Novar. p. 88.

7 Ex Cod. reg. 5642. fol. 32, et in Gloss. Carpentier.

Digitized by Google

vita Leonis I. [1] qui *constituit super sepulcra Apostolorum Custodes, qui dicuntur* Capellani *ex Clero Romano*. Ac licet eas Anastasii editiones sequi placeat, in quibus *Cubicularii* hoc loco occurrunt, tamen unum, idemque *Capellani* munus ubique designatur. Porro de *Capellano* loquitur Hodoeporicon S. Willibaldi, ubi legimus [2]. *Et primo anno illuc veniens*, Cubicularius *fuit Ecclesiae*. Sed haec de *Capellani* voce ad *Sacristae* munus indicandum quandoque usurpata sufficiant; quum, si quis plura de eadem desideret, adire poterit Ludov. Thomasinum, Ducangium [3], Sarnellium [4], eruditissimum Praesulem Caraffa [5], et Alex. Aurelium Pelliccia [6]. Nunc ad *Costurarios*, et sacrorum vasorum Custodes progrediamur. Ad primos quod attinet, Kalendarium vetus ms. Eccl. B. M. Graciac. memorat *Anniversarium Guillelmi Henriet, et Helioti* Costurariorum, *id est* Custodum *nostrae Eccl. qui nobis aliquos redditus donavere*. Alia hujusce denominationis exempla vide apud Carpentierium [7]. Quod vero spectat ad *Vasorum Ecclesiae Custodes, Scevophylacis*, et *Cimeliarchae* munera, de quibus infra disseremus, ita latine reddita passim occurrunt. Nam in actis Synodi Mospuestenae ann. DL. coactae, Joh. Presbyter Cimeliarcha, *sacrorum vasorum Custos* diserte appellatur. En ejusdem Synodi verba [8]. *SS. Episcopi dixerunt: reverendissimus* sacrorum Custos vasorum *istius SS. Eccl. afferat ad considerationem nobis, et recitatio-*

1 T. I. pag. 153.

2 n. XXV. in Henr. Canis. Lect. Ant. T. II. p. 99. apud Surium d. 7. Julii p. 121. in Actis SS. Ord. S. Bened. Sec. III. Par. II. T. IV. p. 365. in T. II. Jul. Bollend. p. 485, et in J. H. de Falckenstein Cod. diplomat. antiq. Nordg. p. 445. Francof. 1733. fol.

3 In Glossario.

4 Preti Cappellani onde detti? in T. X. Liter. Eccl. p. 96.

5 In Cappella Regis utriusque Siciliae.

6 de Christ. Eccl. Politia T. I. p. 90.

7 T. I. Glossarii p. 1174.

8 Tom. V. Concil. pag. 494.

nem hujus sacra dypticha, in quibus sanctae memoriae Sacerdotum istius optimae civitatis scripta continentur vocabula. Eos *Ecclesiae Custodes* vocat Synodus Toletana I. Custos Ecclesiae *pallia, linteamina, Altaria, cuncta utensilia Eccl. custodiat*. Haec eadem, aliaque ejus munia ab Isidoro descripta superius audivimus. De iis etiam agit titulus in juris canonici libris, qui *Custodi* indicit [1], *Archidiacono subesse, tintinnabula pro horis canonicis pulsare, pallia, et linteamina Altaris, seu cuncta utensilia Ecclesiae custodire*. Meminit *Ecclesiae Custodis*, ut alia proferam exempla [2], Walafridus Strabo in vita S. Othmari Abbatis Sancellensis, ubi narrat [3]. *Presbyter quidam ..... dum in Ecclesia* Custodis *officium gereret, nocturnae quietis tempore praeficiendis luminaribus Basilicam solitus introire*. Propterea *Ecclesiae Custos* dicebatur etiam *Basilicanus* [4]. Item Vdalricus in Consuetud. Cluniacens. [5] ait. Custodi *Eccl. quando sunt omnia signa pulsanda pro anniversario cujusque*. His consonant Willelmi Abb. Andrensis verba in Chronico. *Quidam ejusdem loci* Aeditimus, *quem nostro more* Custodem *vocamus*; quibus adjicias Eadmerum in vita S. Anselmi Archiep. Cantuariensis [6]. *Riculphus* Secretarii, *id est* Custodis *officio in*

1 Decretal. lib. I. tit. xxvII. cap. I.

2 Conc. Toletanum. lib. II. Decret. tit. xxvII. c. II. Bernard. Praeposit. Papiens. lib. I. tit. xIx. c. I. Guido in Disciplina Farfensi. p. 54. 60. 62. 76. 77. 80. Consuetud. Can. regular. S. Augustini, apud Martene T. III. p. 872. in Surii vitis SS. ad 21. April. p. 207. In Eadmeri op. una cum S. Anselmi opp. editis. Paris. 1721. fol., et in T. II. April. Bolland. pag. 856. Adrevaldus de miracul. S. Benedicti lib. I. cap. xxvI. Iulianus Antecessor. in Leg. Longobard. Constitut. LXI. lib. II. tit. LV. §. 18. L. III. tit. x. §. I. in Capitulis Caroli M. l. v. c. 229. Matth. Paris. ann. MCCXLIV, et in Vitis Abbatum S. Albani p. 35. Willelmus Thornius. p. 1927. Paull. Warnefridus. lib. v. de gestis Longobard. c. XL. Gregorius vII. l. II. ep. x. Baron. ad an. DCCCLXXII. n. xv.

3 cap. II. in Melch. Goldasti Script. rer. Alemann. p. 176. Francof. 1730. ap. Surium d. 16. Nov. p. 360, et in Actis SS. Ord. Bened. Sec. III. P. II. p. 151.

4 In Gloss. in Can. Perlect. dist. xxv.

5 lib. III. cap. vIII.

6 lib. I. c. xx, & xxxIII.

Digitized by Google

ipſo Coenobio fungebatur. Neque praetereundum Pontificale Eccl. Pictavienſis, ubi de vigiliis feriae v. in Coena Dom. haec habentur[1]. *XXX. in nocturno officio accenduntur lampades, quae aequo ſpatio trino ordine aptandae ſunt, et ſingulatim a* Cuſtode Eccleſiae *per ſingulas lectiones, Antiphonas, et Reſponſoria, ſed et verſus trium nocturnorum, qui ante lectiones cum arundine, latenter, quaſi raptando extinguuntur*. De ſollemni novi ignis benedictione eadem feria peragenda, haec exhibet Codex Corbejenſis[2]. *Eadem vero die Coenae Domini, excutiant ignem de lapide in loco foris Baſilicae ſub idem Oratorium; ſin vero, in loco, quo conſideraverit Prior, ita ut ex eo igne candela poſſit accendi, quae candela in arundine debet poni, et a* Cuſtode Eccl. *portari praeſenti populo, et de ipſo igne continuo in eadem Eccl. vel loco accenditur. Lampada una ſervetur uſque in Sabbatum ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus eſt*. Cuſtos *vero, ſicut jam diximus, accipiat candelam in manu ſua illuminatam in cannam, et pergat proſequente eum populo cum ſupplici ſilentio, ita ut ſummitas candelae, qua illuminatur Altare, verſa inclinata reſpiciat illam Eccleſiam, quam ſunt ingreſſuri..... quae tamen Eccleſia prius abſque lumine erit, praeparatis ante Altare* VII. *lampadibus, ita compoſitae, ut abſque ullo impedimento cujuſcumque retardationis, manu* Cuſtodis *poſſint accendi*.

Praeterea de collatione eadem die ſtatim poſt coenam, vel poſt mandatum fratrum facienda, haec ſcribunt Benignianae conſuetudines[3]. Cuſtos Eccl. *ad S. Evangelium legendum Diacono aureum exhibet amictum, feſtivam albam, ſtolam ſimul, et cinctorium ſericum*. Adde Vdalricum, qui ait[4]. *Nona cantanda in majori Eccl. ſigno pulſato ad ho-*

1 Mart. T. III. de ant. Eccl. rit. p. 284. 2 T. IV. Mart. p. 362. 3 ib. p. 362. 4 ib. p. 445.

ram competentem a Custode Eccl. *ab infirmis, qui ad processionem exire non potuerunt*. Atque hinc consuetudines Monasterii Cluniacensis, ubi, ut in aliis quoque Monasteriis, perpetuum fere silentium observabatur, ac rarissime loqui licebat in Ecclesia, Dormitorio, Refectorio, Coquina, aliisque Claustri officinis, inter signa, quibus *manu loquaci*, ut ait Petronius, seu *linguosis digitis*, ut Senator [1], complicatis nimirum diversimode, aut expansis digitis, quidquid petere, aut dicere necesse haberent, facile innuebant, atque indicabant, hoc etiam recensent [2]. *Pro signo* Custodis Eccl. *cum manu simula Campanam sonare*. Quanti vero haberetur *Custodis* officium in Ecclesia Mediolanensi, diserte testatur vetus inscriptio apud Puricellum [3], quae memorat *sepulcrum S. Adeodati anno Dom.* 1007. *Indict.* v. *tempore D. Eriberti de Antimiano Subdiaconi S. Eccl. Mediolanensis, et* Custodis Eccl. S. Vincentii apud Canturium, qui deinde post Arnulphum Secundum Mediolanensis Antistes fuit renunciatus. Atque hac ipsa notione accipias, Ducangio adstipulatore, *Custodem Altaris*, quem exhibet Charta Isarni Tolosani Ep. apud Catellum [4]. *Hoc videlicet pacto, quod habendum semper retineo quartam partem omnium oblationum Eccl. supradicti Martyris, et proprium* Custodem Altaris, *et victum ipsius* Custodis *de Claustro accipiendum, et domum ad opus* Custodis *prope Ostium Eccl.* Nam in rituali Eccl. Suessionensis Sacrista, *Custodis Altaris* nomine [5] semel, atque iterum indicatur.

In iis vero locis, ubi plures erant *Ecclesiae Custodes*, qui iis praeerat, *Magistri* titulo distinguebatur, ut haec in Ord. Cluniacensi Bernardi Monachi verba declarant [6].

1 lib. IV. epist. LI. 2 Ibid. p. 831.
3 p. 337. 4 lib. V. rerum Occitan.
5 Mart. T. III. de ant. Eccl. rit. p. 386.
6 Part. I. cap. LXXIV.

Ipsum secundum signum ..... longius pulsari debet ..... ut omnes possint de omnibus officinis ad Horae principium convenire, et Magister Custos, *per consuetudinem debet ipsum pulsare, aut talem rogare, qui bene sciat facere*. Heic certe vides a Bernardo *majorem Eccl. Custodem* indigitari, de quo eum supra loquentem audivimus, *ut de* principali Eccl. Custode, *qui vulgo* Sacrista, *dignius vero, et honorabilius* Apocrisiarius *vocatur*. Eadem sentias de *Magistro Eccl.* quem memorat Charta Frederici Colon. Archiep. ann. MCXXVIII: [1] *Eapropter materiam dissentionis, et discissionis resecare volentes, subministrante nobis fratre Wibaldo Stabulensis* Eccl. Magistro, *atque Portario*. Neque secus accipienda sunt verba antiqui Cod. Remensis S. Remigii de ignis novi benedictione [2], quibus consonant consuetudines S. Dionysii in Francia [3]. *Portatur pertica, super quam ferendus est ignis ab illo, a quo portandus est. Primo die fertur a* Magistro Custode Ecclesiae. Item de *Aedituis* accipienda esse non dubito, quae Carpentierius protulit ex Statutis Collegii Fuxensis Tolosani ann. MCDLVII, in hunc modum [4]. *De electione Iudicum Capellae. Quidnam causae nos impellat, ad statuendum, et providendum super electione* Iudicum Capellae, *sicque vocandorum nostrae insederit voluntati, declarabimus equidem, et hanc dubitationem enodare curabimus. Est igitur eligendi causa nobis adinventa, ut quilibet ex collegiatis officium illud exerceat electus, et ne excusationem praetendat habere, nisi quam haberet, si in Rectorem eligeretur, et quisque sibi onus assumat injunctum, sicut et commodum. Sic vocari volumus, quia* Capellae, et rerum sacrarum curam gerent. *Eligentur itaque duo non graduati singulis annis, et erit officium illorum*

1 T. III. nov. Gall. Christ. col. 164.

2 Martene Tom. III. de ant. eccl. rit. pag. 171.

3 apud eumd. T. IV. p. 364.

4 ex Cod. reg. 4223. fol. 212. v. Tom. II. Gloss. pag. 942.

Digitized by Google

pulsare campanellam ad Missas, et ad Vesperas, diebus, quibus dicentur, accendent candelas, parabunt vestimenta, vinum, aquam, et hostias, etiam turibulum, quando turificandum, seu incensendum erit Altare. Iuvabunt Sacerdotem ad dicendum Missam, et alia servitia facient, quae necessaria erunt cultui divino. Custodient jocalia, quae in Capella stabunt cum uno, aut duobus ex IV. *Presbyteris*. Sic etiam Ridulphus *Clericos Capellares* appellat Cantores, ac Ministros *Sacrarii Pontificalis*, et *Officium Capellare*, festos psalmorum cantus ibidem habitos.

§. VII.

De Capiceria, Capisceria, Capicerio, Capiceriatu, Capitiario, Capiciano.

Quum aedium sacrarum pars illa, quae vulgo *Presbyterium* dicitur, quandoque *Capicialis, aut Capitium* appellaretur, ii propterea, quibus ejusdem cura incumbebat, *Capitiarii*, et *Capicerii* in Eccl., et Monasteriis vocabantur. Nam eosdem *Sacristae* munus gessisse probant vetera monumenta, in quibus persaepe nominantur. Charta anni MCLXXXV. in Tabulario S. Martini de Campis diserte rem comprobat, ubi ait [1]. *Dedi etiam* Capicerio, *id est* Sacristae. *Capicerii* Sanmelloniani Pontisacensis munia Chartularium Pontisacense ita describit [2]. *Pulsare Campanas, ornare Altaria, reliquias, et vasa argentea custodire, ornamenta conservare, et praeparare, sacramentum extremae unctionis administrare in agone positis, diebus rogationum, et processionum Missas cantare; auctoritate, et censu curiali gaudet intra claustra S. Melloni*. Alia etiam prodit Charta Hugonis Abbatis S. Dionysii anno MCXCIII. ex Tabulario ejusdem Ec-

1 apud Ducangium T. II. p. 143. 2 in T. I. Gloss. Carpentier p. 795.

clesiae, qua statuitur [1], *ut decima lampadibus, quae ante Altaria* Capitii *per noctem tantum ardebant, oleum sufficienter a* Capitiario *ministretur, ut tam per diem, quam per noctem in perpetuum ardeat*. Haud absimile est, quod habent veteres consuetudines Floriacensis Monasterii [2]. *Post Completorium ponit* Capicerius *cereos ante unumquodque Altare, qui accensi possint sufficere, donec diescat*. Ad haec spectant, quae legimus in charta anni MCDXVIII. ex Chartulario S. Aviti Aurelianensis, de cerarum manipulo a *Capicerio* certis diebus distribuendo [3]. *Item tenetur* Capicerius *tradere Dominis ipsius Eccl. in festo S. Aviti aestivali cuilibet Canonico unum fleolum cerae novae, de quibus debent esse sex in libra dumtaxat; et in festo Purificationis B. M. V. unum cereolum cerae novae, ponderis unius quarteronii*. Item S. Dionysii consuetudines, ubi memorant festum, quo sollemni pompa augustum Christi Corpus vicatim circumfertur, *post tertiam*, inquiunt [4], *fiat sollemnis processio apud stratam in cappis hoc modo. In primis proviso per* Capicerium *de competenti luminari, et honesto, deportatur Sacros. Corpus Domini*. Atque hinc fortasse nonnulli a *capienda cera* Capicerii vocem profluxisse, infelici conjectura, putarunt, ut recte notat Ducangius, qui praeterea Meursium, et Vossium [5] castigavit, quod eamdem a *Capitis* censu deduxerint, quasi *Capicerius* fuerit, qui *Capitale* tributum exigit; quodque alter eorum in historia aedis S. Aniani Aurelianensis [6] *Capicerium* pro *Primicerio* perperam acceperit, ut etiam Macer [7] interpretatus est. Verum alias etiam curas *Capicerio* commissas fuisse demonstrat Testamentum Sugerii

1 ibid.
2 T. IV. Martene p. 415.
3 T. II. Gloss. Carpentier p. 449.
4 ibid. p. 478.
5 in lib. III. de vitiis sermonis.
6 in Hierolexico p. 119.
7 c. VII. ex Car. Saussay actis Eccl. Aurel. et in Surii vitis SS. d. 17. Nov. p. 374.

Digitized by Google

Abb. S. Dionysii anni MCXXXVII. *A toto Capitulo obtinuimus, ut de* Capitio Capitiarius *frater, quicumque sit ille, refectionem Fratribus in refectorio ipsa die anniversarii nostri accurate persolvendo procuret*. Vsus Compendienses [1] eadem voce sic utuntur. *Denudentur omnia Altaria a* Capitiariis, *et laventur aqua, et vino, et sic remaneant denudata usque in vigilia Paschae*. Atque hinc fortasse ortam puto alteram denominationem, quae ad Clericos minores indicandos occurrit in Statutis ms. Eccl. Senonensis [2]. *Omnes* Cepeti *tenentur facere hebdomadam, et subhebdomadam, et dicere primam Lectionem, et similiter in anniversariis, et ferre vexillum, Crucem, et toedas ad Missam*. Alibi vero iidem usus Compendienses de vigilia Pentecostes disserentes, inquiunt [3]. *Post orationem eant ad fontes cantantes quinam letaniam, et Acolythus ferat chrisma, et alius Crucem, et alii duo ferant candelabra, et benedicantur fontes ordine ipso, quo et in vigilia Paschae, et antequam chrisma mittatur in fontibus, accipiat* Capicianus *aquam in uno vase, et servet eam usque in crastinum, quia in die Pentecostes non fit aqua benedicta*. Ita Fulbertus Carnotensis scribit [4]. *Constitues tibi alium Thesaurarium, et Capitiarium*.

Porro, etsi praeter jam allata exempla, et *pactum inter Odonem Episc. Paris., et Ioh. Abb. S. Genov.* anno MCCII [5], in vita S. Winnoci Abb. Woromheltensis [6], et in fragmento actorum visitationis Simonis de Sulliaco Arch. Bituricensis an. MCCLXXXIV. [7] *Capicerii, Capiciani*, aut *Capitiarii* nominentur, tamen Charta anni MCLXXXV. in Tab. S. Mar-

1 T. IV. Marteue p. 377.

2 in Macri Hierolex. T. I. p. 121.

3 T. IV. Martene p. 458.

4 in epist. CIII. V. Car. Annib. Fabrotti Juris Canonici selecta, in Tit. XXIX. de Offic. Sacristae. T. IV. Thes. Meermanni p. 539.

5 T. VII. Gall. Christ. col. 227.

6 Cap. XIII. ap. Surium d. 6. Nov. p. 168. et in actis SS. Ord. Bened. Sec. III. P. I. p. 302.

7 T. III. Analect. Mabillonii p. 505.

tini de Campis [1] exhibet *Capiciarium*. Ejusdem vero dignitas, et officium, *Capiceriatus* vulgo audiebat. Id enim testantur hujusmodi verba in libro nigro Episc. Carnotensis ann. MCCCXXXVI. [2] *Guillelmus Blanchi procurator reverendi in Christo Patris P. titulo S. Clementis S. R. E. Presbyteri Card. et* Capicerii *Eccl. Carnotensis, virtute litterarum Apostolicarum eidem D. Card. factarum de* Capiceriatu, *Canonicatuque Eccl. Carnotensis, fuit admissus per Rev. P. D. Aymericum Carnotensem Episc. ad dictos* Capiceriatum, *et homagium*. Paria sunt, quae profert Charta anni MCDXVIII. ex Chartul. S. Aviti Aurelianensis. *Cum cura animarum sit ipsi* Capiceriatui *adnexa, et habent domum ibidem specialem sibi pertinentem ad causam dicti sui* Capiceriatus. Interdum vero ipsa *Capicerii* dignitas, *Capiceria* dicta fuit, ut probant epistola apud Sugerium [3], et Charta Ludovici Regis Francorum anni MCLXI. [4] Saepius tamen *Capiceria*, seu *Capisceria* vocabantur ejus domus, vel locus, ubi, quae ad *Capicerii* officium pertinebant, recondebantur. Nam Inventarium S. Capellae Paris. anni MCCCLXIII. ex Bibl. regia notat [5], *quae in* Capiceria *dictae Capellae inventa sunt*, et alibi recenset *res inventas pro* Capiceria *dictae sacrae Capellae*.

§. VIII.
De Cicendelario, et Candelapte.

Nemo est, qui nesciat, *Cicindelae* nomen tributum fuisse lychno, *cujus vitrea natat ignis in unda*, ut loquitur Fortunatus [6]. Varie autem haec vox apud scriptores occurrit. Nunc enim *Cicindilis*, *Cicindile*, *Cicendile*, *Cincidele*, *Cicendele*, nunc *Cicindelum*, *Cicindelus*, *Cecendele*, *Cecindil-*

1 apud Fulbertum Carnot. Epist. c. III.
2 T. 1. Gloss. Carpentier p. 787.
3 Epist. XXXVIII.
4 apud Sammarthanos in Ep. Paris. p. 438.
5 in T. 1. Gloss. Carpentier p. 707.
6 lib. IV. de vita S. Martini.

lus , *Cincedulus*[1], *Cicendela* , *Cicentillus* , ac quoque *Cicindella* , *Cicindulum* , *Cincendula* , scripta reperitur , a bestiola noctiluca , quam *Lucciolam* dicimus . Singularum exempla vide apud Ducangium . Hinc , qui *Cicendelas* , seu lampades , aliaque vasa ad lucem ferendam in aede sacra destinata curabat , quod quidem *Sacristae* munus erat , *Cicendelarius* dicebatur . Diserte rem probat Ordo Eccl. Ambrosianae , hujusmodi verbis [2]. *De quibus* , *Deo opitulante* , *ego Beroldus Custos* , *et* Cicendelarius *ejusdem Eccl.* , *quidquid vidi* , *et audivi* , *et scriptum reperi* , *huic nostro libello tradere disposui*. Ex eodem Ord. patent alia *Cicendelarii* munia , quae *Sacristae* plane conveniunt [3] . Cicendelarius *hebdomadarius portat . . . . . casulam* , *unde colatur vinum in sacrificio* , *et calicem* [4]. Cicendelarius *observator portat patenam cum manutergio volutam . . . . . et casulam argenteam* , *et fabiolum argenteum* , *et duas alas textus Evangeliorum* . Atque alibi [5] . *Cicendelarius hebdomadarius porrigit duos cereos sumptos de Camera Archiep. rotularis ejus* . Ejusdem etiam meminit , ubi agit de vigilia Natalis Domini [6]. *Hora undecima Ostiarius hebdomadarius* , *et alii duo minores sonant diligentium . . . . . postremo vadunt ad S. Michaelem in Domo . . . . . et eunte Subdiacono super cimiteria cum septimanali* Cicendalario .

Praeterea *Sacrista Candelaptis* etiam appellatus est , quod lampades , et candelas Eccl. praeparare , et accendere solet . Simili vocabulo utuntur Maronitae , qui , ut docet [7] Dom. Macer , *Candalaphti Sacristam* vocant .

2 T. IV. ant. Ital. Murat. col. 161. diss. LVII. V. Saxium in T. v. rer. Ital. p.507. in notis ad Landulphum Juniorem. Petr. Puricellum de SS.MM. Nazario , et Celso. Picinellum in Athenaeo Script. Mediol p.91.

3 T. IV. Murat. p.869. et in T. I. Gloss. Carpentier p. 883.

4 ibid. col. 881. et T. II. Gloss.Carpentier pag.341.

5 ibid. p. 863. et in T. III. Gloss.Carpentier p. 651.

6 ibid. col. 907. et in T. II. Gloss. Carpentier pag. 107.

7 in Hierolexico p.110.

§. IX.
De Confessore.

Sacramentarium Gregorianum exhibet veterem orationem, quae nunc quoque in usu est feria vI. majoris hebdomadae. *Oremus, et pro omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis*, Confessoribus, *Virginibus, Viduis, et pro omni Populo Sancto Dei*. Ibidem *Confestorum* nomine eos non venire, quos post obitum *Confessores* vocamus, nemo diffitetur. Ceterum Menardus hunc Gregorii locum de *Cantoribus*, et *Psalmistis* interpretatur, quos ita dictos fuisse putat, *quia* confiteri, *passim in Scriptura idem est, ac Dei laudes decantare*. Eidem plane subscripsit Macer [1], qui rem firmare studet exemplo Can. IX. Conc. Toletani. *Nulla Professa, vel Vidua, absente Episcopo, vel Presbytero, in domo sua Antiphonas cum* Confessore, *vel servo suo faciat*. Hisce addit Ducangius [2] auctoritatem Constitution. Apostolicarum [3], Can. xI. Conc. Carthaginiensis, ac praesertim Hieronymi, qui ait [4]. *A* Confessione *nomen* Confessoris *est dictum*. *Verumtamen heic* Confessio, *pro gratiarum actione, aut pro laude, accipitur, ut frequenter in Psalmis, et Evangelio*. Hujusmodi sententiam sequuti sunt etiam Sarnellius [5], Galliciolius [6], et Dinovartius [7], qui Sacramentarii verborum significationem peculiariter illustrarunt.

Ceterum, etsi non repugnem, hoc sensu *Confessoris*

1 in Hierolexico pag. 181.
2 in Gloss. 3 lib. vIII. c. xxIII.
4 in Quaest. in Genesim.
5 Che cosa significhi quel *Confessoribus* in una delle orazioni del Venerdì Santo, e perchè allora si dicono due orazioni per la stessa cosa? in T. IX. Litt. Eccl. pag. 6.
6 de Confessoribus. in Isagoge Liturgica. cap. IX. p. 221.
7 Signification particuliere du mot *Confessor*. in T. XLVII. du Journal Eccl. Avril pag. 93.

vocabulum in allatis locis fuisse usurpatum, aegre tamen in animum inducam, id etiam de Sacramentarii oratione esse accipiendum. Magis enim mihi arridet opinio doctissimi Petri Lazeri [1], qui potius ab ea Basilicarum parte, ubi SS. Corpora quiescebant, quaeque *Confessio* vocabatur, ejus Custodes ibidem *Confessorum* titulo indicatos fuisse censuit, quemadmodum a *Martyrio Martyrarii* dicebantur, ut paullo infra ostendemus.

§. X.

De Gagiario, Gajario, et Gliserio.

Quid vero dicam de *Gliserii* vocabulo, quod etiam Carpentierius, pro *Aedituo* indicando usurpatum putat in comput. ms. Fabr. S. Petri Insul. ann. MD. ubi notatur, *item pro uno Missali empto a* Gliseriis *parochiae hujus Ecclesia pro Capella S. Pauli hujus Eccl.* 100. *Sol.*? Ego vero alteram ejusdem vocis explicationem a Carpentierio prolatam potius amplectar, qui Eccl. Procuratorem ibidem designari potuisse professus est. Idem dicas de altera *Gagiarii* appellatione ad eum designandum, eodem Carpentierio interprete, qui res, et bona Ecclesiae curabat. Ceterum una cum Ducangio fatetur, Custodem, cui credita est sacrae supellectilis cura, quandoque etiam hoc nomine indigitatum fuisse. Nam Statuta Eccl. Meld. nominant [2] *Rectorem, et Clericum, Matricularios, seu Gagiarios*, quos *Gajarios* vocant Statuta Milonis Episcopi Aurelianensis [3].

1 de Liminibus Apostolorum Disquisitio Historica. Romae 1775. 4. p. 19.
2 ann. MCCCLXV. Tom. IV. Anecd. Martene, et Durand. col. 927.
3 ann. MCCCXII. ibidem Tom. VII. col. 1286.

§. xI.

De Malingrerio, et Mansionario.

Rochus Pirrus *Malingrerium* olim dictum fuisse notat eum, qui hodie *Sacrista* est, ad ea, quae tradidit Mich. de Platea in Archiep. Messan. sub anno MCCCXLVII. [1]. *Et extortis clavibus a* Malingrerio, *dictum Patriarcham fortiter increparunt*. *Mansionarius* etiam, ut Panvinii [2] verbis utar, *dictus est Custos, et conservator aedium ecclesiasticarum, Templorum, et Altarium; item familiaris, et domesticus a mansione*. Et sane Ducangius in descriptione aedis Sophianae [3], ejus Custodem, quod *Mansionem*, sive aedem Templo adjunctam haberet, ita vocatum fuisse explicat, Scriptoris Miraculorum S. Mauri Abb. Glannafol. in Gallia auctoritate [4]. Hinc autem, qui id muneris exercebant, apud Graecos παραμονάριοι dicebantur, ut variis exemplis [5] probat idem Ducangius [6]. Eccl. vero Latinae *Mansionarii* memorantur passim apud veteres Scriptores [7]. Siquidem a vetustissimis usque temporibus floruit eorum dignitas in Ecclesia Rom. Quoties enim Pontifex ad Stationes procedebat, ut ibi sacrum faceret, tradit Ordo I. [8], Acolythos accipere consuevisse sacra ministeria *ab Eccl. Sal-*

1 in Sicil. Sacr. Ducang. in Gloss. Macer in Hierolex. Tom. II. pag. 7.

2 Interpret. Vocum obscur. Eccl. in T. III. Anast. edit. Vignol. p. 367. et apud Macrum in Hierolexico pag. 365.

3 Cap. LXXXVI.

4 cap. 2.

5 Vita S. Nili junioris p. 73. Miraculum S. Georgii erga captivum quemdam n. 29. Simeon Logotheta in Basilio Macedone num. 2. Vita S. Zozimi in Meneis XXI. Jan.

6 in Glossario.

7 Leges Wisigothorum l. v. tit. IV. §. XVII. Gregorius M. lib. III. Epist. XXX. lib. I. Dial. cap. V. et III. cap. XXIX. XXX. et IV. c. LI. LII. Joh. Diaconus in ejus vita lib. II. c. LVIII. Falco Beneventanus ann. MCXXVIII. Petr. Diaconus Casin. lib. IV. c. LI. CI. CIV. libri miraculorum S. Bened. n. XV. XXV. XXXV. Vita S. Virgilii Episc. Salisburgensis n. IV. in Henr. Canisii Lect. ant. T. II. P. II. p. 395. apud Surium T. 27. Nov. p. 614. et in actis SS. Ord. Benedicti Sec. III. P. II. p. 308.

8 T. II. Mus. Ital. num. III. p. 5.

Digitized by Google

vatoris per manum primi Mansionarii. Qui quidem usus vel in Ord. III. ita describitur [1]. *Haec cura erit* Acolythorum, *ut Sacri Ministerii vasa per manum primi* Mansionarii, *qui est custos dominicalis* Vestiarii, *accepta deferantur per bajulos*. Qua vero de caussa, qui princeps in Ordine *Mansionariorum* erat, *Custos dominicalis Vestiarii* nuncuparetur, supra [2] explicavimus. Plures profecto esse inferioris Ordinis *Mansionarios*, qui primo suberant, manifeste evincit Ordo Rom. qui ita habet [3]. *Post quos Acolythi, qui rugam conservant, post eos extra Presbyterium Crucem portantes, deinde* Mansionarii *juniores*. Verum id etiam aperte confirmant Pontificum vitae apud Anastasium, ubi frequens eorum occurrit mentio. Narrat enim [4], Stephanum v. aquam lustralem adversum locustas adspergendam iis dedisse, *cumque diutius oraret, surrexit, et aquam propriis manibus benedicens*, Mansionariis *praecepit*. Morientium vero Pontificum Bened. II, Joh. v, Greg. II, et Cononis liberalitatem ita describit. Benedictus II. [5] *dimisit omni Clero, Monasteriis, Diaconiis, et* Mansionariis *auri libras xxx.* Joh. v. [6] *dimisit omni Clero, Monasteriis, Diaconiis, et* Mansionariis *solidos* MDCCCC. Gregorius II. [7] *dimisit omni Clero, Monasteriis, Diaconiis, et* Mansionariis *solidos* MMCLX. Conon [8] *dimisit omni Clero, Monasteriis, Diaconiis, et* Mansionariis *benedictionem in auro, sicut praedecessor ejus Benedictus Papa*.

Hos inter praecipue adnumerandi sunt *Mansionarii Mansionum S. Petri*, quos memorat Benedictus IX. in diplomate pro Episcopis Sylvae Candidae, ubi legitur [9]. *Parentatum autem ejusdem Eccl. S. Petri, et supradictorum suorum Monasteriorum, et* Mansionariorum *omnium* Mansionum S.Pe-

1 ibid. num. IV. p. 34. 2 pag. 349. 3 T. II. p. 275. §. XX. 4 T. I. §. V. p. 294. 5 T. I. p. 294. 6 T. I. §. V. p. 297. 7 ibid. §. V. p. 301. 8 T. I. p. 301. 9 T. I. Vghellii par. I. p. 124. et T. I. Bull. Vat. p. 21.

tri, *seu totius civitatis Leoninae Vrbis, vobis, vestrisque successoribus concedimus*. Eorum vero antiquissimi, ac praestantissimi sunt *Abundius*, et *Theodorus*, *Mansionarii*, et *Custodes* Eccl. B. Petri a Gregorio [1] appellati, quorum gesta recensuit Godefridus Henschenius [2]. Meminit etiam idem Gregorius [3] *Constantii Mansionarii, qui dum in Eccl. oleum deesset, et unde lampades accenderet, omnino non haberet, omnes lampades Ecclesiae implevit aqua*. Atque in Epistola Constantiae Aug. inscripta [4], haec narrat de S. Laurentii sepulcro. *Dum nescitur, ubi venerabile Corpus ipsius esset collocatum, et effoditur exquirendo, subito sepulcrum ipsius ignoranter apertum est. Et hi, qui praesentes erant, atque laborabant Monachi, et* Mansionarii, *qui corpus ejusdem M. viderunt, quod quidem minime tangere praesumpserunt, omnes intra x. dies defuncti sunt*.

Sed ut de *Mansionariis* nonnulla ex aliis quoque testimoniis audiamus, haec habet Leo Ostiensis [5]. *Manusque suae, ac filiorum subscriptione corroborans, decem Episcopos, et octo Abbates, Comites quinque, Bibliothecarium*, Mansionarium, *et Ostiarium unum subscribere fecit*. Alteram anni CMLXXV. chartam subscripsit [6] *Scambertus Presbyter Monachus, et* Mansionarius. Vnam vero ejusdem muneris partem declarat Pontificale Eccl. Remensis. *Feria* v. *majoris hebdomadae, id est, in coena Domini, mane primo*, Mansionarii *ordinent omnia, quae sunt necessaria ad ordinationem Chrismatis*. Alia indicantur in Chronico Novaliciensi apud Muratorium [7]. *Fertur, quod quadam die* Mansionarius *illius Eccl. more adsueto dum extinxisset cereum unum vespertino in tempore*. Ac

1 lib. III. Dialog. c. XXIV. et XXV.

2 de S. Abundio Mansionario Eccl. S. Petri. T. II. April. p. 114. et de S. Theodoro. T. IV. Maii p. 147.

3 lib. I. Dialog. c. V.

4 l. III. ep. XXX. et in T. II. Aug. Boll. p. 494.

5 lib. I. Chron. Casin. c. XVIII.

6 in Tab. Casaur.

7 T. II. par. II. col. 744.

praeter luminum curam, aerisque campani pulsationem, de qua plura congessit Rocca [1], reliquiarum, et Philacteriorum, et Eccl. clavium custodiam ad *Mansionarios* spectare docent Leo Ostiensis [2], et Caerem. Eccl. Rotom. editum a Menardo [3]. Sed de *Mansionariis* satis, quibus interdum etiam *Collibertorum* [4] nomen inditum est. Nam si de *Ecclesia*, *Praebenda*, *Terra Mansionaria* notionem desideres, consulendus est Ducangius, qui cuncta erudite persequitur.

§. XII.

De Martyrario, et Custode Martyrum.

Huc revocanda sunt, quae supra [5] de *Capellanis*, *Cubiculariis*, *et Confessoribus* praesertim attulimus. Iidem enim promiscue etiam *Martyrarii*, et *Custodes Martyrum* dicebantur, a locorum custodia, ubi sacrae MM. reliquiae recondebantur, quaeque *Martyrium* saepe appellabantur. Quum enim, antiquioribus praesertim temporibus, Christiani ab *Altaris*, et *Templi* vocabulis abstinerent, quippe quae nescio quid idololatricum redolere viderentur, se non *Templa*, sed *Martyria*, non *Altare*, sed *Mensam* habere praedicabant. Gregorius Turonensis [6] memorat *Vrbanum Diaconum Martyrarium* [7], et *obitum Proserii Martyrarii*; atque alibi refert [8] *conjunctos Clericos cum Leubaste* Martyrario, *et Abate . . . . . Arvernum properasse*. *Martyrarius* quoque nominatur in formula Andegavensi [9], et Concilium Aurelianense II. jubet [10], ne *Abbates*, Martyrarii, *Reclusi*, *vel Pre-*

1 in Commentario de campanis c. XIII. de campanario, sive de officio pulsandi campanas p. 173. in T. I. Opp. et in T. III. Thes. Sallengre p. 1272.

2 lib. II. c. XXXIV. et lib. IV. c. LIII.

3 ad lib. Sacram. Gregorii M. p. 80. 460. V. Ciampini Vet. Monum. T. I. cap. XIX. p. 161. de Memoriis MM. seu Martyriis, aut Confessionibus, vel Ciboriis, nec non de Basiliculis.

4 Conc. Chalced. act. V.

5 p. 448. 460.

6 lib. II. de mirac. c. XLV.

7 ibid. c. XLVI.

8 lib. IV. Hist. c. XI.


9 cap. XLVIII.

10 cap. XIII.

Digitized by Google

sbyteri Apostolia dare praesumant , uti legendum contra Filesacum contendit Sirmondus . Occurrunt etiam *Clerici Martyriorum* in Conc. Chalcedonensi IV. [1] de quibus confer Baronium [2]. Praeterea ex Testamento S. Aredii Abbatis Lemovicensis [3] colligimus , iis sacri quoque *ministerii* custodiam fuisse commissam . *Turres , calices , pallas , et coopertoria praedictis* Martyrariis *ad custodiendum tradidimus* . Hoc vero munus inter minores ordines adscriptum fuit a Sylvestro P. qui eos *Custodes Martyrum* nuncupavit. Ait enim Biographus in ejus vita [4] . *Hic constituit , si quis desideraret in Eccl. militare , aut proficere , ut esset primum Ostiarius , deinde Lector , et postea Exorcista per tempora , quae Episc. constituerit ; deinde Acolythus annos* v. *Subdiaconus annos* v. Custos Martyrum *annos* v. Sic in Synodo Rom. sub eodem Sylvestro Can. II [5] , *Custodes super Sepulcra Apostolorum* nuncupantur . Hinc S. Zozimus Episc. Syracusanus , qui variis ejus vitae locis *Ostiarius* , et *Templi* Custos dicitur , alibi [6] *Custos pretiosi loculi Virginis S. Luciae* appellatur , et [7] *ad Eccl. loculique S. Virginis Luciae* Custodiam *relictus* .

Atque huc afferendam esse duco celebrem Inscriptionem in Plebatu S. Severi Leguiensis repertam , quae est hujusmodi .



1 can. VIII. 2 in not. Martyr. d. 6. Jun. V. Ducangium in descriptione S. Sophiae p. 596 , et in CP. Christ. p. 75.
3 in actis SS. Ord. S. Bened. Sec. I. p. 349.
4 T. I. §. VIII. p. 83.
5 et apud Anastasium in S. Leone I. p. 27.
6 n. VI. in T. III. Mart. Bolland. p. 837.
7 num. IX.

Joseph M. Brocchius [1], ac Florentinus Ephemeridista [2] syglam MART. Raiberti *Martyrium* indicare contendunt. Verum Edm. Corsinius [3], cui suffragatus est Franc. Ant. Zaccaria [4], pluribus argumentis probavit, *Martyrarium* ibidem omnino legendum esse, *Aedituum* nimirum, aut *Martyrum reliquiarum Custodem*. Nam, etsi frequentius *Martyrarii* vocabulum, apud Gallos in usu fuisse vidimus, tamen vel in Italia quandoque usurpatum fuisse nonnulla demonstrant exempla, ac praesertim codex Capituli Pistoriensis, ubi in Pontificum Catalogo Victor II. *Martyrarius* fuisse traditur. Quid etiam, si femina, quae singulari cultu loca, ubi *Martyrum* exuviae quiescerent, prosequeretur, aut custodiret, in veteri Christianorum monumento, haud dissimili notione, *obsequiis Martyrum devota* fuerit nuncupata? Quorum inter obsequiorum genera unum praecipue commemorat Theodoretus *factitatum a multis mulieribus, quae Domino crediderunt. Consueverunt enim in divinis penetralibus oleo perfundere Basilicarum Cancellos, et* SS. Martyrum *loculos*. Inscriptio est hujusmodi [5].

MANDROSA . HIC . NOMINE . OMNIVM GRATIA
PLENA . FIΔELIS . IN XPO . EIVS MANΔATA
RESERVANS . MARTYRVM OBSEQVIIS DEVOTO TRANSEGI
FALSI SECVLI VITAM VNIVS VIRI CONSORTIO
TER QVINVS CONIVNCTA PER ANNOS
REDDIDI NVNC DOMINO RERVM DEBITVM COMMVNEM
OMNIBVS . OLIM QVAE VIXIT ANN. PLM
XXIII. DP. VIIII. KAL. FEBRVARIAS CONS
AGINANT . FAVSTI . V. C.

1 Descrizione della Provincia del Mugello, con la carta Geografica del medesimo. Firenze 1748. p. 139.
2 an. 1749. p. 17.
3 de Notis Graecor p. LVII. LXII. LXIII.
4 St. Letter. d'Ital. Ven. 1750. T. I. p. 139.
5 ex Schedis Smetianis Fl. Fr. de Hauteserre a Salvaizon. in notis, et animadversion. ad Fulgentium Ferrandum. in T. 2. Thes. Meermanni p. 195.

§. xiiI.

De Matriculario, Marrelario, Meragulario, et Mariglerio.

Praeter egenos, qui *matriculae pauperum inserti*, ut loquar cum Gregorio Turonensi [1], *Matricularii* appellabantur, plures erant Clerici, qui praesertim in Eccl. Cathedralibus, et Collegialibus, *Sacristae* obnoxii esse debebant, quique *Matricularii* dicebantur [2], quod item eorum nomen in censum Eccl. *Matriculae* relatum esset. Eorum munia ita persequitur Hist. Episcoporum Antissiodorensium [3]. Sacrista *providere tenetur, et exhibere Clericum unum* Matricularium, *et alios, qui Campanas pulsare, et ea, quae ad officium suum pertinent, valeant exercere*. Similia habet hist. Eccl. Meldensis, quae sic *Matriculariorum* officia describit [4]. *Habebunt..... curam pulsationis campanarum temporibus, et horis debitis; custodient Eccl. Meldensem, et res ipsius Eccl. nocte, dieque, ac in eadem Eccl. assidue pernoctando jacebunt; ad processiones in Eccl., et extra praeibunt, et alia facient ad praeceptum, dispositionem, et ordinationem Thesaurarii Meldensis*. His concinunt Statuta Eccl. Apiciensis [5], ubi haec adnotantur. Matricularius *omni die matutinis, Missae, et Vesperis ad pulsandum Campanas Chori, stellam illuminandum, vestimenta, et alia necessaria, prout suo incumbit officio, ministrandum incessanter per se, vel per alium substitutum teneatur interesse*.

Item eorum officia referunt Statuta ms. Eccl. Lugdunensis, quorum haec sunt verba [6]. *Statutum etiam fuit, quod* Sacrista *poneret* Matricularium, *qui custodiat Eccl. die,*

1 lib. viI. cap. xxix. V. Martinum Lipenium de Strenarum Hist. in T. xiI. Thes. Graevii p. 474.

2 in Tom. viI. act. SS. Ord. S. Bened. p. 423. 477. 562.

3 cap. LIX.

4 T. iI. p. 102.

5 an. MDCX.

6 T. iiI. Martene p. 645, et T. iI. Gloss. Carpentier pag. 1201.

ac nocte . . . . . Matricularius *etiam custodit clavem unius archae , in qua reponuntur vestimenta Sacerdotalia ad opus Missae majoris Altaris . . . . Habet etiam in custodia omnem thesaurum , quando ponitur super Altare in solemnitatibus . . . . item tenetur custodire* Matricularius *omnia , quae infra Eccl. sunt . . . . clavem librorum , qui sunt necessarii ad opus servitii Eccl. Officium* Matricularii *est illuminare , et extinguere omnia luminaria . . . . tenetur etiam* Matricularius *facere officium , quod pertinet ad ipsum , in propria persona , nec debet , nec potest Vicarium ponere , nisi sit Diaconus , vel Presbyter , in officio suo , sine caussa apparente , scilicet aegritudinis , vel minutionis , et semper debet esse paratus respondere cuiquam venienti , et quaerenti se pro aliqua necessitate . Omnibus horis tenetur in Eccl. inveniri , sine maxima necessitate . . . . Item debet habere diligentiam circa pulsationem campanarum , ut bene , et sine defectu pulsentur , et ipse debet pulsare , si necesse fuerit , et nisi fecerit , gravissime debet puniri .* Heic vides conjunctim exposita quaelibet *Matricularii* munia , quae *Matriculariatus* nomine generatim veniebant , ut probant illa verba Aresti Parlamenti Paris. ann. MCCCXCI. [1] . *Quem censum* Matricularii *Eccl. Parisiensis ad causam sui officii* Matriculariatus *se habere . . . . . praetendebant .*

Audi nunc eadem singulatim enarrata apud alios Scriptores . In altero Aresto anni MCDXI , die XII. Martii , nonnullis injungitur [2]. *Pro conservatione SS. reliquiarum in Sacra Capella cum* Matriculariis *nocturnare , et incubare .* Haec etiam legimus de iisdem in Chartulario Eccl. Carnotensis anni circiter CCC. [3] . *Ipse cogus debet . . . . ponere tabulam ligneam , quae est sub pedibus* Matriculariorum , *quando te-*

1 T. VIII. Arest. et apud Carpentier.

2 T. IV. Martene p. 281.

3 T. II. Monum. Sacr. ant. p. 446 , et in T. II. Gloss. Carpentier p. 1176.

nent Sanctam Capsam prope Altare , et extendere desuper unum Marchipedium sub pedibus Sacerdotis . Item Statutum ms. Ecclesiae Tull. ann. MCDXCVII. jubet [1], *ut medullam administrent* Matricularii *ad usus Lampadarum* . Atque alibi [2]. *Magna Crux portetur a* Matriculario *Presbytero cum velo impendente in rocheto telari strictis manicis, discalceato , seu nudis pedibus* . Charta vero anni MCCXXXII, inter probationes hist. Antissiodorensis monet [3], *ut diebus festivis , quibus grossi soni pulsantur* , Matricularii *omnes in Eccl. jaceant* . Antiquum rituale S. Martini Turonensis de lotione pedum , seu de mandato Canonicorum haec profert [4]. *Post prandium discooperiantur Crucifixi , et post vadit Seneschallus ad domos Priorum in ordine , et ante portam remota cappa chori , quam unus ex* Matriculariis *tenet , cum malleo percutit in tabella* . Statutum S. Capellae Bituricensis an. MCDVII. ex Bibl. regia jubet [5], quod *pro dicendis matutinis a festo S. Remigii usque ad Pascha* , Matricularii *distribuent quatuor Lectrinis Capellanorum , et Vicariorum dictae Capellae quatuor candelas , nuncupatas fiat* .

Chartularium Eccl. Carnotensis anni circiter CCC. [6] haec alia praescribit . *Debet etiam* Matricularius . . . . *deferre cereum , qui Grimandus vocatur , quem debet accendere , et ponere super Candelabrum ferreum inter chordas Campanarum , antequam matutinae incipiantur , et etiam ante Completorium* . Statutum vero Capituli generalis ejusdem Eccl. ann. MCDXLVIII. sanxit [7], ut *a vigilia omnium SS. usque ad Pascha* , Matricularius *intrans in septimanam debet habere pelliciam cum belveria de griso* , nimirum amictus parte , qua Canonici in hyeme caput tegebant .

1 fol. 95. et in T. II. Carpent. pag. 1215.
2 fol. 30. et in T. III. ejusd. Gloss. p. 968.
3 p. 52. col. 1 , et in T. III. Gloss. p. 829.
4 T. xI. et in T. II. Gloss. p. 853.
5 T. II. Gloss. Carpentier p. 421 , et 1020.
6 ibid. p. 241. et 1002. 7 ib. T. I. p. 513.

Praeterea sententia anni MCCLXXXII, ad calcem Necrologii Parisiensis [1] jussit, *quod omnes* Matricularii *Eccl. Parisiensis . . . . . in omnibus, et singulis, quae pertinent ad custodiam totius Eccl. Paris. excepta illa particula, quae dicitur Presbyterium, sive Capitium*. Nominantur etiam in charta anni MCCLII. Matricularii [2], *seu Thesaurarii, et alii Parreciani Eccl. Parochialis B. M. Magdalenes Civitatis Parisiensis*. Atque in Statuto Ecclesiae Colleg. S. Dionysii Leod. anni MCCCXXX. [3]. *Chorales*, Matricularius, *Bastionarius*, *Organista*.

Praecipue vero memoranda est ludicra quaedam caeremonia ab Ecclesiasticis viris pie instituta, qua tum Ecclesiae, tum Imperii primores, choream ducentes, alternis vicibus sensim a chorea evanescebant, ut mortem a singulis suo ordine oppetendam esse significarent. Hujusmodi ritus ita fit mentio in veteri cod. ms. Eccl. Vesontiensis [4]. *Sexcallus solvat D. Iohanni Caleti* Matriculario *S. Ioannis quatuor simasias vini per dictum* Matricularium *exhibitas illis, qui choream Machabaeorum fecerunt* 10. *Iulii* 1453. *super lapsa hora Missae in Ecclesia S. Ioh. Evangelistae, propter Capitulum provinciale Fratrum Minorum*. His etiam addam singularem usum alicubi receptum, prius quam Valetudinaria proli incertorum Patrum tollendae statuerentur, ut liberos, plerumque Δέρια, sive δέραια, quo agnosci possent, appensa praeferentes, seu cum crepundiis, quae a Graecis γνωρυζματα, sive Σπάργανα, a Terentio *monumenta*, et a Salviano *pannorum crepundia* dicuntur, vel ab egenis parentibus, vel a scortis, designato loco expositos, Eccl. *Ma-*

1 in T. I. Gloss. Carpentier p. 795.
2 in reg. LXXXI. Chartoph. Reg. ch. 109. et in T. III. Gloss. Carpentier p. 1009.
3 In T. I. Gloss. Carpentier p. 488.
4 in Mercur. Fran. Mens. Septembris anni MDCCXL. p. 1195, et in T. II. Gloss. Carpentier p. 1103.
5 Dio Chrysost. de Regno Diss. IV. p. 63.

tricularius colligeret. Vnde etiam in glossis graeco latinis infans sic expositus *collectitius* Σύλλεκτος nuncupatur [1]. Rem accipe a Vandalberto Diacono, qui circa tempora Ludovici Pii eximia eruditionis laude floruit in Prumiensi Monasterio. *Moris*, inquit [2], *tunc Trevirorum erat, ut quum casu quaelibet femina infantem peperisset, cujus nollet sciri parentem, aut certe quem prae inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum Parvulum in quadam marmorea concha, quae ad hoc ipsum statuta erat, exponeret, ut in ea quum expositus infans reperiretur, existeret aliquis, qui eum provocatus miseratione susciperet, et nutriret. Si quando igitur id contigisset*, Custodes, *vel* Matricularii *Eccl. puerum accipientes quaerebant in populo, si qui forte eum suscipere nutriendum, et pro suo deinceps habere vellet; ubi vero ad eam rem sese offerret aliquis, infans, qui esset expositus, Episcopo deferebatur, et ejus privilegio authoritas nutriendi, habendique Parvuli ei, qui a* Matriculariis *susceperat, firmabatur*. Id ipsum in vita B. Goaris diserte confirmatur hoc modo [3]. *Consuetudo erat, ut quando aliquis homo de ipsis infantibus projectis, misericordia motus, vellet curam habere, ab illis, quos Nutricarios vocant*, Matricularius *S. Petri compararet, et illi*

1 V. Ger. Noodt de liberorum exposisitione, et nece apud veteres. Lugdun. Bet. 1700. 4. Corn. van. Bynkershoek de jure occidendi, vendendi, eeponendi liberos apud Romaoos. in ejusd. Opusc. verii argumenti. Ibid. 1752. 4. Petitum misc. Obsarv. p. 163. Potterum Archaeol. Greec. lib. IV. eep. etv. Keyslerum antiq. Septemtr. p. 333. Joh. Christ. Stissarum de liberis exposititiis. Halmst. 1677. et Quedlinb. 1718. Joh. Christ. Fravendorfium de iniqua liberorum aeposit. Lips. 1692. Jer. Zengium de eepositione infantum, ajusque poene veteri. Gissae 1713. Matth. Mullerum de eepositione infantum. Altor. 1727. Car. Frid. Heinzium de eo, quod justum est, airca expositionam infentum. Lips. 1731. et Henr. Aug. Zeibichinm de more graecos infantes exponendi. Witt. 1753.

2 in Annal. Trevir. VIII. p. 407, et 441. Lindebrog. in Gloss. V. *expositi*. Joh. Phil. Dattius de venditiona liberorum apud Gentas permissa olim, ac recepta. Vlman 1700. 8. et in T. II. Thes. Meermanni p. 661.

3 c. X. in Surii vit. SS. d. VI. Jul. p. 112. in actis SS. Ord. Ben. Sec. II. p. 281. et in Jul. Bolland. T. II. p. 337.

Episcopo ipsum infantem praesentare deberent, *et postea Episcopi auctoritas eumdem hominem de illo nutricario confirmabat*.

Idem *Matricularii* officium *Sacristae* subjectum, vel in Monasteriis exstabat, quod ita describitur in libro Ordinis S. Victoris Parisiensis [1]. Sacrista *Socium*, *et Coadjutorem habere debet* Matricularium *Eccl.*, *ad cujus officium specialiter pertinet*, *horas Canonicas*, *nocte*, *et die ad divinum officium celebrandum custodire*, *signa pulsare*, *horologium temperare*, *ad matutinas*, *et in aestate post meridianam*, *ad excitandos Fratres in dormitorio nolam pulsare*, *ostia Eccl. statuto tempore claudere*, *et aperire*, *et his*, *qui vel ad januas Eccl.*, *vel chori pulsant*, *ad eorum caussam cognoscendam occurrere* .... Matricularius *adjuvare debet* Sacristam *in Eccl. scopanda*, *in lampadibus lavandis*, *et praeparandis* ..... *in Eccl. tres semper ad minus dormire debent*, *videlicet* Sacrista, Matricularius, *et tertius*, *cui Abbas injunxerit*. His concinunt Constitutiones Ordinis Vallis Scholarium [2]. *Capitulum non pulset* Matricularius, *sine Prioris licentia*. *Si autem horam praeteriisse prospexerit*, *hoc Praelato poterit intimare*. *Ad alias horas praeceptum Prioris non exspectet*. Matricularius *in adjutorium sit* Sacristae. Atque alibi [3]. *Caveat* Matricularius, *ne dum fratres in locutione fuerint*, *transeat hora pulsandi*. His adde Sugerium [4], et Bernardum Monachum in Ordine Cluniacensi [5].

De hoc igitur loquutum esse puto Ordinarium Tullense praescribens [6], *ut Socius Sacristae*, *et Presbyter S. Maximini induti albis*, *et Cappis portent feretrum*. Atque ali-

1 c. XXIII. apud Martene T. III. de ant. eccl. rit. p. 739.

2 §. xl. de Matriculario p. 119. T. II. du Voyage litteraire des deux religieux Benedictins.

3 §. xl. de hora locutionis p. 124.

4 de administratione sua cap. v, et in Charta apud Doubletum p. 874.

5 par. 1. cap. LXVIII.

6 T. IV. Martene p. 443.

bi [1]. *Famulus Sacristae ab eodem Sacrista missus praecedat ad Eccl. S. Stephani, portans sex albas de honestioribus, et sex cappas sericas de melioribus.*

Praeterea scias, velim, *Matricularii* nomen in *Meragularii*, *Marcaclarii*, *Marrelarii*, et *Mariglerii* vocabula identidem degenerasse. Nam legitur in ordinario Cabilonensi apud Martene [2]. *Diaconus, et Subdiaconus inter se plicant vestimenta sua*; Meragularius *praestat auxilium Sacerdoti*. Necrologium vero Fratrum minorum Silvanect. [3], haec adnotavit. *Obiit Magister Ioh. dictus Dionise* Marcaclarius *B. Mariae de Silvan. sepultus in claustro juxta Ostium portae*. *Marrelarium* exhibent charta Eccl. Aniciensis anni MCCCXII, et Statuta Eccl. Massiliensis anni MCDLXXII. [4] Haec enim jubent. Marrelarii *non teneant Campanas erectas, nec illas virent, sub poena denariorum* IV. Ac denique in Chartulario S. Martini Augustodunensis *Mariglerius* occurrit [5]. *Sciendum est, quod de Marigleria ipsius Eccl. quia Abbatis est, et ipse debet* Mariglerium *ponere, et mutare*.

§. XIIII.
De Ostiario.

Amalarius Fortunatus Episc. Trevirensis [6], aliique, *Ostiarios* a veteri Testamento exordium habuisse contendunt. Huic certe opinioni indulsisse videtur S. Isidorus Episc. Hispalensis, qui haec docere non dubitavit [7]. *Ostiarii sunt, qui in veteri testamento janitores Templi, qui praeerant portis Templi Hierusalem, quique ordinati per vices suas omnia interiora Templi, vel exteriora custodiebant*. Quid igi-

1. ibidem p. 598.
2. T. I. de ant. Eccl. rit. p. 615.
3. apud Ducange T. IV. p. 281. et Mecrum in Hierolexico T. II. p. 22.
4. apud Ducange ibidem p. 305.
5. in T. II. Gloss. Carpentier p. 1183.
6. lib. II. de eccl. officiis cap. VIII.
7. lib. II. cap. XIV.

tur mirum, si Ivo Carnotensis Episc. [1] opinatus fuerit, *Ostiariorum* munus a Christo Domino initiatum fuisse, quum eversis numulariorum cathedris, vendentes, ementesque flagello de Templo ejecit? Quanti vero hujusmodi sententiae faciendae sint, unusquisque videt.

Ceterum in Constitutionibus Apostolicis [2] *Ostiarii* memorantur, et S. Ignatius M. in epistola ad Antiochenos etiam *Ostiarios* salutat. Praeterea insignis epistola Cornelii P. ad Fabium Episc. Antiochenum apud Eusebium [3] LII. *Ostiarios* in Eccl. Romana aevo suo exstitisse tradit, qui graece πυλωροὶ dicebantur. Eorum quoque meminerunt Cyprianus [4], Epiphanius [5], et Conc. Laodicenum [6].

Horum officia, praeter ea, quae de eorum ordinatione habent Ordo Rom., Liber Sacramentorum S. Gregorii, Pontificale Rom. [7], et Conc. Chartagin. IV. [8], aliique [9], ita enumerat Isidorus junior in epistola ad Luitfredum. *Ad* Ostiarium *pertinent Claves Eccl., ut claudat, et aperiat Templum Dei, et omnia, quae sunt intus, extraque custodiat, fideles recipiat, infideles, et excommunicatos rejiciat*. Quae quidem excepit I. Mediolanense Concilium, ubi jussit [10]. *Ostiarius fores Eccl. custodiat, bruta denique, Canesque expel-*

1 de excellentia Sacrorum Ordinum, et de vita ordinandorum.
2 lib. II. cap. XXV.
3 lib. VI. cap. LVIII. apud Eusebium p. 6.
4 epist. XXIV.
5 in expositione fidei Catholicae n. XXI.
6 cap. XXXIV. T. I. Conc. p. 150.
7 T. I. p. 75. 76. 77. T. II. 54. T. III. p. 159. edit. Catalaui.
8 cap. IX.
9 Isidorus Senior lib. II. de Eccl. c. XIV. Alcuinus de divinis Offic. in cap. de Eec. Ordine, et in cap. de Tonsura Clericorum. Rabanus. l. I. c. CLXXV. Honorius August. l. de Sacram. Altaris c. I. Stephanus Episc. Eduensis. lib. II. de Haeretic. cap. VIII. Hugo Archiep. Rotomagensis. Gillebertus Episc. Lunicensis. de usu Ecclesiastico. Canones Helfrici Saxonici. cap. XI. ad Vulfinum Episcopum. Vita S. Theolonii. num. IV. Ordo Eccl. Ambrosianae. Tom. IV. antiq. Ital. Murator. col. 863. Menardus. p. 272. Suaresius ad S. Nili opuscula. p. 669. Jos. Vicecomes. de ritibus Missae c. XXVIII.
10 par. III. tit. XLVI.

Digitized by Google

lat [1]. Atque hinc eos Eginhardus in vita Caroli M. *janitores* appellat.

§. XV.

De Paramonario, et Pridiano.

Etsi cum Manutio, Gothofredo, Cujacio, Suicero, Vossio, Beveregio, et Maurinis fatendum sit, *Paramonarii* vocem pro Templi, seu *Monasterii* administratore, aut Oeconomo interdum usurpatam fuisse, ut Canon Concilii Chalcedonensis [2] ostendit, sive etiam, ut placuit Justello [3], pro Villicis, sive Actoribus possessionum indicandis, tamen inficiari nemo poterit, vel ad *Mansionarios* indicandos inserviisse. Nam Hist. inventionis Corporis S. Prisci apud Vghellium in Episcopis Frequentinis ita loquitur. *Sacerdos quidam Marcus nomine, qui etiam* Paramonarii *gerebat officium, et praedictam ejusdem civitatis Eccl. custodiebat*. Hic idem Marcus paullo infra *Custos S. Ecclesiae* nuncupatur. Item *Georgius* quidam, qui apud Leonem Ostiensem [4] *Mansionarius* dicitur, *Eccl. Paramonarius* apud Petrum Diaconum Casinensem [5] appellatur. Hisce addas Observationes praevias ad vitam S. Richardi Abbatis Virdunensis in Lotaringia [6], Vitam S. Gerardi Abbatis [7], et Conc. CP. sub Menna [8].

Verum si de hujusce vocis sensu ambigendum minime est, nescio, an item de hac altera, quae occurrit in translatione S. Iudoci Presbyteri, et Confessoris [9]. *Corpus vero*

1 Vrb. Godfr. Siberi Dietribe de Cane e Templis exterminando. Lips. 1711. 4.
2 cap. II. T. IV. Conc. Labb. p. 755.
3 T. I. Bibl. Juris Canon. T. I. p. 91.
4 lib. III. cap. XXVI.
5 in relat. de Corpore S. Benedicti n. II. et XX. et in Macri Hierol. T. II. pag. 167.
6 Sec. VI. annal. Bened. par. I. p. 546. et in T. II. Junii Bolland. p. 974.
7 Sec. V. annal. Bened. num. XX. p. 266. et apud Surium d. 3. Oct. p. 18.
8 act. V. et VII. Synod. act. VII. Can. V.
9 Sec. VI. Ann. Bened. p. 545. et ap. Sur. d. 14. Dec. p. 264. et in Mac. Hier. T. II. p. 256.

S. Iudoci . . . . intra Eccl. quaerere coepit, et insinuante Pridiano *Sigemano, ad dexteram Altaris S. Martini Sarcophagum invenit . . . . post Missam jussu Sigemani* Aeditui *foras asportatus est*. Extrema haec verba Mabillonium adduxerunt, ut crederet *Pridianum* pro *Aedituo*, aut Eccl. *Custode* esse accipiendum. Quid tamen *Pridianus* ad *Aedituum*? Jure igitur Maurini [1] conjiciunt, *Pridianum* alterum Sigemani nomen fuisse, quin ibidem ejus officium indicari, putandum sit.

§. XVI.

De Sacellano, Sacricustode, Sacriscriniario, Sacriscrinio, Sacristano, Sacristiano, Sanctuario, Sarcitecto, Segrestano, Segrestario, Segristite, Superista, et Superstante.

Huc etiam faciunt, quae supra [2] de *Capellanis* attulimus, pro quibus indicandis *Sacellani* vox subrogata fuit in Monumentis sacr. antiquit. [3], et in charta Henrici VIII. Angliae Regis anni MDXXXI. [4] quae sic inscribitur. *Dilecti nobis Ioannis Oliver legum doctoris* Sacellani *nostri*. Ibi enim paullo infra semel [5], atque iterum [6] idem Johannes *Capellanus* nuncupatur. Praeterea nota sunt illa Caeremonialis Benedictinorum, ubi narratur [7]. *Fuit quidam Papa, quì dum in extremum venisset, interrogabat* Sacellanum *suum, virum idoneum, et devotum, quem plurimum diligebat, quibus suffragiis post mortem eum vellet apud Deum juvare*. Nil autem dicam de *Magno Sacellario*, et *Sacellario Minori*, quorum diversa erant munia a Codino [8], Pachymere, aliisque [9] illustrata. *Sacricustodis* nomen pro *Sacellano* identidem usurpatum fuisse constat ex donatione Abbatiae

1 in Ducangii Lexico
2 pag. 448.
3 Tom. II. pag. 227.
4 apud Rymer. T. XIV. pag. 419.
5 pag. 421. 6 pag. 781.
7 edit. Rom. 1721. par. II. p. 80.
8 in explic. Offic. S. C. E. p. 313. et 314.
9 apud Joh. Cantacuzenum pag. 1042.

S. Michaelis de Coxano facta Monasterio S. Victoris Massiliensis a Guillelmo Comite Ceritano, ubi haec lego [1]. *Bernardus Iohannis Sacricustos, et Clericus*. Hoc idem munus *Sacriscriniarii* titulo designatum quandoque fuisse docet charta in appendice Capitularium Regum Francorum *per Seniofredum Presbyterum* Sacriscriniarium *suae Eccl. praedictae*. Hunc tamen *Sacriscrinium* nominant Gesta Synodi Aurelianensis an. MXVII. et Synodus Helenensis an. MXXVII. Prima enim habent [2]: *tunc causa sui itineris ... Ebrardo nomine Carnotensis Ecclesiae* Sacriscrinio. Altera vero inquit, *una cum Hellemaro* Sacriscrinio, *et Choraule*. His consonat Necrologium mss. Eccl. Parisiensis, ubi legitur [3]. VI. *Idus Maij obiit Girardus Sacerdos* Sacriscrinius *Sanctae Mariae*. *Sanctuarium* quoque nuncupatum fuisse testatur charta anni MCDXXXIX. ex Tabulario Archiepiscopi Rotomagensis [4], quod eidem praecipue demandata esset sacrarum reliquiarum custodia.

Verum *Sacristae* vocem clarius explicant *Sacristani*, *Sacristiani*, *Secrestani*, *Secristitis*, *Segrestani*, *Secrestarii*, et *Segrestarii* denominationes. Singularum exempla passim occurrunt. Praeter chartam anni MCXLVI. in probat. novae Hist. Occitanae [5], et Bullarium Cassinense [6], Chronicon Farfense memoriae tradidit, quod [7] *Ioh.* (filius Benedicti Comitis) *quodam anno in vigilia S. Mariae voti causa per suum Missum mandans*, 12. *solidos fecit ponere super altare ipsius, quod* Sacristanus *assumsit*, *et intra alia vota reposuit*. Insignia sunt loca, quae in vita B. Amadaei Confessoris

1 in vet. script. collect. Martene, et Durand. T. I. p. 538. et apud Ducangium.
2 CXLV.
3 In T. III. Gloss. Carpent. p. 673.
4 T. III. Gloss. Carpentier p. 693.
5 Tom. II. col. 516.
6 T. III. Const. 371. et in Macri Hierolexico pag. 296.
7 Tom. II. rer. Ital. Murat. part. 2. col. 551.

obversantur, quaeque sic habent [1]. *Dum in dicto Conventu* Sacristiae *ejusdem de Guadalupo deserviret, evenit, quod dum una die ipse Pater Amadaeus alteri fratri in eadem Ecclesia in celebratione Missae deserviret, et tempore purificationis Sacramenti vinum in urceolo deficeret, et ipse Pater Amadaeus non haberet tempus eundi ita cito ad* Sacristiam *pro vino habendo, quia longe erat, orationem ad Deum porrexit, ut statim de vino provideret; qua oratione perfecta, urceolus ipse statim plenus mirabili vino effectus fuit. De quo vino sic mirabili Sacerdos, qui eo vino postea in ea Missa usus fuit, finita Missa, multum cum* Sacristano *congratulabatur, dicens, se nunquam tam mirabile vinum gustasse; de qua quidem congratulatione ipse* Sacristanus *admirabatur, quia penitus hujus rei inscius erat; ipse vero Pater Amadaeus hujusmodi gratiam Deo referebat, nec tamen eam tunc aliter patefacere curavit*. Ab his alia duo, quae de eodem Amadaeo narrantur, minime dissocianda, atque ad hunc locum reservanda esse duxi, quae sunt hujusmodi. *Alia vero die, ut ipse Pater referebat, dum ad obsequia ipsius Ecclesiae, et* Sacristiae *se exerceret, et in altum pro quadam lampade aptanda in ipsa Eccl. adscendisset, cecidit ipse Pater, et in eo actu statim gloriosae Virgini Mariae se commendavit, et tandem sublevatus a terra remansit, ita quod terram, aut lapides non tetigit, nec ei aliquod nocumentum fuit: quam gratiam ipse Pater referebat esse divinam, non humanam. Altera etiam die, dum idem Pater ad obsequia ipsius* Sacristiae *deserviret, et in sero multis negotiis valde implicitus esset, quamdam candelam cerae accensam armario ligneo in ipsa* Sacristia *fixit, qua fixa, et consumpta, taliter igne urebatur Armarium ipsum, quod vix posset ignis extingui; quod videns*

1 in actis ejusd. vitae in T. II. Aug. Bolland. p. 576. V. p. 579. de salute aegrotanti Sacristae ab eo impertita.

ipse Pater valde contristabatur, quia solus erat, et non videbat modum ignem extinguendi, quum aquam ibi non haberet; Ecclesia vero esset clausa; et nesciens aliter huic rei providere, statim ad beatissimam, gloriosissimamque Virginem Mariam se commendavit; et ecce statim duo juvenes, quos credidit Dei Angelos esse, in nocte ipsa, et Ecclesia tota clausa, mirabiliter apparuerunt cum aqua, ex qua statim ignem extinxerunt, et tamen in ipso Armario sic adusto nullum signum adustionis remansit, quam ipse Pater gratiam divinam fuisse reputavit.

Sic et *Sacristanam* vocabant, quae apud Moniales *Sacristiae* praeerat. Nam in Tabul. Albini Andegav. memoratur *Concordia inter R. Abbatem S. Albini, et Mariam Abbatissam S. Sulpitii, teste Annete* Sacristana *S. M. Andegavis*. Item charta anni MCDIII. exhibendum monet *dominae* Sacristanae *unum justial vini, dum fit communicatio*. Eadem *Sacristiae*, et *Sacristissae* titulis, ut vidimus, quandoque indicata, et *Sacristaria* identidem dicebatur, ut probat vita B. Coletae, Reformatricis Ordinis S. Clarae, ubi legimus [1]. *Nam* Sacristaria *conventus, quae pulsare pro Matutino debebat*. Eademque notione, in Charta Gislae Abbatissae Romaricimontis a Mabillonio [2] laudata, *Segresta* nuncupatur.

Eamdem *Sacristani* vocem, litera adjecta, exhibent literae an. MCDX. apud Ludewig [3]. *Nos fratres Wenceslaus de Zbirou Prior dictus Machko, Stephanus Subprior, et ibidem* Sacristianus. *Secrestani* titulus occurrit in charta Barth. Episc. Laudunensis an. MCXXXIII. ex Chartulario S. Vincentii Laudunensis [4]. *Segrestanum* vero habet Tabularium S. Petri de Cella Froini in Comit. Engolism. *Audientibus, et videntibus G. Capellano, et Ar.* Segrestano; quemadmodum *Se-*

1 ap. Sur. d. VI. Mart. p. 56. et in T. I. Mart. Boll. p. 574.
2 T. III. Annal. Bened. p. 614.
3 T. VII. reliq. MSS. p. 66.
4 cap. 36. et in Gloss. Carpentier p. 742.

crestarium profert Lib. nig. II. Eccl. S. Wilfridi Abbavil [1]. *De hoc redditur* Secrestario *S. Petri duos solidos, et duos capones ad Natale*; et *Segrestarium* nominat usus culturae Cenoman. Segrestarius *debet providere, ut cum luce fiant omnia..... Segrestarius praeparet in virga ante Altare* XIII. *cereos*. Praeterea Ordo Eccl. Ambrosianae *Aedituum Sarcitecti* nomine indicatum fuisse probat hujusmodi verbis [2]. *In vigilia Pentecostes* Sarcitectus *emundat fontes*. Et paullo infra [3]. *Cum Capellano ejusdem Eccl. et cum* Sarcitecto *mundatore fontium, et rector honeste insimul reficiuntur*. *Secristitis* etiam vocabulum leges in charta anni circiter MCXXX. ex Chartulario Stirpensi [4]. *Unde Gaufridus de Monza cepit mulam ferrandam cum sella, et freno, et Aimricus, et Amelius montis Cuculi ceperunt inde* Secristitem *nostrum, et valuit* LX. *sol., quod perdidimus*. Atque hinc hoc idem munus, nunc *Sacristaria*, aut *Sacristania*, nunc *Sacristeria*, *Sacristeriatus*, aut *Sacristariae obedientia*, nunc etiam *Sacristura*, aut *Segrestania* [5] appellatum fuit. Fortasse enim loca nonnulla a nobis superius allata de ipso *Sacristae* munere, potius quam de *Sacristia* interpretanda sunt.

Saepius autem Sacellanos *Superistas* vocabant. Nam legimus in Annalibus Francorum Lambecianis an. DCCCLXXXII. [6] *Quidam Gregorius nomine, quem Romani* Superistam *vocant, dives valde, in Paradiso* S. *Petri a Collega occisus est*. *Stephanus Sacellarius, et Paullus* Superista ab Anastasio nominantur in vita S. Hadriani [7]. Occurrit apud eumdem in Leone IV. [8]. *Gratianus Magister militum, et Rom. Pa-*

1 fol. 39. et in Gloss. Carpentier p. 743.
2 T. IV. antiquit. Ital. Murat. col. 901.
3 ibid. col. 902. et in T. III. Gloss. Carpentier pag. 699.
4 in reg. III. Armor. general. par. I. et in T. III. Gloss. Carpentier p. 744.
5 Vide, si lubet, exempla apud Ducangium in Glossario.
6 lib. II. Comment. de Caesar. Bibl. pag. 353.
7 p. 100. et in Macri Hierol. T. II. p. 746.
8 p. 199.

latii egregius Superista, *et Consiliarius*, et in Benedicto III. idem *Gratianus sacri* Superista *Patriarchii* nuncupatur. Adde, quae refert hist. translationis S. Sebastiani [1]. *Erant.... et dignitati Apostolicae sedulo assistentes Quirinus* Superista, *Theophylactus Nomenclator*. Praeterea Luitprandus inter proceres Vrbis recenset [2] *Stephanum filium Iohannis* Superistam. Ex quibus Ducangius emendandam censet veterem inscriptionem apud Puricellum in Zodiaco Mediolanensi [3]. *Guillelmus de Pomo* Superstes *hujus Eccl. hoc opus, multaque alia fieri fecit*, ubi legendum *Superistes* arbitratur. Porro sic etiam efferenda esse puto, quae apud eumdem habentur [4]. *Si Dom. Archiepiscopus ponit ibi* Superstantem, *etsi non potest reficere superstans ille Ecclesiam..... Ego credo, quod sit ibi* Superstes *per Dominum Archiepiscopum*. Heic autem *Sacristam* quoque *Superstantem* dictum fuisse apparet, cujus domus *Superstantiaria* vocabatur, uti adhuc testatur lapis insculptus in parva aede prope Basilicam S. Stephani Mediolani, quam se legisse narrat Sianda [5].

§. XVII.
De Thesaurario.

Nemo est, qui ignoret, opes ad pauperum inopiam sublevandam, et sacram supellectilem comparandam collectas, *Thesauri* nomine fuisse indicatas [6]. Id enim, praeter Capitulare v. Karoli M. anni DCCCVI. [7], ubi cautum est, ne Judaeis, aliisque negotiatoribus sacrae supellectilis *Thesaurus* venumdetur, et Capitulare Ludovici Pii anni DCCCXVI. [8], quod vetat, ne oppignoretur, abunde te-

1 cap. IV. in T. II. Januar. Bolland. p. 278. et in actis SS. Ord. Bened. Sec. IV. P. I. p. 383.
2 lib. VI. cap. VI.
3 par. III. p. 378.
4 p. 1113.
5 in Onomastico.
6 Sarnelli del significato della parola Tesoro. in T. VII. Liter. Eccl. p. 74.
7 cap. V.
8 cap. XIII.

stantur veterum Scriptorum monumenta. Siquidem in veteri Chron. Monasterii S. Trudonis, supellex vasorum, et ornamentorum Abbatiae, S. *Trudonis Thesaurus* [1] appellatur; et in Chron. Virdunensis Monasterii Hugo Abbas Flaviniacensis animadvertit [2] *in* Thesauro *Eccl. haec addita sunt.* Item Chronica Andegavensia ann. MCLXI. habent [3]. *Ipso anno Tebaudus Comes Tebaudi Comitis filius cum magno exercitu militum, atque peditum Castrum vindocinum invasit, et obsedit. Qui priusquam ad Castellum accederet, spolia ejusdem Castri, et* Thesaurum *Monasterii S. Trinitatis commilitonibus suis verbo jam distribuerat, putans scilicet nullum sibi resistere posse*. Eadem voce utitur Chartularium de *nobilitate Eccl. Carnotensis* ad ann. circiter MCCL. [4]. *Ex parte Episcopi reservatae sunt, et in* Thesauro Eccl. *tamquam in sequestro, positae in quodam anulo perforatae duodecim peciae monetae, ad quarum instar, et aleamentum Comes tenetur facere monetam novam*. Monasticum Anglicanum a Rogero Dodsworth, et Guillelmo Dudgale editum saepe nominat *Thesaurum* S. Paulli Londinensis in Statutis Leichefeldensis Eccl. [5]. Praeterea Chronica Gaufredi Prioris Vosiensis Henricum II. Anglorum Regem a Monachis S. Martialis Lemovicensis petiisse narrant, ut [6] *ad horam thesaurum B. Martialis* commodarent, Monachosque renuentes *coegit Princeps dare thesaurum*.

Sed, ne extra Italiam vagemur, etiamnum pretiosa sacrorum donariorum supellex, quae in Templo S. Marci Venetiis adservatur, *Thesaurus* vocatur. *Thesauri* etiam nomine vulgo audiunt pretiosiora Fidelium anathemata, et Virgini oblata Principum donaria in aedem Lauretanam

1 T. vII. Spicil. Dacherii p. 349.
2 T. I. Bibl. nov. MSS. Labb. p. 246.
3 ibid. p. 290.
4 T. I. Gloss. Carpentier p. 148.
5 T. III. p. 241. 250. 337.
6 T. II. Bibl. MSS. Labb. p. 335.

Digitized by Google

congesta, quemadmodum sacra gaza divino cultui devota in aliis etiam Vrbibus *Thesaurus* nuncupatur.

Quin etiam *Thesaurophylacium* [1], et *Thesaurarium* pro *Thesauro* indicando occurrunt: Narrat enim Augustinus [2]. *Inveniunt numos, et ponunt in* Thesaurario. Et in vita Burchardi Episc Wormaciensis [3]. *Tunc Principes, qui aderant, intrantes* Thesaurarium, *et Cameram, ubi putabant pecuniam reconditam, diligenter angulos omnes perscrutati sunt.* Hinc ejusdem *Thesauri* praesides, ac praefecti *Thesaurarii*, sive *Arcarii* dicebantur [4]; id quod vel apud Hebraeos factum fuisse legimus in Templo Hierosolymitano, ubi tres Sanctuarii Quaestores, *Thesaurarii Templi* [5] nuncupabantur.

Gaufridus *Thesaurarius* largitioni Guillelmi Aquitanorum Ducis subscripsit [6] anno MIV. atque alteri concessioni [7] Tetbaldi, et Gauterii cognomento Granerii Monasterio S. Mariae, et S. Cypriani, *regnante Roberto Rege*. Anno XIII. ejusdem Roberti Regis Francorum, in alia donatione Willelmi Aquitanorum Ducis, signum occurrit [8] *Gauzefridi Thesaurarii*. Itidem donationem Burchardi Corboliensium Comitis anni MLXXI. signavit *Durandus Thesaurarius* [9]; et in confirmatione Philippi Regis Francorum anni MLXXIX. pro Eccl. Bellovacensi legitur [10] *Signum Radulphi Belluacensis Eccl.* Thesaurarii. In designatione, atque incremento Canonicorum Eccl. S. Hilarii per Gotfre-

1 apud Martenium, et Ducengium.

2 enarr. in Psalm. XLVII.

3 apud Ducangium in Lexico.

4 Jean Lebeuf Lettre sur la forme des Batons des Chantres, et autres usages d'Eglise, qui paroissent empruntez du Paganisme. Sur les dyptiches des Payens. L'offrende des vases ornez de figures du Paganisme. Sur les Trésoriers de l'argenterie des Eglises, et les usages des anciens Trésoriers. dans le Merc. Franc. Janvier 1726. p. 17.

5 V. Misnam Shekalim T. II. Edit. Surenhusii p. 192.

6 apud Joh. Beslium in Comitibus Pictaviens. p. 354.

7 Ibid. p. 361. 363.

8 ib. p. 280. 380.

9 apud Andr. Duchesnium in appendice monum. ad genealogiam gentis Momoraciacee p. 25.

10 ibid. p. 29.

Digitized by Google

dum Aquitanorum ducem an. MLXXX. exstat subscriptio [1]. *Goscelini Archiep. Burdigalensis, et Thesaurarii S. Hilarii*, nec non *Rainaldi Thesaurarii*, qui eodem titulo, diplomati, seu literis Philippi I. Francorum Regis anno MLXVII. de Ecclesiae S. Martini in Campis prope Parisios dedicatione [2] subscripserat, suumque signum [3] apposuit in charta confirmationis Monasterii novi Pictaviensis per Philippum Francorum Regem anno MLXXVI. Transactioni inter Laudunensem Episcopum, et Hugonem Abatem Praemonstratensem ann. MCLVIII. interfuit [4] *Bartholomaeus Thesaurarius* Eccl. Laudunensis.

Praestationis cujusdam, quae *Thesaurario* S. Petri Insul. etiamnum sex manipulis persolvitur, meminit charta Balduini Comitis Flandriae anno MLXVI. inquiens [5]. *Dedit quoque praeterea* (Adela) *Bodium Eccl. de Deuslemont* Thesaurario.

De altero *Thesaurarii* jure loquitur charta an. MCCXCIV. in lib. nigr. II. Eccl. S. Vulfrani Abbavil. [6]. Thesaurarius *dicebat, et asserebat, vetera marena, seu ligna ejusdem Eccl. nostrae, quae propter nimiam vetustatem ..... de tecto, seu sartotectis Eccl. deponuntur ... ad ipsum* Thesaurarium, *ratione suae* Thesaurariae, *debere libere pertinere*. Adde Inventarium anni MCDXX. Eccl. Praemonstratensis [7], in cujus Thesauraria *invenerunt tres cupas argenteas deauratas, et pedatas .... tres pecias deauratas cum cooperculis, unde una pedata*. Itemque alibi [8]. *Dicebamus simplices cereos foramine carentes, et tortinos foramina habentes ad nos, ratione* Thesau-

1 apud Beslium p. 349. 350.
2 apud Duchesnium p. 22.
3 apud Beslium p. 366. pro 350.
4 apud Duchesnium p. 29.
5 ex Chartul. ejusd. Eccl. Char. I. et in T. I. Gloss. Carpentier p. 571.
6 fol. 65. et in Gloss. Carpen. T. III. p. 702.
7 Inter Prob. T. II. Annal. Praemonstr. col. 591. et in T. III. Gloss. Carpentier p. 218. et 223.
8 ibid. fol. 29. et in T. III. Gloss. Carpentier p. 1037.

qqq

rariae *nostrae pertinere*. Huc etiam fortasse referenda sunt, quae de *Thesaureria* habet tabularium Mont. S. Mich. [1]. *Item unas Botas Moniales recipiendas annuatim de manu Monachi de monte Doli in usus* Thesaurariae. Nam *Thesaurarii* dignitatem, ipsumque locum, ubi vasa sacra, aliaque pretiosior supellex in Eccl. *Thesauro* servabatur, *Thesaurariam* promiscue dictam offendimus. Posteriori notione pluries occurrit apud Rymerum [2], ac luculenter in Instrumento anni MCCCVIII, ubi legitur [3]. Thesaurum *Eccl. de ipsa Eccl. confractis seris*, Thesauraria, *manibus sacrilegis abstulerunt*. Itemque in computo anni MCCCLVI, quo summa quaedam indicatur a Clavario persoluta [4], *quatuor hominibus, qui fuerunt ad portandum tres magnos pannos... necessarios ad faciendum supracoelum in plano* Thesaurariae, *in die Eucharistiae*. Priori vero significatione in charta Philippi V. Fr. Regis an. MCCCXVIII. [5] et in Synodo Mexicana an. MDLXXXV, cujus verba mox afferemus [6]. Alterum *Thesaurarii* Compendiensis Eccl. jus prodit charta an. MCLXIV, quae notum facit [7], *quod inter Meldensem Episc.*, *et* Thesaurarium *Compendiensis Eccl.*, *Dominum videlicet Philippum fratrem Regis, diutina fuerat controversia de quadam annona, quam praefatae Compendiensis Eccl. Matricularii in decima Nantolii accipiebant. Siquidem Meldensis Episcopus annonam illam saisierat, quia de suo erat feodo, et praenominatus* Thesaurarius *ei hominium inde facere nolebat. Praedicta igitur controversia in hunc modum compositionis est terminata. Abbas Compendii, in cujus manus* Thesauraria *devenit, quia homi-*

1 T. I. Gloss. Carpentier p. 602.
2 T. II. p. 930. 1046. T. IV. p. 648.
3 T. V. Cod. Diplom. Polon. p. 32. col. 2.
4 inter Prob. T. II. Hist. Nem. p. 172. col. 2. et in T. III. Gloss. Carpentier p. 923.
5 apud Lobinell. T. III. Hist. Paris. p. 126. col. 2.
6 T. IV. Concil. Hisp. p. 385.
7 in Chart. S. Corn. Compend. fol. 174 r. col. 1. et in T. III. Gloss. Carpentier p. 1008.

nium facere non poteſt, Meldenſi Epiſcopo annuatim perſolvet in feſto B. Stephani menſe Auguſto decem ſolidos.

Sed ut e Galliis in Italiam revertamur, Aquilejenſis Eccl. *Theſaurarii* dignitate praefulſit usque ad Eugen. IV, qui reditus *Theſaurariae* literis Apoſtolicis an. MCDXXXVI. XV. Kal. Junii datis *Bertrando de Straſoldo* Theſaurario, impendi juſſit [1] *ad opus paramentorum, et ornamentorum, ac luminarium, et aliorum in eadem Eccl. circa divinum officium neceſſariorum*. Idem munus fuiſſe conſtat in Eccl. Mediolanenſi, ut, quum de *Cimeliarchis* agendum erit, oſtendemus. Verum quandoque etiam *Cuſtos* Theſaurorum *B. Ambroſii* nuncupatus fuit, ut patet ex literis Paulli Sacerdotis, et Gebehardi, VV. Religioſorum Eccl. Ratiſponenſis anni MXXIV. ad *Martinum Presbyterum, et* Theſaurorum *S. Ambroſii Cuſtodem*. Habuit etiam ſuos *Theſaurarios* Eccl. Beneventana, de quibus conſule antiquitates Beneventanas eruditiſſimi Joh. de Vita [2].

Age vero, quaenam eſſent ejuſdem muneris officia, propius inſpiciamus. Haec eadem omnino erant, atque illa, quae ad *Sacriſtam* pertinebant. *Theſaurarius* enim, *vel Sacriſta*, ut Ioh. de Deo [3] verbis utar, *idem eſt in officio, licet nomina ſint diverſa*. Iſidorus Hiſpalenſis in epiſtola ad Laufredum Cordubenſem Epiſc. eadem ita deſcribit [4]. *Ad* Theſaurarium *pertinet Oſtiarii Baſilicarum ordinatio, incenſi praeparatio, cura Chriſmatis conficiendi, cura Baptiſterii ordinandi, praeparatio luminariorum in Sacrificio, praeparatio ſacrificii de his, quae immolanda ſunt; ad eum veniunt de Parochis pro chriſmate; cereos, et oblationes Altaris ipſe accipit a populo, ipſe colligit per Eccleſias cereos in feſtivi-*

1 in monumentis Eccleſiae Aquilejenſis P. de Rubeis. Argent. 1740. T. II. fol.

2 Tom. I. pag. 406.

3 in Poenitentiario lib. V. cap. II.

4 lib. II. de Eccl. Off. c. XI. et in Macri Hierolexico pag. 622.

tatibus, ad eum pertinent ornamenta, et vestimenta Altaris; quidquid in usu Templi est, sub ejus ordinatione existit, vela et ornamenta Basilicarum, quae in urbe sunt, et non habent Presbyterum, ipse custodit. De candelis autem, et cereolis quotidianis quidquid superest in Basilicis, Basilicarius per singulos menses huic deportat. Audi Rodericum Zamocensem Episc. in speculo vitae humanae de iis fusius disserentem [1]. Thesaurarius, *sive Custos, praecipua quadam praerogativa, ac honoris praeeminentia in sacrosancta Eccl. fulget. Illorum enim dignitati, et officio, Basilicarum primo incumbit custodia, et tuitio, Ostiariorum institutio, luminarium incensio, et praeparatio, cura denique Baptisterii: vasorum quoque sanctorum, ac sacerdotalium vestium, necnon sacrarum reliquiarum, et tandem totius Eccl.* Thesauri *ad eum pertinet principalis custodia. Sed et inter ministros, pio modo obsequii, et personarum differentiis reditus, et oblationes dividit*. Roderici verbis plane consonant leges Alfonsi IX. Castellae Regis [2], et Synodi Mexicanae habitae anno MDLXXXV, ubi legimus [3]. Thesaurariam *creamus, ad quam Ecclesiam claudere, et aperire, campanas pulsare facere, omnia utensilia Eccl. custodire, lampades, et luminaria curare, de incenso, luminibus, pane, et vino, ac reliquis ad celebrandum necessariis, de redditibus fabricae Eccl. exponendis ad votum Capituli providere pertinebit*. Ex his autem vides, *Thesaurarii* officio curam Eccl. luminarium praecipue commissam fuisse, quae ex Hincmari epistola, et Conc. Coloniensis sanctione etiam apparet. Prima enim haec habet [4]. Thesaurarius *de luminaribus, et de aliis omnibus, quae ad Eccl. honestatem, utilitatem, atque salvationem, et ad suum ministerium pertinent, providentiam*

1 l. II. c. XVI.
2 Par. I. tit. VI. leg. VI.
3 T. IV. Conc. Hisp. p. 385.
4 epistola IV. ex Labbeanis.

Digitized by Google

gerant. Altera vero [1] ita praescripsit. Thesaurarii, *seu Custodes, quorum interest Eccl. luminaria ministrare, ea ita fideliter administrent, et generaliter omnis ecclesiasticae supellectilis, seu thesauri custodiam eorum fidei, atque curae commissam ita conservent fideliter, et solerter*. His consonant, quae superius scripsit de sua administratione [2]. *Redditus Ecclesiarum* Thesaurario *ad renovandas, et augmentandas Eccles. hujus Palliaturas in sempiternum contulimus*. Ad ejus officium pertinent, quae legimus in charta anni MCCCXCVIII. inter Probationes hist. Antiss. quae *Thesaurariis* denuntiat [3], *teneri facere ardere nocte dieque continue singulis diebus tres Cereos, tantes vulgariter nuncupatos, in tribus bacilibus pendentibus, et suspensis ante Corpus Christi*, nimirum ante Tabernaculum *Tenda* dictum, ut explicat Carpentierius [4], ubi Corpus Christi servabatur. Ex eadem historia praeterea noscimus, *Thesaurarium* feria IV. in capite jejunii cineres, et cilicia poenitentibus suppeditare consuevisse, qui iisdem induti, et aspersi extra sacram aedem ejiciebantur; ut deinde etiam, ne vetustissimi hujusce moris memoria omnino periret, eadem die, Canonicorum postremus in Eccl. Augustodunensi [5], personam paenitentium praeseferens, de Templo ejiciebatur. Accipe in hanc rem chartae anni MCCCXCVIII. testimonium [6]. *Item* Thesaurarius *debet ministrare cineres benedicendos die cinerum, et pilos caprarum pro poenitentibus*. Item Statutum anni MCCCXCVIII. inter probationes ejusdem historiae praescribit, ut [7] *in singulis diebus in matutinis, ac etiam vesperis, et vigiliis, quando non*

1 anno MCCLX. cap. VIII.

2 c. XXIII. et in Macri Hier. T. II. p. 139.

3 pag. 129. col. 1.

4 T. I. Gloss. p. 905.

5 Marten. de ant. Eccl. disc. c. XVII.

6 inter Prob. Hist. Antiss. p. 132. col. 1. et in Gloss. Carpent. T. III. pag. 329. et 995.

7 apud le Beuf p. 131. col. 1. et in T. II. Gloss. Carpentier pag. 421.

videtur clare in choro, tenetur dictus Thesaurarius, *et* Sacristiae *officium tenens, ministrare candelas bonas, quae dicuntur communiter* fiat.

Nescio, an hac notione sint accipienda antiqui Ritualis verba de officio habendo in Eccl. S. Martini, festo novi anni [1]. *Post* IX. *lectionem ducunt Prophetas de Capitulo ad portam* Thesaurarii *cantilenas cantando*. Ac paullo infra [2]; *hoc dicto ascendunt duo Clerici super formam* Thesaurarii, *et cantant*, Haec est sancta dies. De eo certe loquutas existimo Constitutiones Canonicor. Regularium S. Dionysii Remensis, ubi *de refectorio* haec provident [3]. *Thesaurarius etiam, qui debet comedere in conventu, si quandoque pro firmandis ostiis Eccles. tempestive adesse benedictioni non poterit, quam citius poterit, veniat, et stet ante sedem suam*. Quis autem dubitet, hac notione *Thesaurarii* vocem usurpatam fuisse ab Vldarico, ubi offertorii ritum ita describit? *In privatis diebus ad Missam Matutinalem, quia cuncti offerunt, curat Hebdomadarius* Apocrisarii, *sive* Thesaurarii *adjutor, ut inter calices mediocres ad hoc solum factos, et inter ampullas cum vino habeat quinque, et totidem patenas cum hostiis, quas ordinatim ponit forinsecus prope chorum, super tabulam desuper coopertam, et panno intrinsecus accinctam, ut inde fratres eas accipiant cum offertoriis oblaturi ad majorem Missam, quia non offertur, nisi ab uno choro. Tres tantum calices, seu ampullae praeparantur, et Hebdomadarius stet in choro sinistro tenens in manu auream patenam, et ampliorem hostiis refertam, quas cum aureo cochleari offerentibus distribuit sigillatim*.

Ceterum alicubi Seculo XIII. *Thesaurarii* munus *Sacristae* officio nobilius fuisse constat. Diserte enim in Sta-

1 T. III. Martene p. 116. 2 ibidem pag. 117. 3 ibid. pag. 832.

Digitized by Google

tutis Eccl. Leichfeldienſis in Anglia utrumque munus ita diſtinguitur [1]. *Officium* Theſaurarii *eſt ornamenta Eccl. et* Theſauros *cuſtodire*, *luminaria miniſtrare per manus* Sacriſtae, cujus curae commiſſum erat [2], *omnia chriſmalia*, *et candelas cuſtodire*. Item in antiquis Cathedralis Eccl. S. Paulli Londinenſis Statutis [3] dicitur Theſaurarius, *Capituli miniſter*, *totius Eccl.* Theſauri *cuſtos*, *ut ſunt reliquiae*, *libri*, *vaſa*, *veſtimenta*, *calices*, *cruces*, *curtini*, *pulvini*, *pallia*, *et id genus ſimilia*. *Is* Theſaurarius Sacriſtam *ſub ſe habet coadjutorem*, *et concuſtodem*. Sacriſtae *eſt curare*, *ut omnia*, *quae ad divinum officium*, *et ad Altaria in Eccleſia ſpectant*, *ſint pura*, *integra*, *munda*, *nitida*. Sed variam Eccl. Anglicanae conſuetudinem hac in re fuiſſe conſtat, quod Rogerus Archiep. Eboracenſis [4] *Sacriſtam* deſignavit, qui *Sacerdotibus*, *Diaconis*, *et Subdiaconis* praeeſſet. Itaque nil mirum, ſi *Sacriſtae*, et *Theſaurarii* munera interdum re, et nomine diverſa fuiſſe colligimus.

Atque heic memorandum eſſe duco ſingulare Eccl. Antiſſiodorenſis *Theſaurarii* privilegium *deferendi Accipitrem ſupra pugnum ſuum*, quum diebus ſollemnioribus, divinis intereſſet officiis. Hoc autem derivatum eſſe puto a juris imitatione, quo ab anno MCDXXIII. [5] potitos fuiſſe conſtat Proceres familiae de Chaſtelus, inter eoſdem Canonicos pro lubito conſidendi, gladio ad latus ſtricto, ſuperpelliceo indutos, cum pileo pennis decoro, almutia ſupra brachium, et *Accipitre ſupra pugnum ſedente*. Praecipuum enim erat *Accipiter* primae nobilitatis inſigne, ut plures antiqui tumuli teſtantur, ubi viri, ac mulieres

1 in Monaſtic. Anglicor. Tom. III. pag. 241.
2 ibid. pag. 242.
3 ibidem pag. 337.
4 ibidem pag. 136. 137.
5 apud Ducangium T. I. p. 42.

cum *Accipitre* sculpti, pictique conspiciuntur [1]. Itaque, ut idem jus alicui saltem ex Canonicis Eccl. Antissiodorensis etiam deferretur, *Thesaurario* concessum fuisse demonstrat charta anni MCDLXIV. inter probationes Historiae Antissiodorensis, ubi licet *ab aliquibus dominis Canonicis hujus Eccl. vertebatur in dubium, utrum* Thesaurarius *Eccl. Antissiodorensis posset, et sibi liceret, ad causam suae dignitatis, in Eccl. Antissiodorensi in diebus, et festis sollemnibus, et annualibus, dum divina celebrantur officia, sine habitu Eccl. venire, et intrare Eccl. et Chorum dictae Eccl., deferendo supra pugnum suum* Accipitrem, *sive* Avem venalem. Idem jus *Thesaurario* confirmatum fuisse constat, ob id etiam, quod eadem praerogativa fruebatur *Thesaurarius* Eccl. Nivernensis. Quod quidem, quantum sacrae relligionis Ministrum dedeceret, palam est; etsi *Accipitrem* dumtaxat ad dignitatis ostentationem in Templum inferret, non aucupii, aut venationis caussa; id quod a Conciliis diserte vetitum fuit. Nam Conc. Agathense [2] *Episcopis, Presbyteris, Diaconibus canes ad venandum, aut* Accipitres *habere* interdixit; itemque Concil. Matisconense II. pronuntiavit [3], *ubi Dei est assiduitas cantilenae, monstrum est, et dedecoris nota, canes ibi, vel* Accipitres *habitare*. Ac propterea Conc. Mediolanense I. generatim indixit [4], *in Eccl. nullus potest ingredi cum armis, neque cum canibus, aut* Avibus venaticis. Minus tamen absurdus hujusmodi usus fortasse videbitur, altero illo jure, quo Dominum de Sassay potiri legimus in feudali recognitione anni MDCXLII, ut nimirum *Accipitrem* suum collocare posset super Altare

1 Diss. di Anselmo Costadoni sopra un' antica statuetta d' avorio rappresentante un Re assiso in trono con un falcone in mano. In T. XLV. Opusc. Caloger. p. 259.

2 Can. LV.

3 Can. XIII.

4 Par. II. tit. de Ecclesiis

princeps Eccl. Ebroicensis, dum sacris ibidem operabatur Parochus d'Ezy, ocreatus, calcaribusque instructus, tympanis, organorum loco, pulsantibus; quemadmodum in quibusdam Ecclesiis [1] muneris sui possessionem inibant Decani, superpelliceo induti, gladio cincti, pera instructi, calcaribus aureis pedes revincti, cum *Accipitre* super pugno.

Verum ut nos ad Eccl. Rom. *Thesaurarios* convertamus, inter Capellanos Nicolai III. servitio addictos [2], *Magister Richardus Thesaurarius* occurrit. Nam, qui *Sacrarii* domus Pontificalis custodiae praefecti erant, *Thesaurarii*, seu de *Thesauro* dicebantur, ut liquet ex Cod. Caeremoniali Vat. Sec. XIV. ineuntis, a Gattico in lucem edito, ubi eorum munus ita explicatur [3]. Thesaurarii *habeant paramenta pretiosa pro D. Papa competentia secundum tempus, quum consecrabitur, et alba pro Missa celebranda, et processione, mitram, regnum, et septem candelabra cum cereis, tobaleis, capitergium, et crisma, et alia eis dicta. Item* XII. *vexilla, et duo Cherubim in lanceis, qui dabuntur* XII. *cursoribus, ut portent ea juxta Papam, et unus ex ipsis* Thesaurariis, *quum D. Papa coronabitur, assignata corona, recipiat mitram, et praecedat*. Varia hujusmodi *Thesaurariorum* nomina indicantur a Francisco Antonio Vitali [4]. Etsi vero temporis decursu, sacri cimelii custodia Pontificis *Confessario* fuerit demandata, nihilominus cura Tiarae, et Cherubim *Thesaurariis* remansit. Rem accipe ex Codice Vaticano, ubi ad *Confessarii* officium spectare dicitur [4] *ser-*

1 V. Hist. Eccl. S. Aniani Aurelian. p. 92. 111. et in Probat p. 50.

2 in vol. VIII. Misc. Ludovis. Bibl. Vatic. Memorie delle tre Chiese di Rieti. Roma 1765. p. 173. e 178.

3 Acta caeremonialia T. I. p. 99.

4 Memorie istoriche de' Tesorieri Generali Pontificj dal Pontificato di Giov. XXII. fino a' nostri tempi. Napoli 1782. 4. p. 10.

5 Gattico act. caerem. pag. 270.

mones, qui fiunt coram Papa, injungere, vesperas, et Missas sollemnes Dominis Cardinalibus notificare, Altare parare, et ornare .... item ad hujus etiam officium pertinet, omnia jocalia Capellae, ut puta, Reliquiaria, Cruces, Calices, Imagines, Candelabra aurea, argentea, et omnia vestimenta, et ornamenta quaecumque ad Dei servitium, et Capellam Summi Pontificis deputata custodire, exceptis mitris pretiosis, et aliis quibuscumque solitis custodiri per Cubicularios, et exceptis Tiara, et Cherubim, quae solent reponi in Camera Thesaurarii *Apostolici*. Verum de *Confessarii* munere opportunius paullo infra redibit sermo, quum de *Sacrista Pontificio* disseremus. Nunc tantum obiter animadvertam, *Sacrarii Custodem* vel apud Sanctimoniales, *Sacrificam*, aut *Thesaurariam* quandoque appellatam fuisse. Ait enim Petrus Abaelardus [1]. Sacrifica, *quae et* Thesauraria, *toti Oratorio providebit*. Sed ibi haud dubie pro *Sacrifica* legendum *Sacrista*, monet Ducangius [2] ex altero ipsius Abaelardi loco [3].

§. XVIII.
De Archisacrista, et Sacrista.

En igitur, quod sensim *Thesauri* Custos haud Latino vocabulo, ut monet Vossius [4], *Sacrista* dici coepit. Quumque plures quandoquidem sacrae supellectilis custodiae praefecti essent, eorum princeps, et caput, *Archisacrista* vocabatur. Nam Riccardus Matthaei Regni Siciliae Cancellarii filius sanxit [5], ut Archisacrista *Archiepiscopii Salernitani, et Successores ejus facerent a Sacerdotibus ipsius Eccl. singulis diebus vicissim Missam cantare pro salute sua, et filiorum ipsius egregii Comitis*. Contra vero qui eidem suberat,

1 pag. 54. 2 In Gloss. 3 pag. 143. 4 lib. III. de vitiis serm. cap. XLIV. 5 apud Vghellium Tom. vII. Ital. sacr. pag. 412, et 414.

Digitized by Google

Sacrista minor vocabatur, ut probat charta anni MCXXVII. [1] *Petrus Bernardi* Sacrista minor, *et Guillelmus de Ioncbariis teneant Canonicam, et honorem ejus bene condirectum, et bene laboratum*. Quandoque etiam *Sacristes* appellatus fuit, quemadmodum colligere licet ex Necrologio ms. Eccl. Carnotensis [2]. XIX. *Kal. Sept. obiit Fulcherius hujus S. Eccl.* Sacristes, *qui dedit B. Mariae duas cappas, et tunicam unam, et pallium optimum unum, et Cortinulam rubeo serico intextam*.

Ceterum frequentius *Sacrista* dici consuevit, ut passim veterum Scriptorum monumenta declarant. Nam, ut praeteream titulum *de officio Sacristae*, qui in juris Canonici libris occurrit, [3] Castrius in libris miraculorum, quem *Thesaurorum Custodem* antea dixerat, *Sacristam* [4] appellat, et Sacerdotem fuisse prodit, enarrans [5]. *Quum* Sacristae *Missam celebraturo ipse adstaret*. Itidem Conc. Tolosanum habitum anno MLVI. cavet [6], ne quis Laicorum ecclesiasticas res ausit detinere, et *Abbatiam Monachorum, vel Clericorum Archidiaconatum, neque praeposituram, vel honorem Presbyteri, vel* Sacristae, *seu Magistri Scholae, neque ullos honores ad jus praedictum pertinentes*. Praeterea anno MLXVII. inter subscriptorum nomina diplomati Phil. I. Francorum Regis legitur [7]: *Sanzo* Sacrista *Aurelianensis*; et Canonici Lemovicenses an. MLXXX. locum ad Monasterium exstruendum tradiderunt hujusmodi verbis [1]. *Ita ut quum Dei misericordia, et providentia eam* (Eccl. Monachorum) *provexerit, ut oportet, in ea constituit Priorem, sive Praecentorem*, sive Sacristam, *fratres in ea Deo servientes, in Capitulo suo eligant quemcumque eis placuerit priorem, vel praecentorem*,

1 T. VI. Gall. Christ. col. 33, et in T. I. Gloss. Carpentier pag. 769.
2 T. I. Gloss. Carpentier pag. 1167.
3 lib. I. Decretal. tit. XXVI.
4 lib. VI. c. XIV. 5 lib. VII. c. XXIII.
5 cap. VIII. Concil. T. XI. pag. 1085.
6 apud Duchesnium pag. 22.
7 T. IV. Gall. Christ. pag. 161.

vel Sacristam. In Ord. Cluniacensi [1] *de majori* Sacrista *Eccl.* prolixe disseritur; ac paullo infra de *Hebdomadario Sacrista* [2], qui per hebdomadam *majoris Sacristae* adjutor eligebatur. Pari modo *Sacristam* nominat inter officia Monastica Testamentum Card. Ambian. ann. MCCCCII. [3] *Sacrista*, *Thesaurarius*, *Ancelarius*. Item pariagium inter Regem, et Abbat. S. Andreae Avenion. an. MCCXCII. [4]. *Illos redditus*, *quos habet in Castro Monasterii* Sacrista, *et Conresarius*, *et Eleemosinarius*, *maneant semper salvi*. Sic etiam Charta Episc. Venet. [5]. *Vnum* Sacristam, *unum Diaconum*, *unum Subdiaconum*, *et unum Succentorem*, *temporales*, *et ad nutum revocabiles instituimus*. Scriptores eruditissimi Annalium Camaldulensium [6] exhibent elegantissimam picturam ex Cod. seculi XIII. Bibl. S. Michaelis Venetiarum desumptam, S. Romualdi adolescentis, sedulo excipientis praecepta senis cujusdam Monachi, *Sacristae* Abbatiae Classensis, qui de mundi contemptu disserebat. Vetulum hunc Monachum ob reverentiam *Nonnum* fortasse quidam nuncupaverint, quemadmodum de eo scriptum legimus in libro usuum Cisterciens. [7] I. *Augusti obiit in Monasterio N. Nonnus N. de N. Sacerdos*, *et* Sacrista *ejusdem Monasterii*. Nam, ut docet Regula S. Benedicti [8], *Iuniores Priores suos* Nonnos *vocant*, ut Hieronymus [9] Virgines ecclesiasticas *Nonnas* appellat.

Quae vero essent ejus munia, ex Conc. Toletano in-

1 P. I. c. LI. p. 245.

2 ibidem c. LII. p. 247.

3 in addit. ad Carolum VI. p. 757, et in T. I. Gloss. Carpentier p. 702.

4 in Reg. 93. Chartoph. Regii ch. 133, et in T. I. Gloss. Carpentier p. 1094.

5 Pro fundat. Colleg. Eccl. de Cilcio an. MCDXI, et Bibl. Regia, et in Tom. III. Gloss. Carpentier p. 923.

6 T. I. Annal. p. 29, et in Biblioth. mss. S. Michaelis p. 881, et 1256.

7 c. XCVIII. in forma brevium pro defuncto scribendorum. T. IV. Martene p. 294.

8 in Macri Hierolexico p. 405.

9 ep. XXII. ad Eustoch. c. VI. p. 90. Vid. Syllogen hist. Joh. Pinii de S. Nonna matre S. Gregorii Nazianzeni. die XV. Augusti pag. 78.

Digitized by Google

certi temporis apud Ivonem [1] licet agnoscere, ubi decernitur. *Sciat se* Sacrista *subjectum Archidiacono*, et ad *ejus curam pertinere custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Eccl. necnon quae ad luminaria pertinent sive in oleo, sive in cera*. Quae quidem fusius ita explicantur in Ord. S. Victoris Paris. [2] *Ad officium* Sacristae *pertinent omnia, quaę in thesauro sunt, custodire, reliquias, et omnia ornamenta Altaris, et Sanctuarii, ac totius Eccl., sive in auro, sive in argento, sive in ostro, et palliis, et tapetibus, et cortinis: Sacras quoque vestes, et pallas, et manutergia, calices, et textus, et cruces, et turibula, et candelabra, et cetera vasa, quae vel ad ministerium, vel ad ornamentum Altaris, et Sanctuarii, totiusque Eccl. pertinent, libros quoque, Missales, Epistolares, et Evangelia*.

Institutiones PP. Praemonstratensium exhibent caput inscriptum *de Sacrista, ac Solatio ejus*, cujus verba ne pigeat audire [3]. Sacrista *debet temperare horologium, et ipsum facere sonare ante Matutinas ad se excitandum quotidie; qui postquam surrexerit, lumen dormitorii, et Eccl. clarescere faciat, et in claustro si necesse fuerit, ponat. Ad ipsum pertinet omnia Eccl. ostia, quotiens necesse fuerit, firmare, claudere, et aperire; collationem, et Capitulum, et laudes, et omnes horas sonare, nec nisi ad nutum Prioris ultimum sonitum dimittere, nisi ad laudes, et Capitulum, et collationem, quando semel pulsantur; collationem vero, et Capitulum tamdiu pulset, donec de officinis claustro adjacentibus possint convenire; quae si vel citius, vel tardius, quam debent, sonuerint, vel ad matutinas, ad mensam, ad collationem lumen defuerit, in sequenti Capitulo satisfaciat. Candelas cereas facere, et in diversis locis Eccl. sufficienter ponere, et ad mensam, et collationem, quum*

1 Par. VI. cap. XX. 2 Martene Tom. III. pag. 736. 3 ibid. p. 909.

necessitas evenerit, portare, Cellerario, et Infirmario, et quibus opus fuerit, distribuere, nec non et candelas de sepo habere, et distribuere; stolam, et baculum Abbati, quotiens necesse fuerit, praeparare. Candelas, cineres, ramos, sal, et aquam, et novos fructus ad benedicendum praeparare; candelas, ramos post benedictionem cum suo suffraganeo omnibus distribuere, ramos post processionem tollere, et ex ipsis in capite jejunii cineres praeparare, candelas post processionem de manibus fratrum suscipere. Ad ungendum infirmum oleum sacrum, et ad tergendum stuppas, vel pannum lineum praeparare, et post tersionem in piscinam ad hoc deputatam comburere. Ad benedictionem coronae forcipes, manutergium, aquam benedictam praeparare, et capillos in aliquo sacrae Eccl. loco comburere. Textum, missale, lectionarium, vasa, vestimenta, linteamina, et cetera utensilia in Eccl., et altaris necessaria servare, praeparare, et quotiens expedit, mutare. Corporalia, offertoria, tersoria, quibus digiti Sacerdotis post communionem exterguntur, et pallam Altaris, supra quam extenditur Corporale, in vase ad hoc deputato separatim lavans, et singulas lavaturas in piscinam fundens, pallam quidem cum ceteris linteis, cui constitutum est, lavandam reddat; cetera vero in olla ad hoc deputata, aqua cinericia, calefacta ipsemet abluat: quibus lotis, et diligenter exsiccatis, indutus alba, cum sua corporalia poliat, cetera vero plicata recondat. Similiter hostias alba indutus faciat in loco mundis linteis cooperto, cui duo fratres similiter induti albis, vel superpelliceis subministent, quod cum reverentia, et silentio fiat; quae cum peractae fuerint, Sacrista *convenientes ab inconvenientibus studiose secernens, in repostorio mundissimo conservet, quae si forte humectatae fuerint, in claustro convenienter exsiccentur. Pavimentum Presbyterii quotient expedit scopare, et totam Eccl.,*

Digitized by Google

etiam parietes, ad minus semel in anno. Debet etiam oblationes suscipere, et de ipsis, quod Abbas jusserit, facere.

Caeremoniale S. Justinae [1] ita jubet. *Habeat* Sacrista *tabulam in choro, vel juxta, prout Praelatus ordinaverit, in qua secundum ordinationem superioris, tales officiales, qui possunt ipsa officia bene, et aedificatorie complere, habeat descriptos ordinate, et divisim per choros* I. *hebdomadarios officii*, II. *Cantores*, III. *Succentores*, IV. *Antiphonistas. Tabulam hanc semper ordinet Sabbato, antequam pulsetur tertium signum vesperarum.*

Sed, ut a Monasteriis ad Eccl. Cathedrales nos convertamus, lubet heic nonnullorum Conciliorum sanctiones proferre, ex quibus generatim *Sacristarum*, qui iisdem Eccl. praeesse debebant, munia liceat agnoscere. Ac primo proferam Constitutiones Lateranenses a Gregorio XI. editas, quae ita jubent [2]. Sacrista *ex proprio juramento tenetur omni die Sabbathi facere tabulam de Canonicis, et Beneficiatis, qui debent in futura hebdomada celebrare, et de Cantoribus in choro per circuitum: et de his, qui debent pluviales tenere, et omnibus aliis, qui debebunt in ipsa hebdomada deservire: et quicumque Cantor non obedierit, vice qualibet poenam duorum solidorum incurrat*. Atque alibi [3]. *Item statuimus, quod Camerarius, vel* Sacrista *pannos, libros, paramenta, vel alia vasa sacra alicui extra Ecclesiam asportanda concedere nullo modo praesumat, sine licentia Vicarii, vel Camerariorum primitus non obtenta*. Nunc vero Conc. Mediolanensis anni MCLXV. praescripta de *officio Sacristae* [4] audiamus. Sacrista *habeat custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, et totius thesauri Ecclesiastici. Vasorum, vestimentorum instrumentorum, et ornamentorum om-*

1 ibid. p. 236. 2 in T. II. Mus. Ital. p. 579. 3 ibid. p. 582. 4 §. XI. p. 681.

nium Altarium, et reliquorum omnium munditiei, nitorique consulat. Ejusdem curae sit lumina, ceram, et oleum, vinum, hostias, Candelas, et cereos, ceteraque e Sacristia *necessaria ad divina officia praeparare. Aquam benedictam singulis hebdomadis, vel etiam saepius, si opus erit, ipse renovet, vel ab aliis renovandam curet. Altare majus, et omnia alia praecipue diebus festis decenter ornet. Hora congrua ipse, vel alius ejus vice, Campanae sono, det signum matutini, Missae, et aliarum horarum Canonicarum. Habeat in* Sacristia *tres tabellas: unam, in qua omnes Missae, et officia pro mortuis, et reliqua descripta sint, quae ex imposito onere, ac munere quacumque de causa in ea Ecclesia celebrari oporteat: alteram, in qua uniuscujusque dignitatis, Canonicatus, praebendae, Capellae, Altaris, seu alterius beneficii, et officii ejus Eccl. in Missis, et aliis divinis officiis obeundis debita munera contineantur: tertiam, quam supra diximus, a Magistro chori conficiendam esse. Curetque, ut quae tribus his tabellis praescripta sunt munera, a quibus debent, omnino praestentur. Ejusdem officium erit operam dare, ut e* Sacristia *sermones de inanibus, profanisque rebus, multoque magis jurgia, rixae, et turbae omnes arceantur. Laicos ibidem versari ne patiatur. Nemini permittat, ut sacris vestibus induatur, nisi tunc quum ei Missa celebranda sit. In iis, qui primo, qui secundo loco, qui deinceps Missam celebrare debeant, ordinem tabulae servandum curet. Si quis autem suo tempori praesto non fuerit, vel ei, quem absens suo nomine substituerit, vel proximo post absentem, suo arbitrio, Missae locum det. Duobus autem ad summum potestatem faciat eodem tempore parandi se ad Missae celebrationem.*

Providentissimas hujusmodi leges quodammodo renovavit Conc. Provinciale Vrbinate habitum anno MDLXIX.

Digitized by Google

quod haec de *Sacrista* praescripsit [1]. *Sacrorum Cultor, qui vulgo* Sacrista *appellatur, in primis diligentissime curet, ne quid in Eccl. sit incultum, aut sordibus obsolescat; sed omnia religioso quodam cultu, ac splendore niteant, praesertimque mappae, corporalia, pallia, atque alia quaecumque ad Altaris usum, vel ornatum accomodata, omni puritate, ac mundicia teneantur, caveatque, ne indecorum aliquid, et loci sanctitate indignum in Eccles. appareat. Studeant praeterea* Sacristae, *ne quid profani in* Sacristia, *vel ei conjuncto loco a Clericis, vel laicis agatur, quibus quidem laicis, excepta necessitatis caussa, illuc ingredi prohibeant, neque ullo pacto patiantur de inanibus rebus ibidem sermones haberi, absintque omnino ab eo loco altercationes, incompositi corporis motus, jurgia, risus, scurrilia verba, atque alia hujusmodi, quae a Christiana caritate, et clericali gravitate vehementer abhorrent.*

Hisce plane concinunt, quae post Conc. Neapolitanum anno MDLXXVI. celebratum [2], statuit Conc. Amalphitanum anno MDXCVII. [3]. Sacrista, *in quibus Eccl. non est, adhibeatur, qui* Sacristiae, *et Eccl. curam gerat, ut quae ad divina peragenda requirantur, praesto, et nitida sint, nihilque in eis profanum a Clericis agi, tractarique permittat, nihilque sordidum, immundum, aut inornatum relinquat: et ita se gerat, ut omnia, quo decet cultu, splendeant. Ad eum spectabit curare, ut ille, qui praeest campanis pulsandis, habita dierum sollemnium, et aliorum ratione, Missae, atque ceterorum officiorum signa det, atque ter etiam quolibet die campanam majorem pulsare, videlicet in aurora, in meridie, et in vesperis, quo fideles ad Deiparam salutandam excitentur, quod a Parochis omnibus fieri mandamus.* Paria exhibet Conc. Consentinum ann. MDLXXIX [4]. *Det etiam operam, ut a Sa-*

1 T. v. suppl. Conc. Mansi p. 884. 2 ibid. p. 1026. 3 ib. p. 1358. 4 in eod. T. p. 1131.

cristia *sermones de inanibus, profanisque rebus, multoque magis jurgia, rixae, et turbae omnes arceantur*; *laicos ibi versari non patiantur*. Ex his autem nonne mirifice elucet majorum nostrorum cura, maximae *Sacrariis* Ecclesiarum reverentiae undecumque conciliandae?

Jam vero, quidquid per totum anni cursum, festisque sollemnioribus, a *Sacrista* peragendum erat, singillatim praestat inquirere. Vbi consuetudines S. Germani a Pratis ritum exponunt, quem *Caritatem* vocabant, singulis fratribus vini haustum statis diebus propinandi, antequam collationis lectioni finem imponerent, haec in Sabbato ante Dominicam primam Adventus ad *Sacristam* spectare tradunt [1]. *Expleto mandato pedum, et manuum*, Sacrista *accipiet licentiam ante pulpitum capituli per signum manus pulsandi collationem ...... conventu eunte ad Eccl.*, Sacrista *pulsabit Completorium cum una minima Campana, et quum sederit Prior Ordinis, qui fuerit in choro, terminabit* Pater noster, *et dicet* Confiteor *cum conventu*; *tunc hebdomadarius incipiet Completorium*. Item statuta singularia pro Monasterio Frigidimontis [2], *Sacrista*, inquiunt, *perdit orationes, et benedictionem collationis*.

Alterum *Sacristae* munus, expleto Completorio, declarant consuetudines S. Benigni. Sacrista *post Completorium attendit diligenter, ut portarius, cum aliis aeque duobus, ne quis latro latendi possit habere occasionem*: *ostium deinde Eccl. claustro vicinum clausum sera obserat, et obfirmat clavi, quae nimirum clavis a latere ejus noctu nunquam recedit*. Hinc S. Caesarius in libris miraculorum narrat [3]. *Dicto Completorio, quum clausisset ostium, erat enim* Sacrista, *apparuit ei Salvator linteo praecinctus*.

1 T. iv. Mart. p. 104. 105. 238. 2 de specialib. consuetud. n. 9. p. 158. T. iI. 3 l. *I*. c. xxxv.

Insignem exhibent ritum consuetudines Monasterii Floriacensis, antequam fratres excitarentur, nocte Natalis Domini [1]. *In eadem vigilia post Completorium ponit Capicerius cereos ante unumquodque Altare, qui accensi possint sufficere tota nocte, donec diescat. Et ante matutinum* Sacrista *matutinis surgens, ceteris accensis cereis super Altare B. P. Benedicti, revestitus cuncta Altaria turificet, quae sunt in Monasterio.* Quumque in Resurrectione Domini turificarentur Altaria simul et Chorus, Tullense S. Apri Ordinarium praescribit [2]. *Ad quamlibet lectionem debet incensum portari a duobus Presbyteris in albis, et cappis, quibus* Sacrista *injunxerit, qui* Sacrista *a junioribus Presbyteris incipiat gradatim ascendendo*. Siquidem turis delatio inter *Sacristae* munia est recensenda. Ait enim Ordinarium Tullense *de vigilia Pentecostes* [3]. *Hac nocte post Completorium portet* Sacrista *incensum, sicut ordinatum est in ordinario de officio* Sacristae.

Ordinarium S. Petri supra Divam, singularem designat usum sollemnis pompae post Completorium in Vigilia Epiphaniae, cujus descriptionem ita concludit [4]. *Quibus dictis revertantur per unum infirmorum, deinde per Monasterium ad singula lecta* Sacristarum. Alterum *Sacristae* munus erat, cereos, qui ex novo igne benedicto accendebantur, parare die festa Purificatae Virgini sacra, ut constat ex consuetudinibus Cluniacensibus, quae sic habent [5]. *In Purifica-*

1 T. IV. Martene p. 267. 416. et in T. I. de vigiliis Nativit. Christi p. 701. Theod. Thummius de nocte, et nocturnis officiis tam sacris, quam profanis. Bremae 1660. Dav. Henr. Koephenius ἱεροποιμενα ferias natalitiorum in Messiae memoriam illustrantia. Rost. 1705. Dan. Vogelius de festo Nativitatis Christi, Regiom. 1705. Sig. Jac. Baugmarten de sollemnium Christo nato sacror. originib. Halae 1739. Thom. Ittigius de festo Nativit. Christi, in ejusd. diss. Heptade p. 386.

2 ibid. p. 418. 460. 587.

3 ib. p. 459. 587. 600.

4 T. IV. Mart. p. 292.

5 apud Bernard. Cluniacens. c. LXIX. Ordinar. S. Martial. Lemov. ex Cod. Reg. 1138. fol. 10. 8. et in in Gloss. Carpentier T. I. p. 1204. et Tom. II. p. 810.

tione S. M. . . . . post tertiam induti Sacerdos, et Ministri in albis, et igne de cristallo, vel silice noviter excusso, procedunt ad Altare, et ibi ignem benedicat, et cereos a Sacrista *praeparatos*. Monachi Parisienses S. Germani, et Bursfeldenses cereos conservabant ad gradus Presbyterii, quemadmodum eorum consuetudines declarant [1]. *Post missam matutinalem*, Sacristae *ponent tapetum, unum ad gradum, et ponent cereos congregatim super tapetum*. Eos vero *Sacrista* diribebat, ut discimus ex Tullensi S. Apri Ordinario [2]. Sacrista *incipit in dextro choro, a superioribus, et socius suus in sinistro cereos fratribus, et conversis, sororibus quoque, et extraneis, si affuerint, distribuendo*. Alia hac eadem die a *Sacrista* praestanda profert liber usuum Beccensium [3]. *Postquam Diaconus Evangelium legerit, et Abbati munus Deo sacrandum obtulerit, ipseque Diaconus idem munus more solito super Altare ordinaverit, Abbas candelam suam reddat* Sacristae, *et Diaconus Abbati suam offerat, et postea Subdiaconus; deinde veniat Abbas ad gradum Presbyterii, et ceteri offerant Candelas suas . . . . quas Candelas* Sacrista, *et solatium ejus a manu Abbatis suscipientes extinguant*. Haec eadem exhibent usus Bursfeldenses [4], qui tamen addunt. Sacrista *easdem Candelas suscipiens extinguat intingens eas aqua, quae ibidem ejus procuratione habebitur in promptu*. Item sacrae illius diei pompae *Sacristam* interesse consuevisse prodit Martyrologium S. Fidis, ubi notatum reperies [5]. IV. *non. Febr. Purificatio B. M. V. in cappis, et cum Karola, tam* Sacristae, *quam Confratriae, et cum processione . . . .* Quod quidem ab eo praestandum esse aliis etiam diebus, sequentia verba

1 T. IV. Martene pag. 300.
2 T. IV. Martene pag. 303.
3 cap. XLVII. ibid. pag. 305.
4 cap. XXX. ibidem
5 Ex cod. Regio 5198. an. MCCCLXXX. et in T. I. Gloss. Carpent. p. 832.

Digitized by Google

testantur. *Annuntiatio Dominica in Cappis, et cum Karola, tam* Sacristae, *quam B. Mariae, et cum processione.*

Initio dierum esurialium, singulis Sacerdotibus suum assignabatur Altare, ubi Sacrum in posterum facerent. Quam in rem Chartusiense Ordinarium inquit [1]. *Bini et bini in Sacella, quibus per* Sacristam *deputati sunt, celebrant.* Missale Fratrum Praedicatorum feria IV. in capite jejunii haec a *Sacrista* peragenda commemorat [2]. *Prior cappa exutus, et superpelliceo indutus, accipiens stolam a* Sacrista, *prosternat se ad gradum altaris super aliquem pannum ibidem a* Sacrista *praeparatum*. Ordinarium Tullense S. Apri, de eadem die, qua Sacerdotes cinere sacro Populum viritim inspergunt, ita loquitur [3]. *Puer alba indutus ad gradum Crucem teneat, aquam benedictam, et vasculum cum cineribus a* Sacrista *ibidem praeparatis*. Prima vero Dominica Quadragesimae idem Ordinarium praescribit. *Hac die post nonam ante Sanctuarium Cortina a* Sacrista *tendatur, et Cruces in Ecclesia cooperiantur.*

Plura sanctioris hebdomadae dies, recolendae Christi patientis memoriae consecrati, ab eodem postulabant. Nam consuetudines S. Germani a Pratis de Dominica in ramis Palmarum haec continent. *Quando erimus circa finem tractus,* Sacrista *pulsabit unam parvam Campanam pro congregando domnos ad audiendam Passionem, quia ipsa die non debet legi, nisi in magna missa*. Consuetudines S. Benigni Divionensis de sollemni novi ignis benedictione feria V. in Coena Domini haec tradunt [4]. *Lapis berillus, de quo ignis est producendus, sub custodia* Apocrisarii *servatur, quem Praecentori adhibet, ut ab eo ignis proferatur; qui licet industria Praecentoris e lapide producatur, vel de silice excutiatur, a famulo tamen*

1 T. IV. Mart. p. 197. 2 apud Mart. T. III. p. 158. 3 T. IV. p. 312. 4 ib. p. 353.

Digitized by Google

Sacristae *praeparatur, et accenditur*. Verum discrepat aliquantulum Tullense S. Apri Ordinarium [1]. *Post* IX. *eant pueri, et ceteri ministri loturi manus suas, et praeparent se ad officium Missae, et dum parati fuerint, eat conventus ad benedicendum novum ignem in claustrum a* Sacrista *paratum*. In duplici absolutione, seu reconciliatione, altera cleri, et populi post Matutinos, altera poenitentium ante Missam, feria V. in Coena Domini peragenda, has *Sacristae* partes fuisse tradit Ordinarium Cenomanense [2]. *Cantor debet percutere formam manu, et tunc* Sacrista *debet venire in choro cum candela accensa, et reaccensis Candelis prostrati, cantantur* VII. *psalmi Poenitentiales*. Haec etiam ab eodem praestanda de Altarium denudatione monet Ordinarium Canonicorum Regularium Cruce signatorum [3]. Sacrista *ante nonam omnia Altaria detegat, praeter Altare majus, quod, dum vesperae cantantur, detegatur*. Alia prodit ad eum spectantia fer. V. in Coena Domini missale Monasterii Lugdunensis S. Martini Athanacensis [4]. Sacrista *deferat unum Cereum, et dicat Abbas, sive Presbyter, qui facit Officium super ignem alta voce* Oremus .'... *tunc aspergat ignem aqua benedicta; postea incensetur, et accendatur Cereus, quem deferat* Sacrista, *in dicto igne.... in his tribus diebus post perceptionem Eucharistiae habeat* Sacrista *paratum textum Evangeliorum cum Scutellis argenteis ad hoc deputatis; 'et posito Corpore Domini inter duas Patenas, et ponantur dictae Patenae inter scutellas praedictas; et dictae scutellae ponantur inter textum evangeliorum, et cum incenso, et Cereis deportetur cum multo honore.... Diaconus legat in Capitulo, et in refectorio super Lectrinum, quem faciat* Sacrista *praeparari*.

Ritus Cisterciensium in recondenda Eucharistia erat

1. ibid. p. 364. 2 apud Martene T. III. p. 233. 3 ibid. p. 278. 4 ib. p. 352.

hujusmodi [1]. *Post pacem Corpus Domini de vasculo supra Altare sumatur, et super patenam illa hora sumendum ponatur, linteum etiam mox de eodem vasculo auferatur, aliudque illa hora a* Sacrista *praesentatum in eodem ponatur; illoque mutato ab eodem* Secretario, *mox Abbas, vel qui cantat Missam, partem Sacrae Communionis in crastinum servandam in vasculo ante notato honorifice recondat, et tunc linteum vetus in patena diligenter excussum, super piscinam comburatur, cineresque ejus in eam projiciantur*. Alia proferunt iidem usus [2]. *Expleto pauperum mandato,* Sacrista *mox ascitis sibi fratribus, quot necessarios habuerit, altaria discooperiat, et pallas, quas inde tulerit, honeste aptet*. De feria vI. Parasceves haec leges in rituali Corbejensi [3]. *Interim quando Conventus erit in refectorio in prandio,* Sacrista *cum tribus aliis Presbyteris indutis in albis cum stolis palmarum, ibunt ad majus Altare, et omnia Altaria, in quibus consuetum est, quotidie celebrare Missas in Eccl. nostras, lavabunt ea, ad quolibet Altare cantando Resp.* Circumdederunt me...... Tullense S. Apri Ordinarium ita hujus diei Caeremonias absolvit [4]. *Sacerdos, qui facit officium, sive sit Abbas, sive alius, claudat ostium sepulcri, incipiens hoc* ℟. Sepulto Domino, *et chorus prosequatur, finitaque repetitione post* ℣. *a loco recedit processio, et ostium sepulcri firmetur a* Sacrista. Hoc triduo continenti candelabrum depromebant, instar occae, seu trigoni confectum, de quo sic loquitur Spicil. Fontan. mss. [5]. *Feria* v. *Parasceve, et feria* vI., *et Sabbatho Herchia debet esse ad dextrum cornu magni Altaris, et ibi debent esse* XXVI. *Cerei illuminati ad matutinas, et inde extingui a* famulo Sacrista *unus post alium ad quemlibet psalmum, et lectionem*.

1 ib.p.370. 2 ib.p.378. 3 T.IV.Mart.p.403. 4 ib.p.404. 5 ib.p.394, et in Macr.Hier.

Verum ad aliorum festorum usus declarandos progrediamur. Ad tertiam festa die D. N. J. Caelos adscendentis, apud Cappadoces dicta ἐπισωζομένη, sequebatur sollemnis pompa cum magnifico apparatu, et populi frequentia, ut usus Floriacenses testantur, qui haec produnt [1]. *Ad finem tertiae, reliquiae, et ornamenta super Altare ponuntur. Post tertiam ab Abbate, et altero Sacerdote, qui bajulaturus est dexteram, cappis indutis, turificantur cum duobus turibulis; deinde porrigit* Sacrista *Cruces conversis*. Idem ritus ita describitur ab Ordinario Tullensi [2]. *Dum cantatur matutinalis Missa, praeparetur feretrum S. Apri; finita matutinali Missa, cantetur tertia, qua finita significet* Sacrista IV. *Presbyteris, qui portent feretrum B. Apri in albis tantum, et stolis. Idem vero* Sacrista *portet caput ipsius*. Ordinarium Tullense jubet [3], ut *die Adscensionis Cereus post nonam a* Sacrista *de loco suo auferatur*. Idemque alibi ita praescribit [4]. *Ad hanc nonam* V. *lampades in lampario accendantur, et* VII. *Cerei in rastro, et Cereus Paschalis, qui post nonam debet auferri*. Atque, ut ejusdem Ordinarii ritus prosequamur, haec ibidem legimus de die Pentecostes [5]. *Finita processione, et reversis in chorum fratribus, significet Cantor* VII. *Cantoribus Cappis rubeis indutis, qui eant ad gradum ante Altare, et accipiant cereos ardentes ad gradum sub lampinio a* Sacrista *positos, et incepta tertia, incipiatur ab ipsis hymnus* Veni Creator. De festo Exaltationis S. Crucis ita loquitur [6]. *Dum Missa Matutinalis cantatur,* Sacrista *praeparet reliquias super Altare S. Mauritii* ..... Sacrista *Cappa indutus accipiat Crucem argenteam, et fiat Processio per claustrum .... processione facta omnes, qui in choro sunt, eodem ordine, quo ad Communionem accedunt, Crucem adorent....*

1 ib. p.451. 2 ib. p.452. 3 ib. p.453. 4 ib. p.461. 5 ib. p.585. 6 T.IV.Mart.p.570.

Digitized by Google

interim cantentur Antiphonae ..... iis dictis, Sacrista *elevet crucem in altum .... qui praeest, accipiat crucem de manu* Sacristae. Atque alibi [1]. *Postridie, finita Missa, quatuor Presbyteri a* Sacrista *rogati in albis, et stolis reponant feretrum S. Apri in Cassia sua*. Peculiari quoque animadversione dignum est, quod VIII. Kal. Augusti praescribitur in festo S. Christophori [2]. *In hac Missa novorum pomorum fiat benedictio, quae poma a* Sacrista *praeparanda sunt; benedicenda enim sunt infra canonem*.

Quid vero non ejusdem curae, ac vigilantiae commissum fuit? Ipse enim ad graviora negotia obeunda inter viros spectatiores plerumque eligebatur. Exemplo sint acta Capitularia Capituli Ecclesiae Lugdunensis anni MCCCXLIII. [3] *Item commiserunt Dominis Archidiacono, et* Sacristae *declarandi, et providendi de vice magistro, et ad quem duodenaria vacans per obitum Dom. Guillelmi de Gez debeat pertinere*. Sic etiam instrumentum an. MCCXVIII. inter probationes historiae Nemensis [4]. *Cabassonus deponebat, et consignabat in Eccl. penes* Sacristam *praedictum censum, ita quod in quadam bursa ponebat illum, et claudebat eam, et cum bursa ligabatur quaedam charta, in qua continebatur, de praedicto censu quis deposuerat, et qua de caussa*. Vel illud quantum est, quod sollemnioribus item actibus adstabat, ut liquet ex charta anni MCCXL, ubi legas [5]. *D. Robertus de Boncio homagium reddens D. Abbati, nomine Chamberlaniae suae, vestimentum illud, quo super aliis vestibus erat indutus, dedit adstantibus istis Evardo Praeposito nostro, Petro Eleemosynario, Ioh.* Sacrista, *Gaufrido Chamberlano nostro*. Praeterea in libro usuum Cisterciensium ita decernitur [6].

1 ib. p. 409. 2 ib. p. 570. 3 f. 88. v. ex C. reg. 4 T. 1. Hist. Nem. pag 62. col. 1, et in T. 1. Gloss. Carpentier p. 1014. 5 ex Chartul. S. Sulpit. Bituric. fol. 87. 8. et in T. 1. Gloss. Carpentier p. 918. 6 Ducang. in *Oblati*, *Tondere*, et *Tonsorare*.

Qui Monachus fieri voluerit, completo anno probationis, vocatus in Capitulo coram omnibus, quid de rebus suis, si quas habet, fieri debeat, disponat. Postea benedicatur ei corona ab Abbate in Eccl., si laicus fuerit, assistente ei Cantore, et Sacrista, *compleatque benedictionem, sicut in collectaneo habetur. Capillos vero comburat* Sacrista *in piscinam ad hoc deputatam, deinde tondeatur in Monachum*. Quumque Christiani veteres *sub finem precum*, teste Justino [1], sese invicem *osculo salutarent*, quod *sigillum orationis* Tertullianus [2] appellavit, ideoque *ad osculum convenire* idem esset antiquitus, ac simul orare [3], S. Philippus Nerius, pacis, et concordiae amantissimus, ad piam, ac relligiosam hujusmodi consuetudinem renovandam constituit [4], ut peracta *mentali oratione* vespertina, quam Patres simul agunt, pace signetur, *Sacrista pacis tabellam* ad osculum circumferente, quae *lapis*, *marmor*, vel *tabula pacis*, *asser ad pacem*, *deosculatorium*, *oscularium pacis*, *Pacificale*, *marmor deosculandum* dicta est, ut e Conciliis, et Statutis Anglicanis colligit Speelmannus [5].

Quid vero dicam de Lipsanorum translationibus, quibus in primis *Sacristae* semper intererant? Id abunde testantur acta hujusmodi translationum, quae nimis longum esset proferre. Ne tamen omnia praeteream, accipe, quid de S. Floriani M. translatione narret historia [6]. *Istud est corpus gloriosissimi M. S. Floriani, quod inventum fuit in Altari sub suo nomine intitulato die* XIV. *Martii* MCDXXV. (*quod*

1 In Apologia ad Antonium Imperator.
2 lib. de oratione cap. XIV.
3 Joh. Pfannerus lib. II. cap. III. observat. eccles. de osculis Christianorum veter. Grotius ad Rom. XVI. 16. Binghamus lib. XII. cap. IV. Petr. Mullerus de osculo sancto. Jenae 1678. et 1718. Joh. Goufrid. Langius de osculo pacis veterum Christianorum. Lips. 1747. 4.
4 in Macri Hierol. p. 460. Instituta Cong. Oratorii S. M. in Vallicella de Vrbe a S. Philippo Nerio fundatae. Romae 1665. 8.
5 in Gloss. Archiologico Lond. 1664. T. II.
6 ibid. 805.

certificatur per tabellam suprascriptam repertam in fundo cassae, in qua corpus reconditum erat, in praesentia Ven. viri Archipresbyteri, et Sacristae *domus, et D. Abbatis*). Huc referenda sunt, quae scribit Adaegisus in libro miraculorum S. Theodorici [1]. *Deliberavit* Sacrista *noster, ut loculus aptaretur pretiosis SS. Reliquiis, qui circumcirca deferretur, quatenus devota fidelium oblatione coeptum opus perficeretur protinus ante valvas Eccl.* Adde Divionenses S. Benigni consuetudines, quae sic loquuntur [2]. *Quoties aliqua urgente necessitate reliquiae SS. erga monasterium sunt ferendae, hujuscemodi obsequiis sunt prosequendae. Primum* Sacrista *in ornato eas feretro componit*. Atque alio loco in hanc rem [3]. *In aestate post meridianam, in hyeme ante tertiam observat hebdomadarius* Sacrista *ad ostium Eccl. donec infantes capita pectentes viderit in scholis, et tunc pulsat unum signum*. Praeterea consuetudines mss. S. Crucis Burdegalensis ante annum MCCCV. produnt, *Sacristam* ibidem vinum benedicere, et reliquiarum S. *Mummoli* [4] tactu, sacrum reddere consuevisse. Ibi enim traditur [5]. Sacrista *debet semper esse paratus ad faciendum sanctum vinagium cum reliquiis S. Mummoli*; ac paucis interjectis. *Quando* Sacrista, *vel ejus vicarius benedicet vinum, vel aquam cum reliquiis*. Quumque ejusdem Sancti opem, supplicatione novendiali, sollemniter implorare Burdegalenses in usu haberent, quid ab iis erga *Sacristam* praestandum esset, docent eaedem consuetudines, hujusmodi verbis. *Item est Statutum, quod quilibet faciens novenam, recipit per nonam*

1 T. III. Gloss. Carpentier p. 1170.

2 T. IV. Martene p. 367.

3 T. I. Maii Bolland. p. 461, et in Hier. Pezii Script. rer. austriacar. T. I. M. 35.

4 cap. XVI. in act. SS. Ord. Ben. p. 631. et in T. I. Jul. Boll. p. 59. et apud Mart. T. IV. pag. 809.

5 in act. SS. Ord. Ben. Sec. II. p. 674. Joh. Bapt. Sollerii de eodem notitia in T. II. Aug. Bolland. p. 351.

dies continue a Cellerario unum panem groſſum, et unam lagenam vini; et ideo reputatur familiaris, quamdiu facit novenam, etiamſi moriatur interim; quod ſi facientes novenam ſint furioſi, et fortes, debent jejunare per IX. *dies continue in pane, et aqua; ſin ſint furioſi, ſed aliis infirmitatibus detenti, et etiam furioſi, ſi eſſent debiles, bibent vinum cum aqua temperatum, et ſi ſint multum debiles, non debent jejunare. Item eſt ſtatutum, quod tales facientes novenam, debent vigilare per* XI. *noctes continue in praedicto Monaſterio, et prima, et ſecunda nox non computantur; et quilibet faciens novenam, debet tradere* Sacriſtae X. *candelas cerae, quarum quaelibet poſſit durare ardendo ante corpus B. Mummoli, cum officio ejuſdem, continue faciendo novenam: item* XI. *denarios, unam imaginem cerae, aliter Bot, quae ponitur coram Altari B. Mummoli, et debet eſſe unius librae pro voto facto, quod dictus B. Mummolus impetret facienti novenam ſanitatem de infirmitate, quam patitur, a D. Deo Patre omnipotente.*

Verum praecipue memorandae ſunt *Sacriſtae* partes in ſacra Synaxi, quas Tullenſe Ordinarium ita deſcribit [1]. *Dimittatur aliqua pars Corporis Chriſti in Calice, et portetur a Diacono ſuper Altare B. Apri, et teneat ibi calicem, et unus puer ampullam, in qua ſit vinum, quod in calicem fundatur, quum neceſſe fuerit, donec biberint omnes fratres Monachi; ſanctificatur enim vinum per Corpus Chriſti conſecratum, et in calice depoſitum, quum dicitur*, fiat haec commixtio; Sacriſta *vero habeat alium Calicem, et urceum cum vino ad Altare S. Chriſtophori, ut ibi bibant Converſi, et Converſae, qui Corpus Domini ſuſceperunt*. Lyrenſes vero conſuetudines Sacrae Euchariſtiae poſt miſſam recondendae ritum exponunt in hunc modum [2]. *Dicto a Sacerdote*, Placeat tibi S. Trinitas,

1 T. IV. Mart. p. 367. 2 ibid. p. 368.

ipse , et Diaconus , adstante etiam Cantore , et Sacrista , *hostias consecratas corporalibus involvant diligenter , et linteo Altaris iterato , tunc Sacerdos offerat incensum , et cum Diacono eam ferat cum summa diligentia in locum constitutum , omnibus flectentibus genua , Conversis cum candelabris , et turibulo praecedentibus* Sacrista *extendat pallium , et unam tuillam* . Eumdem ritum ita declarat liber usuum Cisterciensium [1] . Sacrista *stans in capite sinistri chori Novitiorum , vinum propinet , inclinans singulis , sicut et ipse inclinatur a singulis* .

Insignis vero est usus distribuendi hostias in refectorio iis , qui ad Missam coelesti pane refecti non fuerant , ab antiquis S. Benigni Divionensis consuetudinibus ita descriptus . *In privatis diebus , exceptis his , in quibus una tantum hostia offertur , hostiae non consecratae in Refectorium portantur* ab hebdomadario Sacrista , *et dividuntur ab eo aequaliter in duobus vasculis ad hoc ipsum decenter praeparatis , ut illis , qui eo die non communicaverint , per manus duorum Sacerdotum distribuantur , qui duo sunt , Hebdomadarius majoris Missae , et minoris . . . . . et quicumque accepit , manum ipsius , a quo accepit , osculatur . Quicumque autem communionem sacram accepit , ut ventum est ad eum , cum manu reverenter signum facit , et eat in antea : similiter et qui jam aliquid cibi praegustavit qualibet ingruente caussa* . Porro hujusmodi hostiae erant eae ipsae eulogiae [2], sive oblatae , quas in sacro

1 ibidem p. 186.

2 Pompeo Sarnelli delle Eulogie . nel Tom. vI. delle sue Lettere Ecclesiastiche . pag. 40. Bourlet des Eulogies . in T. LXXVII. Diar. Eccl. Dirvart p. 68. Johan. Cabassutii Diatriba de Eulogiis ad Laodicenum Conc. xiv. in Notit. Concil. pag. 198. Lugd. 1670. 8. et in ejusd. Not. Eccl. p.43. ibid. 1680. fol. Claud. de Vert. Diss. sur les mots de Messe , et de Communion avec , quelques digressions sur les Agapes , les Eulogies, le pain benit, l'ablution . Paris . 1694. 8. Matth. Larroquanus de variis Eulogiarum generibus , ac praesertim de pane , ut ajunt , benedicto ejusque orig. in adversar. sacr. p. 219. Lugd. Betav. 1688. 8. Hermanni Witte Dissertat. de Eulogiis veterum . Witteb. 16,4 8.

fratres obtulerant, et consecratae non fuerant. Nam ex omnibus oblatis unam, aut tres, aut quinque dumtaxat consecrare solebant, ut recte adnotat Martenius, reliquas in Refectorium deferendas reservabant, quemadmodum allatae consuetudines S. Benigni aperte declarant, ubi agunt de *Sacristae hebdomadarii officio*. *Hostias, quae offerendae sunt ad missam, ipse offerentibus cum argenteo cochleari porrigit, et in ultimo ipse quoque offert, hostias sane oblatas in duobus vasis ad hoc praeparatis aequaliter partitur, quas ipse cum uno aeque de sociis, tacto cymbalo, in refectorium defert, finitoque prandio, eodem modo reportant*. Audi Statutum Capituli generalis S. Victoris Massil. anni MCCCXLII. Sacrista *teneatur dare brandonos in omnibus Capellis pro elevatione Corporis Christi*. Et regulam consuetam Toribii Archiepiscopi Limae [1]. *In antecessum ibi Bedellus, post hunc* Sacrista *cum turibulo, et post eum Acoluthi cum candelabris*. Quum autem Eucharistia renovaretur, Diaconus ante oblationem a Sacerdote faciendam, hostias consecratas in pyxide conservatas ad Altare deferebat, ibidemque deponebat, ut discimus ex consuetudinibus S. Germani a Pratis, quae *de I. Dominica Adventus* haec habent [2]: *Subdiaconus accipiet Calicem cum offertorio, et veniet ad suscipiendum oblationem juxta Altare; unus de Prioribus Ordinis debet facere oblationem . . . et debet* Sacrista *deponere Corpus Domini, et Diaconus illud suscipiens honorifice cooperiet eum juxta calicem. Oblatione facta, suscipiet eam Diaconus, et cum magna diligentia ordinabit hostias, et cooperiet calicem*.

Sed quota pars haec operum, ac laborum suorum? Ejusdem enim curae praecipue commissa erat sacrorum cimeliorum custodia, ut probat Inventarium anni MCCCLXII.

1 in Conc. Hisp. T. IV. p. 667. col. II. 2 ibid. p. 113.

Digitized by Google

inter probationes historiae Nemensis [1]. *Qui quidem Domini* Sacristae .... *recognoverunt* ..... *praedicta omnia, et singula habuisse et habere, et in dicto armazio posuisse, cujus quidem armazii ipsi* Sacristae *clavem habent*. Item statuunt Consuetudines Monasterii Vallis Scholarium [2]. Sacrista *libros chori, reliquias, et omnia, quae ad ornamentum, et usum Eccl. et Altarium pertinent, diligenter, et munde conservet, et Ecclesiam, et claustrum quum expedierit, faciat scopa mundari. Provideat Ecclesiae de hostiis, et caveat, quod non sint nimium inveteratae, sed purae, et electae. Caveat etiam, ne sit in Altari defectus Eucharistiae, propter necessitates frequenter imminentes. Sacra vestimenta postquam veteraverint, ad alios usus extra sacrum ministerium nullatenus transferántur*. Ad eumdem quoque spectabat sacras aedes, exedrasque adnexas sartas tectas a temporis injuriis tueri. Nam, ut monet consuetudo mss. S. Crucis Burdegalensis ante annum MCCCV. [3], Sacrista *habet tenere Eccl. bene coopertam, et reparatam de tegulis, lateribus, goteyriis, et cementis*. Id etiam confirmat liber dictus *Talmut* ex Tabulario S. Victoris Massiliensis, ubi recensentur *Sacristae* munia [4] *pro reparatione .... camerae crotatae, ac pavimentatae, in qua consueverunt Monachi radi, Ecclesiae antiquae contiguae*.

Denique *Sacristae* munia in supremis reddendis pietatis officiis inspiciamus. Ac primo de unctione infirmorum loquendum est, quae plerumque viatico praemittebatur [5].

1 T. II. hist. Nem. p. 266. col. II, et in T. I. Gloss. Carpentier p. 298.

2 §. x. de Sacrista p. 118. T. II. dans le Voyage litteraire des deux Religieux Benedictins.

3 in T. II. Gloss. Carpentier p. 642.

4 in T. I. Gloss. Carpentier p. 1210.

5 Mabillonius. Observatio historica de extrema unctione. in praef. ad act. SS. Bened. sec. I. p. 47. Paris 1668. fol. Martenius. T. IV. de ant. Monachor. rit. p. 690. 691. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 705. 708. Joh. Launojus. de Sacramento Vnctionis infirmorum liber. Paris. 1673. 8. Agnellus Ono-

Haec enim statuit Collectarium Ord. Fr. Praedicatorum, postquam unctionis ritum descripsit [1]. *Et sic egredientes Sacerdos, et Ministri ad* Sacristiam *revertantur. Quod si communicandus fuerit, finitis Psalmis, interim, dum orationes dicuntur, exeat Sacerdos aliquis, cui Cantor innuerit, et cum duobus Ceroferariis, et aliquibus fratribus, uno ex eis referente Nola, deferat Communionem, et facta absolutione praedicta, qui facit unctionis officium, proposita sibi Eucharistia communicet eum.* In hanc rem liber usuum Cisterciensium haec profert, ubi narrat, *quo ordine inungantur infirmi* [2]. Sacrista *pergens in ordine suo ferat oleum, et stupas, vel pannum ad detergendum. Quoties dicitur*, per istam sanctam unctionem, *stupae mittentur, vel pannus, quas postea in piscinam ad hoc deputatam comburat*. Eadem ferme occurrunt in Breviario Congregationis Vallis Oletanae, ubi legitur *Ordo ad inungendum infirmum* [3]. In primis *pulsetur Campana Capituli, et dum in* Sacrarium *congregantur Monachi*, Sacrista *infrascripta praeparare studeat, aquam benedictam, fragmen panis, vas aquae cum linteo ad abluendas Sacerdotis manus, post infirmi inunctionem*. Vbi vero Ordinarium Chartusiense agit *de Sacramentis Eucharistiae, et extremae unctionis aegroto conferendis*, inquit [4]. *Qum frater aliquis, sive religiosus, sive conversus aegrotans morti propinquare putabitur, congregatur conventus in Eccl. ad eum visitandum, et inungendum; omnibus-*

tatus. Dissert. dell' estrema unzione, o sia dell'antico, e lodevol rito di S. Chiesa nell'amministrare agl'infermi la S. Vnzione prima di dar loro il viatico. tra le sue diss. Eccl. p. 114. Lucca 1737. 4. Ioh. Chrysost. Trombellius de eod. argum. Ioh. Dallaeus. de duobus Latinorum ex unctione Sacramentis, Confirmatione, et extrema, ut vocant, unctione. Genevae 1659. Iohan. Andreas Schmidius. de curatione morborum per oleum Sanctum. Jenae 1695, et in ejusd. Dissertat. Decade n. III. Georg. Will. Overkamps de curatione morborum per oleum S. in Decade Diss. Historico-Theol. Helm. 1714, et ibid. 1733.

1 Onorato diss. dell'estrema unz. p. 126.

2 T. IV. Martene p. 699.

3 ibid. p. 201.

4 ibid. p. 702.

que necessariis praeparatis, praecedunt, qui portant ardentem cereum, Crucem, aquam benedictam, scilicet Sacrista, *Diaconus hebdomadarius, et Procurator*.

Haec alia praescribit liber usuum Cisterciensium [1]. *Quum aliquis morti penitus appropinquaverit, ponatur ad terram super sagum, supposito prius cinere in modum Crucis, et aliqua matta, vel straminis aliquanto .... Cantor Abbati deferat collectaneum, et* Sacrista *stolam, et baculum, ducens secum, qui deferat, Crucem, lumen, turibulum, et aquam benedictam.* Audi nunc ex eodem libro ritus obeundos *de vigiliis circa defunctum* [2]. *Circa primi spatii finem eat, cui a Priore injunctum est, et inspecta hora in horologio, secundum quod* Sacrista *indicaverit, si tempus est, eat ad lecta singulorum, qui vigilare debent, et excitet eos*. Alia etiam sanxit rituale Corbejensis Monasterii pro fratribus defunctis [3]. *Corpus debet poni in feretro honorifice post prandium in magna infirmaria Conventus ..... quando pulsantur magnae Campanae pro obitu dicti defuncti, tunc Abbas, et Conventus debent venire in praedicta magna infirmaria, et tunc* Sacrista *cum duobus juvenibus tenentibus candelabra cum cereis ardentibus, indutis in albis, dictus* Sacrista *debet dicere alta voce* Pater noster ...... *cum collecta ...... et tunc finita dicta collecta, dictus* Sacrista *debet spargere aquam benedictam supra dictum feretrum*. Sic etiam Constitutiones Vallis Scholarium [4]. Sacrista *vero Priori deferat stolam, et Manuale ad faciendam commendationem*. Vbi vero declarationes Cassinenses *de cura mortuorum* in cap. LXXIII. pertractant, inter cetera haec addunt [5]. *In Monasterio, in quo aliquis requiescit frater, dicentur* XXX. *Missae, pro animae ejus reme-*

1 T. IV. Mart. p. 720. 2 ib. p. 752. 3 ib. p. 747.
4 §. XXXIII. quomodo fratres debeant convenire ad mortuum? pag. 128.
5 ibid. p. 788.

dio, quarum describendarum cura sit Sacristae *ejusdem Monasterii*. Hujusmodi officium, quod pro defunctis peragebatur, quandoque *Missam S. Gregorii* [1], aut *Tricenarium* [2] absolute nuncupabant, neque ab eo abstinebant, etsi *numerus tricenarius* interdum Christianis odiosus fuerit. Nam, ut habet charta Gaufr. de Meduana Ep. Andegav. ann. MXLVII. [3] *numerus iste odibilis erat, et refutandus .... etiam et laici per hunc numerum neque emere, vel vendere aliquid audeant, quoniam SS. Domini Corpus triginta, ut legitur, argenteis a Iuda traditore venditum fuit*. Et quoniam in his sumus, addendum est, quod legitur in ms. consuetudinibus S. Germani Parisiensis de anniversario Regis Childeberti [4]: *Quando incipietur* placebo, Sacrista *debet accendere cereos candelabri, et Angelorum, et debent accendi* VII. *Cerei ante Corpora Sanctorum, et* IV. *ante tumbam cum illo, qui incessanter, sicut diximus, ardere debet*.

Itaque tot, ac tantis ministerii sui curis aequum sane erat, ut praemia rependerentur. Nam ad eum pars oblationum spectabat, quemadmodum in Chartario Ecclesiae Auxitanae [5] provisum est, *decima quoque tam panis, quam annonae, sive frumenti, et solamei*.

Praeterea nonnisi ejus assensu in Cathedralibus, et Monasteriis pecuniarum distributiones impendebantur. Id enim probant Statuta Eccl. Barchinonensis an. MCCLXXXVIII, ubi legimus [6]: *Pecuniam distribuat, et distribuere teneatur de assensu illius, qui tenebit* Sacristiam *majorem*. Item statutum fuisse legimus in Charta Tabularii Montisol. anni MCCLII [7],

1 Garampi Memorie della B. Chiara di Rimini Diss. XIV. p. 376. Carpent. in Gloss.
2 Ducange in Gloss.
3 apud Carpentier T. III. p. 1072.
4 T. IV. Mart. p. 473.
5 cap. LXXXVIII. de oblationibus ad Sacristam pertinentibus.
6 apud Marteae Tom. IV. anecdot. col. 609.
7 T. I. Gloss. Carpentier p. 792.

Quod Capitale, et Capitalia, Candelae, et denarii, qui offerentur a baptisatis per Capellanum in Monasterio, in vigiliis Paschae, et Pentecostes, dividantur per medium inter Sacristam *Monasterii, et ipsum Capellanum*. Haec etiam colligimus ex consuetudinibus mss. Monasterii S. Crucis Burdegal. ante ann. MCCCV [1]. *Item Clerici* Sacristae *recipiunt a Cellerario, quando trahunt campanas pro tempestatibus .... duos panes grossos praebendales, et* IV. *lagenas vini pro qualibet classa, quae debet durare unam horam integram .... et si parochiani velint classas, ubi sunt quinque Campanae, debent conducere a* Sacrista, *et* Sacrista *debet eis locare, et recipere pro qualibet classa tres solidos*. Adde chartam anni MCDXVI. ex Tabulario S. Petri de Regula, ubi leges [2]. *Quae omnia memorato* Sacristae *assignata erant. Praeterea quidquid panis lustralis, distributione facta, supererat*. Ac demum ex pacto inter Priorem de Fontibus, et Consulem ejusdem Villae inito an. MCCCX. constat, quid *Sacristae debeatur pro officio Defunctorum singulis annis peragendo eadem die, qua quisquam e vita decessit* [3]. *Super eo quod pars dictorum prioris, et Conventus asserebat, quod dicti Consules ..... impediebant ....* Sacristam *sui Monasterii, et indebite, quia cereos, vel torticia et pallia, quae portantur in, vel pro exequiis, revitis, vel anniversariis mortuorum libere retinerent, et usibus Eccl. applicarent .... fuit ita actum, et conventum inter partes praedictas, quod cerei, torticia, et pallia, quae ad Eccl. vel cymiterium in sepulturis, revitis .... deferuntur, non retineantur contra deferentium voluntatem .... exceptis personis nobilium, et iis, quae pro eorum exequiis, vel revitis deferuntur.*

Praeterea, etsi extra dormitorium, absque gravi ne-

1 T. I. Gloss. Carpentier p. 929.

2 in T. III. Gloss. Carpentier p. 152.

3 ibid. pag. 615. ex Reg. 46. Chartoph. reg. ch. 33.

cessitate cubare, nemini fas esset, tamen consuetudines Cistercienses [1], praeter *Cellerarium*, *Custodem infirmorum*, et *Hospitalarium*, ab hac lege *Sacristam* quoque eximebant, qui in *Sacrario*, sive in cella *Sacrario* contigua proprium lectulum habebat [2]. Porro apud Monachos *Sacristae* dignitas praecipua post Abbatem erat, ut praeter chartam anni MCCLXXIV. Hist. Dalph., ubi legitur [3], *in casu illo correctio pertineat ad Abbatem*, *cum* Sacrista, *vel Claverio*, docet etiam Statutum Humberti Dalph. anni MCCXLVIII. Ibi enim haec exponuntur [4]. *Fuit nobis per praefatos Canonicos nominibus suis, et Capituli praedicti, ac* Sacristae *dictae Eccl. cum reverentia demonstratum, quod ..... ipsi* Sacristae, *Canonici, Sacerdotes, Curati, Capellani, et Clerici, ac totum Collegium Eccl. memoratae habent ..... jura, jurisdictiones.* Sed ne plura congeram, (vereor enim, ne hujusmodi rerum enumeratio quemadmodum scribenti, ita et legenti molestior sit) vide, si lubet, quae de *Sacristae* munere proferunt Willelmus Brito [5], Epitaphium Lugduni, Speculum Saxonicum [6], Statuta Leichefeldensium [7], et Londinensium [8] Ecclesiarum, Caesalius [9], Saxo Grammaticus [10], Ordinarium Canonicorum Regularium [11], Lobinellus [12], et Bollandistae [13].

1 cap. LXXXII.

2 Consule vit. S. Lindgeri. l. II. n. XIX. sec. IV. Ann. Bened. Hist. translationis S. Mauri. ibid. n. XXVI. Sermon. de S. Marculfo. ibid. num. I. Lambertum Mon. Trevirensem. ibid. in historia de inventione, et mirac. S. Martinae num. IX. et apud Bolland. XXIV. Fabr. Vitam S. Petri Urseoli. num. XIV. Sec. V. ann. Bened. Consuetudines S. Benigni ritus Rotomag. in Normannia. Edm. Martene. Tom. IV. p. 116.

3 T. I. p. 127. col. I.

4 inter Ord. Regum Francor. T. III. p. 276.

5 lib. XII. Philipp.

6 lib. II. art. LXXI. §. III.

7 in Monast. Anglic. T. III. p. 242.

8 ibid. p. 337.

9 lib. I. miraculor. c. XXXV. lib. IV. c. XIII.

10 lib. XI.

11 ad calcem Joh. Abrinc. de offic. Eccl. pag. 288.

12 Tom. II. hist. Britann. p. 337.

13 de S. Richardo Sacrista. II. Iulii pag. 178.

CAPVT XIII.

De Sacrista Pontificis Maximi.

Jam vero ad Rom. Eccl. *Sacristae* dignitatem illustrandam deveniamus, cujus gratia tot, ac tanta ad hoc ipsum munus generatim explicandum hactenus disseruimus.

§. 1.

Sacristarum Pontificiorum origo, ac series.

Huc spectant, quae de *Vestarario* superius attigimus, quem usque ad sec. xI. *Sacrarii* Custodem fuisse vidimus. Insequutis deinde temporibus *Confessarium* Pontificis, itidem *Sacrarii* curam habuisse constat. Nam in Cod. caeremoniali Vat. sec. xv. ineunte conscripto, quem Gattico in lucem edidit, haec de eodem habentur [1]. *Item in eodem Palatio est officium* Confessoris, *quem Summus Pontifex solet eligere* pro libito suae voluntatis, *qui debet in Palatio cameram habere, et in eo continue residere, ut si, et quando opus esset, suam praesentiam exhibere valeat, ad cujus officium spectat sermones, qui fiunt, coram Papa, injungere; Vesperas, et Missas sollemnes Dominis Cardinalibus notificare, Altare parare, et ornare; et quotiens D. N. nedum in Pontificalibus, sed etiam secrete voluerit celebrare, se exhibere eidem, et de sibi incumbentibus servire. Item ad hujus etiam officium pertinet omnia jocalia Capellae, ut puta, reliquiaria, Cruces, calices, imagines, candelabra aurea, argentea, et omnia vestimenta, et ornamenta quaecumque ad Dei servitium, et Capellam summis Pontificibus deputata custodire, exceptis mitris pretiosis, et aliis quibusdam solitis custodiri per Cubicularios, et exceptis Thiara,*

1 p. 270. §. xv. Confessor.

et Cherubin, quae solent reponi in camera Thesaurarii *Palatii Apostolici. Item ad ipsius officium pertinet ministrare vestimenta, et ornamenta Sacerdotalia, et Pontificalia, quotiens D. N. celebrare debet, et eidem Altari servire de libro, vel aliis, prout ipse D. N. duxerit ordinandum secundum ipsius* Confessoris *statum, et gradum. Item ad eumdem pertinet custodire, et ministrare Magistro Capellae vestimenta, et ornamenta, et alia necessaria ad usum quotidianum Capellae D. N. Item est attendendum, quod propter incumbentia officio ipsius Confessoris, quae multa sunt, solet habere unum Socium, qui vocatur* Sacrista; *eo quia ornamenta, et vestimenta Sacerdotalia alias necessaria pro divino officio celebrando de mandato, seu voluntate ipsius* Confessoris *habet ministrare.*

Augustinus Patritius, etsi Alexand. VI, diplomate dato idibus Octob. ann. MCDXCVII. *Sacristae* Apostolici Palatii munus Fratribus Eremitis S. Augustini in posterum perpetuo assignaverit, *nulla* tamen *consuetudine idem officium ad hanc, vel aliam Coenobitarum familiam antea adstrictum* fuisse pronuntiavit. Verum haec reprehensione digna censuit Angelus Rocca [1], quod *longa seculorum serie nunquam intermissa, ex hoc Ordine semper assumptus sit* Sacrarii Apostolici Praefectus, *ita ut de illius initio, sive de ipso contrario, memoria hominum nulla existat; et jam inde ab anno* MCCC. *ad haec usque tempora Fratres Augustiniani, nullo unquam tempore interrupto, exercuerint, nec ulla ante annum* MCCC. *exstet memoria, quae auctori praedicti libri Caeremoniarum possit favere*. Ceterum his intercessit Waddingus, qui Patritii defensionem suscepit, iisdem caeremonialis supra allati verbis, quae vel ipse Rocca ad suam tuendam sententiam incaute recitavit [2]. *Confessoris in eodem Palatio est Officium*

1 in Chronhistoria de Apostolico Sacrario p. 27. 2 in Annal. Minor. T. VI. p. IV.

quem Summus Pontifex solet eligere pro libito suae voluntatis, *qui debet in Palatio Cameram habere*. Cur ergo, inquit, Patritium coarguas, si *nulla consuetudine* Pontificem adstringi pronuntiavit ad *Sacristam* ex certa Religiosorum familia eligendum? Atque, ut omnem dubitandi ansam praecideret, in medium protulit [1] Epitaphium, Mantuae detectum in aede Fratrum Minorum S. Francisci, Philippi Bonaccursi, seu Bonacolsi Tridentini, qui *Sacrarii Apostolici Praefectus* fuit, Nicolao IV. ad Ecclesiae clavum sedente. En illud. *Rev. in Christo Pater, et D.D. Philippus Bonacolsus Mantuanus Ord. Minorum Episc. Tridentinus, Palatii Apostolici* Sacrista, *qui hoc Altare pretioso sacrarum reliquiarum thesauro exornavit, hic sepultus jacet. Obiit anno D.* MCCCII. *die* XVIII. *Decembris*. Ruit itaque Rocchae persuasio, qui Augustinum Thermitanum, non modo Caelestini V, et Bonifacii VIII, sed ipsius Nicolai IV. *Sacristam* fuisse contendit, ex eo quod a Clemente Auximano Priore generali Eremitarum, *aliquis ex suo Sodalitio, qui in Curia continuus assisteret, pro audiendis Confessionibus, et Poenitentiis imponendis, et constitutus est Augustinus hic, cognomento Novellus*. Quum enim ex allato Caeremoniali Pontificis *Confessor*, custos etiam appareat sacrae supellectilis, iccirco Thermitanum Nicolai *Sacristam* fuisse conjecit. Verum quamplurimos vel tum Pontificis Poenitentiarios, praesertim e Dominicana, et Fratrum Minorum familia, in Curia adfuisse demonstrat Waddingus [2], quibus proprias aedes in Vaticano jampridem construxerat Nicolaus III, quin tamen omnes ipsius Pontificis confessiones exciperent, aut *Sacrarii* quoque curam haberent, ut ex Cardinalis Petrae libro [3] perspicue apparet. Qua-

1 ibid. p. 17. 2 ibid. p. 18. 3 De Sacra Poenitentiaria Apost. Romae 1712. 4.

Digitized by Google

propter, etsi Thermitanus Poenitentiarii munere in Vrbe functus fuerit, sub Nicolao, minime vero sub Caelestino, et Bonifacio, non inde tamen recte colligitur, *Sacrario* Praefectum fuisse. Id enim muneris, post Augustini ex Vrbe discessum, Confessario adjunctum videtur, cujus tantum Socio *Sacristae* nomen deinde datum fuit. Quidquid tamen de hac controversia sentiendum sit, Josephus Pamphilus [1], Jordanus de Saxonia, ceterique Augustiniani Ordinis Historici [2], nunquam certe hujusmodi munus Thermitano collatum fuisse tradiderunt. Contra vero idem Pamphilus Jacobum Camertinum, veluti primum *Sacristam*, ita designat [3]. *Ordinis in Rom. Curia Procurator, post Augustini Novelli ab ea discessum, Rom. Pontificum Poenitentiarius, et* Sacrarii Apostolici Custos *designatur, ... hinc Officia* Sacristae, *et Procuratoris Ordinis in Romana Curia, quae hodie sunt ex primariis in Ordine dignitatibus*. Verum Panvinius primum *Sacrarii Apostolici Praefectum* ex Ord. Augustiniano, Joh. Lemovicensem Gallum a Joh. XXII. renunciatum fuisse narrat hoc modo. *Ioh. Papa* XXII, *qui Clementi* V. *successit, Ord. Eremitarum S. Augustini tria in Rom. Curia officia, quae conjunxerat, concessit. Haec fuere. Munus custodiendi* Sacrarii *Pontificii (quod hactenus Fratres dicti Ordinis retinent) Bibliothecae Palatinae, et Confessionis Pontificis pro tempore existentis audiendae. Primus, qui his tribus officiis ab eodem Pontifice, Avenione, ex dicto Ordine praefectus est, fuit M. Ioh. Lemovicens. Gallus Theologus*, Bibliothecarius, Sacrista, et Confessor *ejusdem Ioh.* XXII, *Benedicti* XII, *et Clementis* VI, *creatus circa annum D.* MCCCXVI. *Obiit vero anno* MCCCXLVI. Hic tamen in Ca-

1 in Chron. fol. 33.

2 V. Vit. B. August. Novelli. in T. IV. Maii p. 615. 619. et Joh. Fel. Ossingeri Bibl. Augustinianam, historicam, criticam, et Chronologicam. Ingolstadii 1768. fol.

3 in Vitis Fratrum.

talogo Ang. Rocchae tertium locum obtinet. Ceteri hoc ordine numerantur, quem Panvinius etiam usque ad Joh. Tifernatem sequutus est.

Magister F. Raymundus Apamiensis de Acono MCCCXLVI.
Mag. F. Petrus Amelius Lemovicensis MCCCLXVI.
M. F. Petrus Apamiensis MCCCLXXVIII.
M. F. Petrus Assalbitus MCCCXCV.
M. F. Rodulphus Castellanus MCDXL.
M. F. Iohannes Castellanus MCDLX.
M. F. Joh. Paullus Bossius Mediolanensis MCDLXXXIII.
M. F. Augustinus Castellanus MDI.
M. F. Zacharias Savonensis MDIV.
M. F. Nicolaus Acquapendentanus MDIV.
M. F. Gabriel Anconitanus MDXII.
M. F. Alphonsus Acquapendentanus MDXXXIV.
M. F. Johannes Jac. Barba Neapolitanus MDXLIV.
M. F. Aegidius Pisaurensis MDLXIV.
M. F. Josephus Pamphilus Veronensis MDLXVIII.
M. F. Augustinus Fivizanius Romanus MDLXXIV.
M. F. Angelus Rocca Camers MDXCV.

Hanc *Sacristarum* seriem usque ad Rocchae aetatem productam, Typographus in nova ejus operum editione ita protraxit.

M. F. Joh. Baptista de Aste Albinganensis MDCXX.
M. F. Johannes Vincentius Spinula Januensis MDCXX.
M. F. Fulgentius Galluccius a Monte Georgii MDCXXIII.
M. F. Fortunatus Scacchus Fanensis MDCXXIV.
M. F. Taddaeus Altinus a Camerino MDCXXXIX.
M. F. Ambrosius Landuccius Senensis MDCLV.
M. F. Josephus Eusanius Aquilanus MDCLXIX.
M. F. Petrus Lambertus le Drou Huyensis MDCXCII.

M. F. Augustinus Nicolaus de Abbatibus Oliverius Pisaurensis MDCCXII.

Quibus addendi sunt Thomas Cervionius Ilcinensis, qui obiit VI. Id. Jan. anno MDCCXLIX. Silvester Meranus Januensis, vita functus X. Kal. Aug. anno MDCCLXIV. Nic. Angelus Maria Landinius Florentinus, qui decessit XII. Kal. Martii anno MDCCLXXXII. ac demum Fr. Xaverius Christiani Episcopus Porphyriensis, qui floret singulari ingenii, doctrinae, et eloquentiae fama.

§. II.
Sacristae partes in Pontificum itineribus, equitationibus, et Coronatione.

Jam vero illustriora *Sacristae* munia attingam, quae cognoscere pretium sit. Ac primo, quae *Sacristarum* partes essent, quum Rom. Pontifices iter conficerent, idem Angelus Rocca [1], et Pompejus Sarnellius [2] fusius edisserunt. Ceterum, quum olim sollemne esset, ut Sacrosanctum Christi Corpus Pontifici praeferretur, quoties sacras Vrbis aedes adiret ad rem divinam peragendam, ut jam nonnullis exemplis superius ostendimus [3], iccirco ejus custodia in primis *Sacristae* commissa erat. Id enim liquet ex vetusto Cod. Caeremoniali, cujus haec sunt verba [4]. *Item quotiens D. N. equitat, ipse* Confessor *statim post mulam portantem Corpus Christi habet equitare in habitu convenienti statui Personae suae: et dum D. N. ad locum, ad quem declinat, pervenerit, in Capella ad hoc ordinata coffinum, in quo portat Corpus Christi, decenter debet reponere,*

1 de Sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus praeferendo Commentarius. Romae 1599. 4. et in T. 1. Opp. p. 33.

2 Come al Papa, che fa viaggio, preceda la SS. Eucharistia? nel suo lume a' principianti p. 170.

3 p. 218. 231. 232.

4 loc. cit. p. 270.

et ordinem dare , quod candela accensa ante ipsum coffinum semper remaneat . Et iste Confessor ultra socium , qui debet esse bonus , et fidelis , et honestus , debet habere unum Servitorem . Eadem recenset Augustinus Patritius [1], ubi ait. *Ante Pontificem semper praeferetur Crux per Subdiaconum Apostolicum* [2], *et post Crucem portabitur Corpus Christi, super equum album cum campanella . Ante equum praeibit Clericus Capellae cum laterna cum lumine , et post* Sacrista *cum ferula . Et isti semper erunt inter Papam , et Crucem* . Similia sunt, quae paullo infra praescribit [3] . *Quum vero Pontifex in Pontificalibus equitabit, praeparet Sacramentum in pulvino ornato , et super equum album faleratum imponi faciat . Equum fraeno ducit aliquis ex suis familiaribus . Clerici Capellae cum laternis praecedent , ipse vero ferulam manu gestans , in habitu statui suo condecenti , equitans subsequitur , curabitque , quum ad locum destinatum perveniat , ut Sacramentum in loco honesto , et cum luminaribus reponatur* . Sed quum hujusmodi ritus desuevisset, ea tamen die retinebatur, qua e Vaticano ad Lateranum ad ineundam possessionem , magno equitatu , in triumphi speciem , procedebat , teste Pontificali Romano [4]. *Post Sacramentum equitabat immediate* Sacrista , *qui , ut ceteri Praelati , habet equum totum coopertum boccasino* . Ex his autem agnosce antiquissimi ritus originem , jugiter retinendi, ubicumque degit Pontifex , sive in aedibus Vaticanis , sive in Quirinalibus , Augustissimum Sacramentum in una , aut altera e Cellis Paullinis , duabus cereis facibus diu , noctuque collucentibus , quarum cura Clericis Capellae commissa est , qui antiquitus *Fialarii* [5] vocabantur . Qui quidem ritus in

1 lib. 1. §. xiI. c. iv. et in T. iiI. Pontif. Rom. Catal. p. 207.
2 V. Aug. Fivizanium de ritu SS. Crucis Rom. Pont. praeferendae . Romae 1592. 4.
3 c. xix.
4 T. iiI. Ant. Murat. p. 649.
5 Cencius Cam. in Caer. Macer in Hierol.

mentem revocat alterum usum vetustissimum, privatae divinae dapis custodiae, piis hominibus nonnumquam indultae, quibus Eucharistiae particulas cavo dextrae, sinistra supposita in crucis formam, receptas [1], domum una secum deferre [2], ac quotidie de illis privatim participare, sacri Antistites permittebant. Atque hanc in rem memorandus est etiam singularis Galliae usus, ut Sacerdotes novelli in ordinatione intra candidissimam pergamenam ab Episcopo Hostiam reciperent, cujus particulam in quotidiana celebratione delibabant, atque ita continenti quadraginta dierum spatio plane consumebant, ut, docente Fulberto [3], quadragenarium temporis spatium referrent, quo Servator noster e mortis sinu expergitus, una cum Discipulis versatus est.

§. III.

Praegustatio panis, et vini in Sacris Pontificum.

Verum insignior caeremonia, quae ad eumdem spectabat, quoties Rom. Pontifex sacris operabatur, erat panis, et vini probatio, quae ab Augustino Patritio [3] ita describitur. *Diaconus Evangelii latinus accipit hostiam unam de tribus, quae sunt super patenam, et cum ea alias duas hostias*

1 Eusebius lib. vII. c. 1x. Cyrillus in V. Mystag. Ciprianus de Opere, et Eleem. et in ep. LVI. et in lib. de bono patien. Cornelius P. in ep. ad Fabium Antiochenum S. Ambrosius in ep. ad Theodos. S. Hier. in ep. ad Theophilum. Ducang. in *Partes*. Johannis Mabillonii Observatio de Eucharistia manu recepta. in Praef. ad acta SS. Bened. Sec. III. p. 55. Binghamus T. vI. lib. xv. c. v. §. vI. Populo Eucharistiam manu excipere permissum. p. 477.

2 Binghamus lib. xv. c. Iv. §. xIII. Eucharistia nonnumquam eb hominibus privatis domi suae ad quotidianam participationem adservata. p. 414. Pasqoale Copeti del Sagrifizio delle Messa, senza la Communione de' Fedeli astanti, e della Communione de' Fedeli fuori del Sagrifizio della Messa. fra' suoi Disc. Liturgici. Rome 1796. 8. p. 120. Fr. Ant. Vitale. Dell' antico costume di ritenersi da' Fedeli l'Eucharistia nalle private case, e di trasmetterla agli assenti. Roma 1779.

3 ie Caeremoniali

tangit, et eam dat Sacristae *comedendam. Deinde accipit aliam hostiam de duabus, quae remanserant, et cum ea tangit patenam, et calicem per totum intus, et extra; et similiter dat eam* Sacristae *comedendam*. Idipsum a *Praegustatoribus* [1], qui et ἐδεάτροι *Cocistrones* nuncupabantur, et quorum primus inter officia domus Augustae nunc *Decurio*, aut *Procurator Praegustatorum* [1], modo etiam *Archipraegustator*, aut *Architricliniarchus* in lapide apud Gudium [2] dicitur, factum fuisse in Regum conviviis docet Meursius [3], ad avertendam veneni suspicionem. Hac eadem de caussa Mabillonius [4], et Martenius [5] hujusmodi periculum a *Sacrista*, qui omnia parare debet, faciendum esse animadvertunt. *Post haec* eamdem ob caussam *de ampullis vinum, et aquam in taxeam*

1 Eorum meminere Tacitus ann. XIII. cap. XVI. Horatius l. II. Sat. Suetonius in Claud. cap. XLIV. Xenophon in Hierone lib. I. Athenaeus lib. III. Justinus lib. XII. cap. XIV. Juvenalis Sat. VI. v. 652. Arnobius l. IV, et veteres Inscriptiones apud Gruter. pag. 63. n. 5, et 9. p. 581. n. 13. p. 582. n. 1. p. 626. n. 2. Murator. p. 907. n. 3. Donium Class. 9. num. 24. Gudium pag. 15, 190, 191, 192, 194, 199. Tit. Pompam de Oper. Servor. in T. III. Poleni p. 1354. Pitisc. in Lexico. Adde Joh. Bapt. Casalium de Conviviis veter. c. I. in T. IX. Thes. Graec. Gronov. pag. 131. Joh. Bapt. Crophium in Ant. Macedonicis c. IX. de Medicis, et aliis ministris regiis. in T. VI. ejusd. Thes. p. 618. Caesarem Bulenger. de Conviviis c. V, et in T. XI. Thes. Graevii p. 210. Meursium in Exerc. Crit. c. XI. p. 3. Stuchium in ant. Conviv. c. XI. l. XXI. Sponium Misc. Erud. ant. Sat. III. p. 230. Vrsinum in append. ad Ciaccon. de Triclin. pag. 144. Brisson. de regno Persar. lib. I. p. 66. Schillin. Nomencl. Philol. pag. 942.

2 apud Donium Class. IX. n. 24. Murat. p. 907. n. 3. Gruterum p. 52. n. 4. et n. 13. Pignorium de servis in T. III. Thes. Poleni 1171. Guther. de offic. dom. Aug. in T. III. Thes. Sall. p. 599. Jos. Lanzonium de coronis, et unguentis in T. III. Thes. Salleng. p. 725. et in electis Convivalibus. Ibid. pag. 730. Morcellium de stilo Inscr. lat. p. 98.

3 pag. 201. num. 8.

4 in Exercitat. critic. lib. II. c. III.

5 in praefat. n. IX. et in Comm. ad Ord. Rom. pag. XLVI.

6 T. I. de ant. Eccl. rit. p. 392. V. Christ. Sandium, qui disquirit, an Victor III. veneno in calicem immixto sit extinctus? in notis, et animadv. ad Vossium de historicis latinis p. 195. Trithemium de VV. illustr. Ord. Bened. l. IV. c. XIII. Bern. Guidonem in Victoris vita in T. III. Rer. Ital. Murat. p. 352. Ptolom. Lucens. Hist. Eccl. l. XIX. cap. XIII. in T. XI. Murat. p. 1078. Joh. Mabillon de B. Victore pag. III. in act. SS. Ord. Ben. sec. VI. P. II. p. 583. Joh. Adolph. Hartman. vitam Victoris III. Marburgi 1729. 8. Mart. Defenbachium de morte Henrici VI. Imp. pag. 148.

Digitized by Google

dat Sacristae *ad praegustandum, et deinde accipiens patenam cum hostia, eam dat in manibus Papae*. Jure igitur clamat Amelius [1]. *Buticularii Papae debent portare tres, vel quatuor magnas quartas vini puri, et optimi pro Communione. Vinum, quod remanet, tam in magnis missis, quam in parvis Papalibus, semper est* Sacristae. Istiusmodi experimentum *Proba* [2] dici consueverat, ut discimus ex eodem Amelio, qui ait [3]. *Deposita sibi mitra per Diaconum Cardinalem, qui dicit Evangelium, extensa tobalea de auro super Altare per acolythos, et per* Sacristam, *idem Diaconus extendit Corporalia in medio Altaris, et Episcopus non Cardinalis, sed* Sacrista *portat Calicem cum pyxide, hostiarum, et parvo cochleari, coopertum velo sirico, et portat Calicem cum tribus hostiis, unam pro Sacramento, et duas pro* Proba; *et in Papae praesentia facit* Probam *de vino, et de pane: et fundit vinum in Calicem tantum, quantum durat cretulus hostiae, et post aquae benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquae, et tunc facit Probam, et ponit patenam cum hostia super Calicem*. Haud absimile est, quod legimus in caeremoniali Paridis de Grassis [4]. *Hostiam unam ex tribus simul contactis, vidente Pontifice, primo dat* Sacristae *ad praegustandum pro Credentia.... de vino, et aqua offerendis facit per* Sacristam, *Pontifice vidente, fieri credentiam*. Gemina sunt, quae alibi describuntur. *Diaconus accepto Calice de manu Subdiaconi, statuit illud super Altare: deinde accipiens unam ex hostiis, cum ea tangit aliam, et patenam, atque Calicem intus, et extra, eamque dat praegustandam Subdiacono, vel* Sacristae, *si adsit*. Haec eadem a Diacono peracta describit Georgius [5], qui praeterea [6] ex libro caeremoniali [7] adnotavit, Subdiaconum ferre solitum fuisse *ex credentia* Sa-

1 Ord. xv. pag. 507.
2 Ducange et Pitiscus in Glossario.
3 cap. LXXXI. pag. 499.
4 T. I. Gloss. Carpentier p. 1192.
5 T. II. Litur. Rom. Pont. p. 211.
6 ibid. p. 187. 7 lib. III. c. XV. p. 106.

cristae *ad Altare bursam cum Corporalibus, hostiaria, et purificatorio*. Nunc autem *Sacrista* ex librorum Caeremonialium praescripto [1], *postquam uni ex Acolythis ampullas vini, et aquae vacuas, duobus velis aureis coopertas, et patenam argenteam sub axilla sinistra ferendam praebuit, aureum velum circa collum praeferens, sumit ex abaco suo calicem cum patena, et parvum quoddam cochlear aureum, cum quo aqua in calicem est infundenda, super patenam, ponit ac omnia veli parte cooperta, duobus ministris praeeuntibus, una cum Acolytho, ad Altare Pontifici defert......* [2]. *Subdiaconus vero Latinus accipit cochlear praedictum, super quod* Sacrista *imponit aquam ex ampulla*.

§. IV.

Caeremoniae pro Pontificis Communione.

Postquam vero Pontifex ex Altari ad sedem reversus est, ut ibi peculiari ritu, quem Angelus Rocca [3] illustravit, sacram Eucharistiam sumat, Amelio [4] docente, *post Diaconum* Sacrista *Episcopus defert Calicem vacuum coopertum cum nobili panno sirico in manu dextra, et in sinistra papilionem cum fistula, et tribus punctis, quam tradit Presbytero Cardinali, qui servit Papae, et post eum venit Acolythus cum vinateriis, et duobus taxeis*. Quumque a Diacono fistula *ad bibendum de Sanguine Christi* iis omnibus, *qui de manu Papae communicassent*, die festo Paschatis olim tribueretur, post perceptionem Sanguinis quemlibet bibisse tradit Amelius [5] *modicum de vino cum calice de manu* Sacristae, *vel Acolythi Calicem tenentis*.

1 lib. xiv. p. 130. et in Ord. xv. p. 449. et apud Georgium T. II. p. 211.

2 lib. 1[1]. c. xxxiv.

3 de sacra summi Pontif. communione sacrosanctam missam celebrantis commentarius. Romae 1610, et in T. I. Oper. p. 9. et in Bibl. Roccaberti. Consule epistolam Benedicti XIV. sopra il celebrare la Messa sedendo. Roma 1757 fol.,

4 in Ord. xv. p. 500. 5 in Or. xv. c. LXXXV.

§. V.

Ritus obeundi prima Vespera, et nocte Natalis Domini, adstante Imperatore.

Verum alia ad *Sacristae* munus spectantia libet animadvertere, quippe quae praeclarissimas caeremonias olim in usu habitas, nobis ostendunt. Petrus Amelius pridie festum Natalis D. N. Jesu haec a *Sacrista* praestanda commemorat [1]. *In primis Vesperis* Sacrista *Papae bona hora facit parare pluviale album preciosum cum imaginibus, et perlis, aquilam, et mitram preciosam cum magnis sapphiris, vel aliam juxta voluntatem Papae, quibus indutus Pontifex ad vesperam venit*. In altero Caeremoniali D. Rotomagensis de Stoutavilla haec habentur de Missa noctis Natalis Domini [2]. *Si Imperator, vel Rex sit in Curia hac nocte*, Sacrista, *et Clerici praesentant sibi librum legendarum, in quo debet legere* V. *lectionem, et eum honeste instruunt de caeremoniis observandis in petendo benedictionem, in levando ensem cum vagina, et extrahendo, ipsum vibrando, et de pluviali, pileo, et aliis. Item notabiliter paretur per* Sacristam, *et Clericos Camerae ensis cum vagina, corrigia, et pileo secundum nobilitatem Principis, et dum cantatur* IV. *responsorium, si sit Imperator, vel Rex, Camerarius*, Sacrista, *et Clerici Capellae parant unum pulcrum pluviale album, et ante pulpitum deponunt sibi capucium, et ipsum induunt ad modum clamydis illud pluviale, ita quod scissura sit ad manum ejus dextram, et cingunt ei ensem; et ipsemet extrahit, et facit vibrare, et ponunt sibi super caput pileum, et ipse inclinat caput ad Papam, et petit benedictionem, et legit lectionem, sibi praedictis adstantibus; qua lecta, ducunt sic indutum cum*

1 in Ord. XV. p. 440.

2 in Ord. XIV. p. 325.

Digitized by Google

pileo super caput, enſe extracto in manu, ad oſculum pedis Papae, et quilibet revertitur ad locum ſuum. Haec nocte Natalis Domini peragenda ibidem enarrantur, quibus adjicias, quae de lectionibus legendis eadem nocte P. Amelius adnotavit in hunc modum [1]. *Lectione lecta per Papam, Subdiaconus incipit ante Papam* Te Deum laudamus, *et Papa iterum reſumit* Te Deum, *et Cantores perficiunt totum*. *Dum cantatur* Te Deum, Sacriſta *facit parare paramenta ſuper Altare albi coloris, primo caſulam, ſecundo dalmaticam, ſuper parte ſiniſtra tunicellam, ſuper parte dextra ſtolam pectoralem, chirothecas, anulos, pallium, tres acus, ſive ſpinolas, ſandalia ſuper eadem parte, manipulum infra librum Evangeliorum, in ſiniſtra parte mitram, in medio Altaris albam ſimplicem, et ab una parte cinctorium cum ſuccinctorio verſus mitram, et fanum a parte dextra, et ſic idem* Sacriſta *ſucceſſive, et ordinate cum honeſtate tradit, et diſtribuit Capellanis, Commenſalibus, Auditoribus, et Acolythis juxta ordinem ſuum ſummo Pontifici deferendis*. Quae quidem ferme omnia a *Sacriſta* adhuc praeſtantur diebus ſollemnibus Natalis Domini, Paſchatis, et Feſti Apoſtolorum Petri, et Paulli, in quibus, antequam Pontifex rem divinam faciat, ſacras veſtes pridem in menſa Altaris Pontificii apte, et concinnè diſpoſitas, Acolythis *Signaturae Votantibus*, ad ſolium Pontificis amplo Conopeo inſtructum, deferendas ex ordine diribere ſolet. Ceterum Paris de Craſſis, ubi *agit de Miſſis ad Praelatos pertinentibus*, inquit [2], *celebratur et illa, quam dixi, in galli cantu, noctis natalitiae per* Sacriſtam,

1 In Ord. xv. p. 450.   2 apud Menardum, et Mart. T. III. de ant. Eccl. rit. p. 610.

§. VI.

Dominica de Rosa.

Praeclarum est etiam illud, quod Amelius de IV. Dominica Quadragesimae, quae *de Rosa*, *Rosae*, aut *Rosarum* [1], atque etiam *Dominica laetare* [2], aut *Dominica panum* fuit nuncupata, in hunc modum recensuit [3]. *Venit Camerarius cum Rosa aurea, et flexis genibus praesentat Papae, et osculatur ei manum, et* Sacrista *praesentat balsamum cum musqueto, quae debet recipi ab aliquo cubiculariorum Papae; et Papa infundat super Rosam balsamum, et musquetum, et sic bajulans rosam, exit de camera, et vadit ad capellam suam, vel, si in Vrbe fuerit, ad S. Crucem in Jerusalem*. Eadem in Caeremoniali mss. ita exponuntur [4]. *Finita oratione, Pontifex inungit cum balsamo rosas aureas, quae sunt in ipso ra-*

1 Calmet in Prob. Hist. Lotharingiae T. I. col. 427. Jac. l'Enfant. in T. I. Hist. Conc. Pisani. p. 323. Ducang. in Gloss. Raynaudus in T. X. Opp. Rosa mediana Rom. Pont. benedictione consecrata ritus sacer Dom. IV. Quadrages. enucleatus. p. 401. Gretserus in lib. II. de benedictionibus c. XL. Besozzius Storia di S. Croce in Gerusalemme p. 164. Rocca. Aurea Rosa, Ensis, et Pileum quae Regibus, ac Magnatibus a Sum. Pont. benedicta in donum mittuntur, quid sibi velint? in T. Opp. p. 207. Cartari la Rosa d'oro Pontificia. Roma 1581. e 1687. 4. Baldassarri la Rosa d'oro, che si benedice nella IV. Domenica di Quaresima. Ven. 1709. e con giunte d'un Anonimo. 1759. Petri Busenelli de Rosa Aurea Epistola. Patavii 1759. 8. Benedetto XIV. Lettera al Capitolo di Bologna. inter ejus Opera, e nel Giornale de' Letterati. Articolo XIV. pag. 257. ann. 1760. Piazza Iride Sagra cap. XVII. del color di Rosa sacra, quando, e con qual mistero si usi nella Chiesa? pag. 237. Du Vert Caerem. Eccl. T. II. p. 18. Cenni. Quandonam, quo authore, qua occasione, in Rom. Eccl. usurpari coeperit Benedictio Rosae aureae, quibusque ea benedictio ritibus, et olim peracta sit, et hodie peragatur? nel T. I. delle sue Dissert. postume. Pistoja 1778. p. 244, e nel Giorn. de' Letter. del 1758. art. XVI. Adam. Rechembergii Exercit. de Rosa Aurea. Lipsiae 1666. Erdm. Neumeisteri. Diss. in Tom. I. Eclog. Evang. p. 629. Zaccariae Grapii Schediasma Historicum de Rosa Aurea a Papa Rom. quotannis solemniter consecrata. Lips. 1696. 4. Fridarici Rartchil Commentatio de Rosa aurea, omnique aevo sacra. 1728. 4.

2 V. Diss. Paulli Christ. Hilscheri. Lipsiae 1690. 4. et Joh. Gasp. Zemneri. Jenae 1701. 4. de Dominica Laetare.

3 Ord. XV. p. 471.

4 in T. III. Gloss. Carpentier p. 641.

Digitized by Google

musculo, *et super imponit muscum tritum*, *quae per* Sacristam *ei ministrantur*. Ejusdem balsami custodia *Sacristae* concredita fuisse videtur ex iis etiam, quae idem P. Amelius curanda tradidit, *de Papa jam mortuo* [1]. *Vultus fricetur*, *et ungatur cum balsamo bono*, *et etiam manus*. *Camerarius*, *vel Cubicularii*, *qui custodiunt balsamum*, *vel* Sacrista, *si habent*, *tradent*.

§. VII.

Dominica Palmarum, *et Feria* V. *in Coena Domini*.

Alia etiam antiquiora *Sacristae* munera in Codice Caeremoniali a Gattico in lucem edito declarantur. Haec inter eminent usus *palmarum benedictionis* in Conclavi ab eo peragendae in *Dominica Olivarum* [2]. Feria vero V. in Coena Domini notandum esse monet Card. Cajetanus [3], *quod in hac missa non consuevit esse sermo*, *nisi Papa vellet facere processionem*. *Tunc si Papa illum sermonem facere non vellet*, Sacrista *committit de ejus mandato sermonem alicui de Dominis Cardinalibus Episcopis*, *vel Presbyteris*, *quoniam Diaconi nunquam coram Papa praedicant*, *aut alicui Praelato*, *vel Magistro in Theologia*. Haec autem totidem verbis declarat Amelius, qui praeterea *de officio chrismatis*, *et de ampullis* eadem die ita disposuit [4]. *Mane hujus diei primo Mansionarii*, Sacrista, *et Clerici Capellae ad hoc destinati praeparent omnia*, *quae necessaria sunt ad consecrationem chrismatis*, *videlicet tres ampullas de argento*, *non tamen ejusdem quantitatis*, *quoniam major debet esse de sancto chrismate*, *mundissimo oleo plenas* [5], *maxima vero ampulla*, *quae ad*

1 Ord. XV. p. 527. 2 p. 451.

3 in Ord. XIV. p. 355.

4 in Ord. XV. p. 481.

5 Pasquale Copeti dell' oblazione dell' Olio, e del Balsamo, antichità d'unirli insieme, per formare il Crisma, e del vaso a conservarvi il Crisma. fra' suoi Discorsi di Liturgia. Roma 1766. 8. p. 81.

chrisma debet fieri, de panno sirico albo tenuissimo cooperitur, aliae autem de alio panno sirico dissimili coopertae habeantur, sed tamen pannus adeo subtilis, quod ampullae possint videri per Papam, et alios. Atque absoluta praestantissimae hujus caeremoniae descriptione, ita rem claudit [1]. *Postea reportantur ampullae processionaliter, sicut fuerunt adductae ad* Sacrarium, *vel ad locum, quem* Sacrista *ordinavit, ubi stare debent. Deinde idem* Sacrista *distribuit unicuique, sicut debetur, et fuerit opportunum*.

§. VIII.

Feria VI. *Parasceves, et Sabbato Sancto*.

Quid a *Sacrista* praestandum esset in die Parasceves, ita indicatur in antiquo Caeremoniali [2]. *Finita adoratione Crucis*, Sacrista, *vel alius ad hoc deputatus deponit Crucem in suo loco super Altare, et accendit luminaria in Altare, et pecuniam oblatam in Crucis adoratione* Sacrista *recipit sola hac die, quoniam sua est; in aliis vero est Capellani*. Neque omittendum, quod die Sabbati S. *Sacristae* incumbere adnotavit Card. Cajetanus [3]. *Dum incipitur* Gloria in excelsis Deo, *Papa deponit pluviale rubeum, et stolam, et mitram, quae omnia debent esse sine perlis, et Subdiaconus, vel ille, qui custodit praedicta cum mitra Consistoriali cum perlis*. Sacrista *vero, vel ejus socius tradit pluviale album de samito cum aurifrisiis de perlis, et cum cordonibus, et Diaconus, qui stat a dextris Papae, induit Papam*. Deinde sacro absoluto, et sacris vestibus depositis [4], Sacrista *facit plicari paramenta munde, et honeste*.

1 ibid. p. 484. 2 ibid. p. 33, et in Ord. XIV. p. 369. 3 ibid. p. 505. 4 ib. p. 502.

§. IX.
Dominica Paschatis.

Praeterea, subdit Cajetanus, *in die S. Paschae de officio Missae* [1], *notandum, quod* Sacrista *hodie ponit mitras pretiosas, et sollemnes super cornu sinistrum altaris, et semper in illis diebus processionalibus.... notandum etiam, quod* Sacrista *debet portare hodie tres calices, magnum pro Missa, alium, cum quo Papa bibit vinum, tertium pro communione. Parat etiam custodiam deauratam, et tot hostias parvas, quot sunt necessariae*. Deinde sacram synaxim describens, *nota etiam*, inquit [2], *quod quilibet, qui communicat, consuevit offerre aliquid super altare, postquam communicaverit; et totum illud est* Sacristae, *et Capellanorum. Item nota, quod quilibet, post sumptionem Christi Sanguinis, debet bibere modicum de vino cum calice de manu* Sacristae, *vel Acolythi calicem tenentis.*

§. X.
Sabbato in Albis.

De his vero disserens, quae debent fieri in *Sabbato in Albis*, ritum exponit, de quo alibi [3] me dicere memini, conficiendi Agnos cereos orbiculares, a Pontifice donandos, hujusmodi verbis [4]. *Fuerunt facti illo anno per Fratrem Petrum Episc. Senegaliensem* Sacristam XXIV. *Sciendum, quomodo dictus Fr. Petr. Episc. fecit dictos Agnus Dei. Primo namque cera munda, et albissima fuit posita super Altare B. Petri Apostoli. Deinde sibi tradita per Clericos Camerae, et per Magistrum Cereae Papae; qua recepta, confecit illam diem cum chrismate antiquo, quod remansit anno praeterito. Verum quod etiam miscuit cum chrismate novo propter majorem de-*

1 ibid. p. 505. 2 ibid. p. 506. 3 pag. 308. 309. 350. 4 ibid. p. 510.

votionem, et impressit illam in illis sigillis, seu formulis ad hoc deditis: deinde benedixit, sicut benedicuntur candelae in die candelarum, mutatis vocabulis: demum eos immersit in aquam benedictam.

§. XI.

Sacristae jura in Regum, aut Imperatorum Parentalibus in Vrbe habitis.

Quid igitur mirum, si pro tanti, ac tam laboriosi muneris mercede, praeter vinum, et oblationes, quas *Sacristae* juris fuisse vidimus, quoties etiam Imperatori, aut Regi justa funebria persolverentur, ad eumdem cereae faculae, et peristromata pertinerent? Hujus etiam rei Amelius profert exemplum, quod ita habet. [1] *An.* MCCCLXXXVIII. *Pontificatus Domini Vrbani* VI. *in Eccl. S. M. Transtiberim fuerunt factae obsequiae pro Imperatore. In Missa Papa interfuit cum Cappa lanea de scarletto clausa, et mitra alba, et fuerunt LXXX. Torticiae, quas Camera posuit, et duo panni de auro. Domnus tulit sententiam, quod omnia essent* Sacristae, *et sibi de jure pertinent. Ideo omnes torticias, et praedictos pannos recepit, sed ceram dimisit propter Camerae paupertatem.*

Atque haec habui dicere de *Sacristarum Pontificiorum* munere, ac dignitate. Cetera in Ang. Rocchae *Cronhistoria de Apostolico Sacrario* [2] obversantur, cui haec e mea penu desumpta, veluti mantissae loco, quae licet obsonia vincat, tamen nihilominus haud ingratam hujusmodi lautitiarum amatoribus fore confido, adjicienda curavi.

1 Ibid. p. 515. V. Pet. Morettum de S. Calisto PP. et M. ejusque Basil. S. Mariae trans Tiberim nuncupata. Romae 1767. fol.

2 in T. I. ejus Opp. de Sacristae Romani Pont. functionibus pag. 324. de Sacristae habitu in Cappella, et foris p. 326.

SYNTAGMATIS
PARS IIII.
DE SECRETARIIS
VETERVM
CHRISTIANORVM
APVD GRAECOS

Digitized by Google

SYNTAGMATIS
PARS IIII.
DE SECRETARIIS
VETERVM CHRISTIANORVM
APVD GRAECOS

Jam ad alteram, de qua nos dicturos recepimus, operis nostri partem veniamus, ut *Secretariorum* denominationes, atque usus etiam apud Graecos diligenter expendamus. Nam si qui forte essent, quibus haud ita exploratum, perspectumque, quod hactenus de *duplici Secretario* probare conati sumus, videri posset, iis ita demum satisfaciendum est, ut praeter ea, quae jam apud Latinos in usu fuisse demonstravimus, quaelibet etiam nomina singulatim in medium proferamus, atque illustremus, quibus Graeci utrumque *Secretarium*, *majus* nempe, ac *minus* designarunt.

CAPVT I.

De Diaconico Majori.

Atque ut a *Diaconici* nomine exordiamur, id verbum latine *Ministeriale* sonat, sive, ut elegantius Glossae veteres, *Ministeriarium*, quae appellatio inde *Secretariis* videtur affixa, quod in ipsis quaecumque ad divinum ministerium pertinent, et, ut Paullinus ait, *alma sacri pompa ministerii* reconderetur, indidemque depromeretur. Quum vero *Secretaria*, ut supra [1] de *Sacrario* Praefectis disserentes demonstravimus, *Diaconorum* curae potissimum committeren-

1 cap. IV. §. IX. p. 325.

tur, hinc factum est, ut eadem *Diaconici* nomine, praesertim apud Graecos, designarentur. Qua de re nemini dubium esse potest, qui vel primoribus labiis sacras antiquitates attigerit. Praesto enim sunt quamplurima veterum Scriptorum loca, quae id satis aperte declarant. Audi Symeonem Thessalonicensem, qui describens Episcopi in *Diaconico* sacris vestibus induti comitatum, atque incessum usque ad Altare, dum ad consecrationem accedebat, *educitur*, inquit [2], *e* Diaconico, *et Diacono, ipsum praecedente, et deducentibus Presbyteris duobus per portam Templi dexteram, et soleam, iter agit usque ad S. Bema, idest Altare*. Hoc idem in Euchologio confirmatur, ubi de ritibus Altaris abluendi feria v. Parasceves, legimus. *Post dictam Tertiam, et Sextam vadit SS. Patriarcha in Mesatorium, sive Diaconicum, et exit ad S. Altare, sive Bema dextra parte, et facta est mensae ablutio*. Similia sunt, quae occurrunt in Typico Sabae. *Ingressi mutant vestem Sacerdotalem in* Diaconico. Nec minus aperte rem comprobat Ioh. Moscus in Prato Spirituali, ubi ait [3]. *Ingressus est* Diaconicum *plorans, corruitque in faciem suam*. His plane consonant acta S. Anastasii Persae Martyris, quae sic habent [4]. *Consurgens abit ad Eccl. ad Canonem nocturnae Psalmodiae, illucescente sancta die Dominica, rogansque Abbatem, ut in* Diaconicon *suum secederet, isthic ad ejus provolutus pedes obsecravit eum, ut pro se Deum oraret, quippe se intra paucos dies esse moriturum*. Praeterea in sollemni commemoratione trium Doctorum Basilii, Nazianzeni, et Chrysostomi, cujus mentio fit in tractatu praeliminari Nic. Rayaei *de Acoluthia Officii Canonici* pro Eccl. Orientalibus

2 lib. de Sacramentis.

3 c. xxv.

4 In T. II. Januar. Bolland. pag. 433, et apud Surium d. 22. Januarii p. 361.

Graecorum, ita scriptum reperies [1]. *Secedunt Sacerdos, et Diaconus, faciuntque reverentiam Praesidi, aut versus ipsius locum, ut ante dictum est, et mutant sacram stolam in* Diaconico. *Et exeuntes ad Templum introeunt cum incenso, praecedentibus ipsos lampadibus; fratres autem omnes sequuntur, in unum coeuntibus duobus choris*. Ac demum, ut alia praeteream exempla, id etiam manifeste patet ex Liturgia Marci, ubi totidem ferme verbis, quae in iis etiam legimus Jacobi [2], et Chrysostomi [3], haec habentur recitanda post sacri absolutionem [4]. *Sacerdos orat in* Diaconico, *hoc est* Sacrario, *seu* Secretario, *dicens, dedisti nobis, Domine, sanctificationem in participatione SS. Corporis, et pretiosi Sanguinis Filii tui*.

Haec, quum ita sint, tamen aliae praeterea fuisse caussae videri possunt, cur *Secretario Diaconici* nomen factum sit: quod videlicet ibi *Diacones* vocati *Episcoporum oculi, os, aures, Angeli, Prophetae*, non solum quae ad sacram supellectilem, et vestes Sacerdotales spectant, priusquam sacra perageretur Liturgia, munia obirent, sed etiam pro muneris sui ratione considere soliti essent, Eccl. negotia, ceteraque, quae suarum partium essent, sedulo curarent, ibique conjuncta haberent domicilia. Rem certe comprobat Euthymii Magni Abbatis vita, auctore Cyrillo Scythopolitano Monacho, quae sic habet [5]. *Adventante D. Antonii festo praecepit, ut per totam noctem vigilarent in Templo, et nocturnis illis hymnis per eos peractis, quum assumpsisset Presbyteros, in eo, quod* Diaconicum *appellatur, non amplius,*

1 T. II. Junii Bolland. p. XXXIV, et 97.
2 apud Cotelerium T. III. p. 23.
3 ibid. p. 88.
4 in T. II. Bibl. PP. p. 41.
5 T. III. Monum. Eccles. Graecae apud Cotelerium pag. 290, et in Analect. Graecis per Monach. Benedict. edit. Paris. 1688. 4. p. 89. In Surii vitis SS. die 20. Jan. pag. 319, et in T. II. Jan. Bolland. pag. 298.

inquit, Fratres, vobiscum vigilias peragam. Et paullo post [1]. *His dictis, dimisit omnes praeter Domitianum, et quum tres postea dies mansisset in* Diaconico, *Sabbato noctu dormit in pace*. Rursus alio loco [2]. *Quum, ut solet, inter Antiochenum Caesarium, et Thomam Monasterii administratorem agitati essent varii sermones, audiens ab eo, quod in* Diaconico *partes quaedam essent illius ligni, in quo Dominus tremendae illius dispensationis subiit crucifixionem, petiit ab eo, ut pretiosa illa ligna adoraret, eorumque exiguam aliquam partem acciperet. Quum ergo annuisset Thomas Monasterii Praepositus, eadem quidem hora ei aperit ambas* Diaconici *fores, reserat autem thecas rerum pretiosarum, aliquid faciens ardentius, et amantius. Atque ingressus est cum suis Caesarius. Adorantes vero, et complexi, aliquam quoque partem accipiunt salutaris illius, et venerandi ligni. Deinde ingressi interiorem* Diaconici *cellam, rursum ad se reficiendos amice convertuntur. Theodotus autem quidam Galatha, qui eis ministrabat, frequenter exiens per* Diaconicum, *et ad eos ingrediens, sacris illis thecis apertis, sexcentos surripuit aureos, qui positi erant in tribus crumenis*. Ex quibus, ut opinor, facile quisquam intelliget, *Diaconico*, ubi sacra κειμήλια adservabantur, cellas etiam fuisse adjunctas, *Diaconorum* habitationi, et commodo destinatas. Quod clarius etiam perspicitur ex descriptione aedis Sophianae apud Paullum Silentiarium a Ducangio illustratae, ex qua colligimus, illud *Diaconicum* peramplum fuisse triclinium, variis hinc inde cubiculis structum, quorum pars *Diaconorum* usui, qui ejusdem curae, ac custodiae praefecti erant, inserviebat. Et sane inquit Conc. CP. sub Menna [3]. *Non est autem media domus, nisi honorabile* Diaconale. Quapropter nescio, cur Gretserus

1 ibid. p. 293. 2 ibid. p. 311. 3 T. II. Concil. Labb. p. 1375. act. V.

statuerit [1], Diaconicum *non esse conclave Diaconorum, in quo illi congregati tractarint negotia muneris sui, sed esse locum, ubi ministri sacras vestes ad divina officia peragenda induunt.* Quod miror, etiam Ioh. Pinium excepisse, quum vitam S. Irenes Hegumenae Virginis CP. illustravit [2], quae haec de eadem memoriae prodidit. *Post Matutinum Officium, quoniam pernox fuerat Statio, ipsa seorsim parvam aliquam corpori quietem dedit; captoque somno, sic enim consueverat, Templi* Diaconicum *ingressa est, et unamquamque e Sororibus nominatim ad se vocans, et ipsi assidens explanabat occulta, et abstrusa, ipsarumque motionum animae, ac cogitationum apposite conscientiam pungebat, atque ad lapsuum confessionem, et poenitentiam provocabat, et perfectae accipiebat illarum emendationis promissionem.* Neque vero haereas, velim, utrum hic locus de *Secretario* accipiendus sit. Heic enim sermo habetur de uno ex iis, quae intra Sanctimonialium claustra exstitisse demonstravimus [3], earumque usibus, ac commodo praecipue inserviebant.

CAPVT II.

Quonam loco Diaconicum majus situm esset?

Verum, ad quam Templi partem idem *Diaconicum* aedificatum esset, non satis inter literatos viros convenit. Quum enim plerique eorum pernecessariam *Diaconici majoris*, et *Diaconici Bematis* distinctionem praetermiserint, unum pro altero persaepe accipientes, in diversa abierunt. Porro Beveregius in adnotationibus ad Can. Conc. Nicaeni I. [4] *Diaconicum* majus, de quo heic sermo est, ab Eccl. se-

1 l. III. c. XI. Observat. in Codini c. ult.
2 T. VI. Julii Boll. p. 613. c. IV.
3 pag. 422.
4 T. II. Synod. M. §. XV. p. 76.

junctum esse contendit; at de altero *Bematis* nullum ab eo verbum. Qua de re Cedreni locum in medium profert, qui de Leone Imperatore Basilii Macedonis F. verba faciens, cui Patriarcha introitu Templi interdixerat, *etiamsi*, inquit, *Imperatori nec Ecclesiam, ne dum bema ingredi licuerit, per dextram tamen Templi partem, in* Mitatorium, *sive* Diaconicum *se contulit, ibique precatus est*. Iccirco, allata etiam Symeonis Thessalonicensis, et Euchologii auctoritate, statuit ad dextram, sive Septentrionalem *Bematis* partem collocatum esse *Diaconicon*, ut in veterum Templorum ichnographia, quam operi attexuit, offenditur. Sic autem Beveregius ratiocinatur. Si Imperator, quamquam nec Ecclesiam, ne dum *bema* ingredi posset, per dextram tamen Templi partem in *Mitatorium*, sive *Diaconicum* se contulit, ibique precatus est, palam fit, *Diaconicum* tam ab ipso *Bemate*, quam a sacra aede disjunctum fuisse. Egregie omnia. Sed addendum tamen nonnihil erat ad omnem ambiguitatem submovendam, de altero *Diaconico*; quod quum omnino tacuerit, etiamsi pluries *Bema* nominaverit, suspicio quaedam suboriri posset, fuisse ab eo ignoratum.

Contra vero Allatius [1], *Diaconicon* rem prorsus diversam a *Secretario* esse contendit, recentiorum Graecorum exemplo permotus, apud quos nullum plerumque reperitur *Scevophylacium* Ecclesiae conjunctum: siquidem sacra vasa in propriis aedibus, vel in loco tutiori conservant, et in ipso *Bemate* sacris vestibus induuntur ad divinam Liturgiam peragendam, uti refert etiam Card. Bona [2], qui in Allatii sententiam descendit. Ac propterea arguit, quoties *Diaconicum* apud Scriptores reperitur, sumi debere

1 de Templ. Graec. recentior. Col. Agripp. p. 25.   2 T. II. rer. Liturg. c. XXIV. p. 339.

pro Concha illa, quae Θυσιαστήριον conchae adjungitur, ad sinistram eorum, qui sacram aedem ingrediuntur. Verumtamen, pace tantorum virorum, etsi demus, hanc Concham *Diaconicum* quandoque fuisse appellatam, non inde tamen evinci potest, exedras, quae vulgo *Secretaria* nuncupabantur, *Diaconici* appellatione nunquam venisse, ac multo minus inficiari quisquam potest, vel apud Graecos *Diaconicon majus* exstitisse; quod Allatio, Graeco homini, excidisse, mirari satis nequeo.

Sed, quod aliorum animadversionem fugit, primus omnium observasse videtur Goarus, in notis ad Euchologium. Ibi enim *Diaconicum* ab Altari, totoque sacro adyto longius remotum, ab altero *absidi*, ac *bemati* conjuncto, sedulo distinguendum esse demonstrat, uti apparet ex Templorum veterum Ichnographia, quam ipse etiam operi adjunxit. Atque ejus vestigiis inhaerens Ducangius in CP. Christiana, seu descriptione Vrbis CP, qualis exstitit sub Christianis Imperatoribus [1], itemque in uberiori *Commentario ad Paullum Silentiarium* [2], prae ceteris plenius, atque inquisitius, quo potissimum loco, in aede Sophiana, atque in aliis majoribus Ecclesiis *Diaconica* sita essent, egregie tradidit. Iis enim nititur rationum momentis, ut, distinctione superius allata, omnes doctorum virorum controversias plane dirimat; quemadmodum animadvertit Binghamus [3], qui suum illius sententiae adjicere calculum non dubitavit.

1 lib. III. §. LXXXII. p. 77. 2 p. 593. 3 lib. VIII. Orig. Eccl. c. VIII. T. VIII.

C A P V T III.

De aeneo Servatoris nostri Simulacro ab Haemorrhoissa, Paneade, seu Caesareae Philippi excitato, ejusque in Diaconicum translatione.

Sed, ut verum *majoris Diaconici* situm clarius etiam indigitemus, quidni paullulum immoremur in expendenda celebri translatione in *Diaconicum* a Philostorgio relata, aeneae illius Statuae Servatoris nostri ab *Haemorrhoissa*, grati animi caussa, Caesareae Philippi, alias Paneade, in Phaenicia prima, antiquitus excitatae? Nihil profecto est, quod saepius in acriorem controversiam revocatum fuerit. Plerique enim vel de ipso feminae nomine disputarunt, quae statuam erigendam curavit, quamque nonnulli *Agatham*, aut *Martham*, alii *Veronicam*, *Venicam*, seu *Venisam*, nonnemo etiam *Berenicem*, aut *Beronicem* nuncupatam fuisse dicunt. Praeterea nil minus, quam Reparatoris nostri, et *Haemorrhoissae*, ab eo sanatae simulacrum, ibidem expressum fuisse contendunt. Quum enim de eodem sileant Justinus M., Origenes, ac Tertullianus, sed tantum Eusebii locum de ejus erectione S. Germanus Patriarcha CP. [1], S. Gregorius II. [2] et Patres VII. Synodi Nicenae [3], ad pii sacrarum imaginum cultus antiquitatem demonstrandam, in medium attulerint, iccirco omnem Eusebii fidem

1 T. III. Maii Bolland. p. 155. V. Menaeum Chifletii T. I. p. 20. Evangelium Nicodemi apud Fabricium, in Cod. Apocrypho Evang. Godefr. Henschenii. de S. Veronica Comment. historicum. in T. I. Febr. Bolland. p. 449. Ioh. Bapt. Sollerii. de S. Martha Christi Servatoris hospite Tarascone in Provincia Comment. histor. in T. VII. Iulii pag. 4. Pomp. Sarnellium. delle parole Rhagas, et Exoche, della donna Emorroissa, e della piaga de' Filistei. in Tom. IX. Literarum Eccles. pag. 16.

2 epist. IV.

3 Act. IV. pag. 508, et Act. VII, et in T. IV. edit. Harduini p. 260.

Digitized by Google

elevare conantur, ac hujusce statuae translationem in *Diaconicum* inter fabulas recensendam esse propugnant. Quos inter praecipue numerandi sunt Joh. Hospinianus [1], et Joh. Hoornbech [2]. Itaque, omissa de *Haemorrhoissae* nomine quaestione, de qua consule sis Macrum [3], et Joh. Pinium [4], juvabit rem ipsam propius inspicere, et Scriptorum loca diligenter excutere.

In supplemento Graeci Synaxarii apud Sirmondum die xiI. Julii occurrit *Memoria S. Veronices profluvio sanguinis laborantis, quae a Christo sanata est.*

Te nunc prehendit, Christe, totum spiritu,
Quae prehenderat tibi fimbriam solam prius.

Adjecto hoc elogio. *Haec e civitate Paneadis oriunda fuit. Quae postquam a Christo sanata esset, Statuam ipsius belle, et affabre fieri curatam, ante domum suam posuit, ab omnibus adorandam; reliquo autem vitae tempore bene, ac religiose traducto, in pace apud Dominum requievit.* Verum praestat de hujusce simulacri existentia Eusebium testem oculatum audire, qui rem omnium primus ita literis consignavit [4]. *Sed quandoquidem hujus Vrbis* (nimirum Paneadis) *mentionem fecimus, non incongruum fuerit rem quamdam memoria in primis dignam posteris tradere. Etenim mulierem illam, sanguinis profluvio laborantem, quam ex Sacris Evangeliis discimus a Servatore nostro curatam fuisse, ex hac civitate originem traxisse ferunt; domumque ejus ibidem conspici, et collati in eam a Servatore nostro beneficii illustria exstare monumenta. Quippe juxta januam domus illius, aenea mulieris effigies stare dicitur columnae lapideae imposita,*

1 de cultu Sacr. Imaginum.
2 in Eaamice Bullae Papalis Vrbani vII. Vltrajecti 1653.
3 in Hierolexico p. 301.
4 in Comment. historico de S. Haemorrhoissa Evangelica. T. iII. Julii p. 273.
5 lib. vII. cap. xvIII. hist. Eccl. edit. Valesii.

genibus flexis, protensisque manibus, instar supplicantis. Ex adverso autem effigies viri ex eodem metallo conflata stantis, ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis. Ad cujus pedes in ipsa basi ignota quaedam nasci dicitur planta, quae ad fimbriam usque aeneae diploidis assurgens, depellendis omnis generis morbis praesentissimum remedium est. Hanc Statuam Jesu Christi *speciem referre ajebant. Mansit porro ad nostra usque tempora, nosque adeo Vrbem illam ingressi, ipsam conspeximus. Nec vero mirandum est, Gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos haec praestitisse; quum et Apostolorum Petri, et Paulli, Christique ipsius pictas imagines ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus. Quippe prisci illi absque ullo discrimine cunctos de se bene meritos gentili quadam consuetudine, tamquam servatores, colere hujusmodi honoribus consueverunt.* Eadem iisdem ferme verbis proferunt quamplures alii Scriptores [1]. Nihilominus Whitbejus [2] vix, aut ne vix quidem sibi persuadet,

1 Rufinus. lib. vI. c. xiv. S. Asterius. apud Photium Cod. CCLXXI. in hom. x, et in T. Januar. Bolland. pag. 190. Acta S. Artemii Martyr. apud Surium d.xx. Oct. c. xxxvIII. et S. Procopii. ibid. pag. 564. Philostorgius. lib. vII. n. III. Cedrenus. T. I. p 305. Sozomenus. lib. v. cap. xxI. Nicephorus. hist. Eccl. l. vI. c. xv, et l. x. cap. xxx. Antipater Bostrorum in Arabia Episc. cum allegat. Greg. Diac. Act. iv. Conc. II. Nic. p. 855. Tom. vIII. Concil. Gregorius II. et Hadrianus. in epist. ad Carol. M. pro Syn. Nic. II. T. vIII. Conc. p. 1583. Cassiodorus. in hist. Tripart. L.vI. cap. XLI. XLII. Greg. Turonensis. lib. I. Miracul. cap. xxI. Epiphanius Diaconus. apud Carolum in lib. iv. de imaginibus. Theophilact. in Matth. c. ix. Ioh. Malala Antiochenus. in hist. Chron. lib. x. p. 101. Ioh. Damascenus. tract. III. de imag. edit. Lequien p. 369. Haymo. hist. eccl. l. vsI. cap. vI. Sanctimonialis Heidenhomensis. apud Canisium T. I. p. 119. Agohardus. de imagin. in Opusc. p. 238, et in T. ix. Bibl. PP. p. 1276. S. Germanus Patriarcha CP. in epist. ad Thomam Ep. Claudiopol. Theophanes. in Chronogr. p. 41. Georgius Monachus. in Script. post Theophan. p. 406. Metaphrastes. in vita S. Procopii. Glycas. Ann. P. iv. pag. 253. incertus auctor apud Combefisium. In manipulo rer. Cpolitan. Paris. 1664. p. 241, et in Codino de Orig. Cpolit. p. 97. auctor enarrationum Chronograph. apud Bandurium. Imper. Orient. sive Ant. Cpolit. T. I. p. 96. Paris. 1711. fol. et Venet. 1729. fol.

2 in annotat. in Marc. v. 16, et inter notas varior. ad Euseb. p. 343.

Digitized by Google

Mulierem, quae, ut Lucas, et Marcus testantur, *annis* xII. *fuerat multa perpessa a compluribus Medicis, et erogaverat omnia sua*, duas aeneas statuas permagni pretii collocare potuisse. Ceterum, quum omnem Eusebio fidem, qui eas se vidisse testatur, derogare non audeat, id evenire potuisse concedit, etsi neque ab illa Muliere, neque ob eam rem positae fuerint. Et sane Dallaeus [1], et Gothofredus [2], innixi etiam incerto duorum librorum scriptori *de imaginibus*, qui sub nomine Caroli M. circumferuntur, ubi semel, atque iterum [3] de hujus historiae veritate dubium excitatur, quae vel a Sozomeno, et Nicephoro inter eas, solis Caesareae Philippi indigenis antiqua traditione cognitas recensentur, Statuam hanc potius, ipsius Paneadis simulacrum exhibuisse conjectant, quae videlicet afflicta casu quodam, vel ab Hadriano Imperatore, vel a Magistratu aliquo erecta fuerit, instar earum Vrbium, ac Provinciarum, quas in genua provolutas oratorio stylo exhibent Gregorius Nazianzenus [4], et Basilius [5], et in numis expressas videmus. Nonnulli praeterea Simulacrum ab Agrippa positum; alii vero Apollonium Thyaneum, alii Hadrianum Imp. expressisse putant. Denique Dallaeus, vel si hujusce historiae veritas admittenda esset, id tandem unum extundi posse blaterat, Christi simulacrum, mulierculae tantum voluntate effictum, non in sacra aede, sed in publica via prae foribus positum; non tam ad cultum ei procurandum, sed ad restitutae sanitatis memoriam; non ex christiano, sed ex ethnico, cui diu assueverat, usu erectum fuisse. In hanc vero sententiam abeunt Ioh. Fridericus Glatzius [6],

1 de imaginibus lib. I. c. II. III. IV. VII. 3 l. IV. c. XV. 4 ep. XLIX. 5 ep. CCLXXIX.
2 in Dissert. Philostorgianis p. 170. 6 de Stat. Haemorrhoussae. Bremae. 1694.

Theodorus Hasaeus [1], et de Beausobre [2], quibus Iosephus Khell [3] incaute suffragari non dubitavit.

Verum Nat. Alexander [4], et Joh. Chrysostomus Trombellius [5], ut dogma Catholicum de usu, et cultu imaginum, ex Patribus, et Eccl. judicio tuerentur, ac vindicarent, Dallaeum pluribus egregie refellunt. Sed ut nos etiam nonnulla heic opportune reponamus, quum, ut recte post Exodi Interpretes [6], et Origenem [7], notat Baronius [8], nullo pacto Judaeis liceret, cujusvis simulacrum quavis occasione formare; eaque primi nascentis Eccl. Christiani, etsi nulla lege id iis vetitum esset, tamen ob metum persecutionum, ac rerum inopiam, in qua versabantur, nequirent efficere, quid mirum, si scribat Eusebius, id Haemorrhoissam ex *Gentilium consuetudine* praestitisse, quibus mos ille in deliciis, ac maxime usitatus erat? Hinc certe nunquam Dallaeus, aliique sacrarum imaginum osores extundent, in Eccl. primordiis nullum sacrarum imaginum usum fuisse, quum idem Eusebius sese Apostolorum Petri, et Paulli, Christique ipsius depictas imagines ad suam usque memoriam servatas in tabulis vidisse praeseferat.

1 Diss. de Monumento Paneadensi. Bremae 1726., et in ejus Dissert. et Observat. Philologic. Sylloge. ibid. 1731. p. 114. 450.
2 Dissertation sur la Statue de Paneade. in T. XIII. Bibl. German. art. I.
3 in Ecloge Observat. in N T. libros dec. II. Viennae anno 1757. Observ. I.
4 T. v. H. E. sec. vII. in dissert. vI. §. II. pag. 765.
5 de aenea Statue Christum Dominum repraesentante, Paneade erecta a Muliere illa, quae a sanguinis fluxu ejusdem Christi Domini miraculo convaluit. in T. IV. de cultu Sanctorum. p. 187.
6 c. XX. v. 4. Menoch. de Rep. Hebraeor. l. vI. c. III. n. I. qui tamen Exodi legem de colendis imaginibus interpretatur, minime vero de Angelis, aut Animantibus, ornamenti caussa proponendis; quum Moyses aureos Cherubinos super arcam collocaverit, ibid. c. XXVII. v. 8. aliosque, more Gigantum, Salomon exstruendos curaverit, lib. III. Reg. c. vI. v. 23, ac boves aeneos duodenos pro ingenti balneo aeneo sustinendo, quod mare aeneum ob amplitudinem vocabatur. ib. c. vII. v. 23.
7 contra Celsum lib. IV. cap. XXXVII.
8 ad ann. XXX. num. LXXIV.

Ego vero, una cum Macario Magnesio, Sec. IIII. aut IV. auctore, quem Baronius [1], et Pinius [2] sequuti sunt, Haemorrhoissam *Principem Edessenam, seu mulierem nobilissimam, aeque ac ditissimam* fuisse, ex eadem Marci historia facile sumam. Quî enim XII. annorum spatio a Medicorum turba curari potuisset, nisi aere abundans fuisset? Etsi vero illam Evangelista omnes facultates ob hanc rem erogasse subjungat, id tamen hyperbolico tantum sensu scriptum fuisse putandum est, quo ingentem auri vim ob suam aegritudinem impendisse declararet, quin tamen ei posthac nihil ad vitam sustentandam, ac statuam quoque, grati animi ergo, Servatori suo, *qui verus est Medicus, a quo tantum curari potuit* [3], erigendam superfuisse existimemus. Quid si, non ab ipsa, sed ab altero divitiis affluente, ad miraculi memoriam perennandam Statua erecta esset? Illud unum cum Baronio [4], et Pinio [5] jure explodamus, Haemorrhoissam scilicet Statuae erigendae facultatem supplici libello postulasse a Philippo Tetrarcha Trachonitidis regionis; etsi idem libellus verbatim occurrat in Oratione III. de imaginibus, quae sub S. Ioh. Damasceni nomine circumfertur, et in chronico Ioh. Malelae [6]. Nam Henr. Valesius [7] in editione excerptorum Polibii, Diodori, Nic. Damasceni, aliorumque scriptorum, illum consulto omisisse fatetur, *eo quod praeter tres, quatuorque fabulas de Minoe, Antiopa, ac Bellerophonte, easque illepido sermone textas, nihil bonae frugis contineret*. Quapropter, quis ei fidem praestet enarranti [8], *monumentum hoc invenisse in dicta Vrbe*

1 Adam. XXXI. n. LXXIV.
2 T. V. Julii p. 274.
3 Hieronym. in c. XVII. Jerem.
4 ad ann. XXXI. n. LXXV.
5 T. V. Iunii p. 277.
6 Oxonii 1691. p. 306.
7 in Praef. apud Vossium de hist. Graecis pag. 280, et in Comm. de Script. Eccles. d. II. col. 415. edit. an. 1722.
8 ibid. p. 308.

Paneade apud Bassum quemdam, qui a Iudaismo ad Christianismum transierat, qui in eodem etiam libro antiquorum Iudeae Regum omnium res gestas conscriptas habuit? Verum perhibent acta S. Artemii, *Statuam in insigni civitatis loco positam* fuisse, ubi Haemorrhoissae domum exstitisse constat ex Eusebio, qui eamdem *juxta ejus januam* locatam fuisse narrat. Nil enim refert, quod Philostorgius, et Nicephorus eam sub dio, nudamque stetisse tradant in *Vrbe juxta fontem*; quippe qui pone domum S. mulieris effluere, ac deinde ejusmodi Simulacris ornatus esse potuit, ut Suidas, et auctor vitae Constantini, ab Eusebio Caesariensi diversus, in usu veteres habuisse produnt, et apud Catholicos, ut alia mittam exempla, vel hodie tum probat Deiparae simulacrum in Foro piscario Antuerpiae, Anthliae impositum. Haec autem ipsa publici fontis indicatio, quum Haemorrhoissae domum in frequentiori, ac nobiliori Vrbis loco positam fuisse doceat, aperto etiam suae nobilitatis indicio est. Quid autem morer, si Asterius, Philostorgius, atque Sozomenus de una dumtaxat Christi statua mentionem faciant, quum contra Eusebius, multo iis antiquior, ac testis oculatus duas expresserit? Num potius moveat me Justini M. Palaestina oriundi, ubi Paneas exstabat, Origenis, qui Tyrii, haud ita procul a Paneade, aliquamdiu versatus fuerat, Irenaei, ac Tertulliani silentium a Whitbejo, et Dallaeo objectum, qui laborantis Haemorrhoissae sanationem referentes, nihil de simulacro effati sunt? Atqui otio abuterer, si hujusmodi argumentorum infirmitatem demonstrandam susciperem. Quot autem Scriptores eorum vicem rependunt, reique veritatem diserte confirmant? Ac primum prodeat Sozomenus, qui ejusdem Statuae dejectionem a Juliano

Digitized by Google

Apostata impie peractam, ut suam eidem substitueret, hujusmodi verbis exponit [1]. *Ex iis porro, quae regnante Iuliano acciderunt, istud minime praetereundum est, quod et potentiae Christi, et divinae adversus Imperatorem irae argumentum est maximum. Nam quum Imperator didicisset, Caesareae Philippi (Vrbs est Phoenices, quam* Paneadem *nominant) insignem esse statuam Christi, quam Mulier sanguinis profluvio, quo jamdudum laborabat, liberata, ibi dedicavit, ea subversa, imaginem suam ejus loco posuit. Statim vero ignis summa vi e coelo delapsus, pectus statuae, et vicinas pectori partes discidit; caputque una cum collo dejecit, et pronum humi infixit, quatenus pectoris pars disrupta erat. Atque ex eo tempore Statua ad hanc usque diem ejusmodi specie perseverat, fuligine fulminis obsita. Christi vero Statuam tunc quidem Pagani trahentes per Vrbem confregerunt. Postea vero Christiani collectam in Ecclesia reposuerunt, ubi etiamnum servatur.* Ex his autem, quis non videt, certo id contigisse, priusquam Statua restaurata in Ecclesiae *Diaconicum* adsportata fuisset, contra Joh. Bottarii [2] sententiam, qui ante impiam Juliani demolitionem eò translatam fuisse scripsit?

Cedrenus, et Sozomenus Statuam hanc *herbae salutaris invidia*, quae, ut mox declarabimus, in ejus base efflorebat, eversam a Juliano fuisse narrant. Id etiam confirmat graecus auctor anonymus apud Combefisium [3], qui Julianum, herbae illius mirifica vi perspecta, statim Simulacrum *igne exussisse, erectoque illic loci Iovis, et Veneris Idolo, ut et suo, Templum exstruxisse* tradit, adjecta inscriptione,

IOVI . OMNIVM . INSPECTORI . IVLIANVS

Verum id potius odio, quo erga Christum aestuabat, peractum ab eo fuisse censebimus. Quod quidem, ni

1 lib. I. c. xxI. 2 T. I. Romae subterr. p. 137. 3 Paris. 1664.

Digitized by Google

fallor, contra Gothofredum, ejusque asseclas luculenter evincit, Simulacrum revera Servatoris *Haemorrhoissam* sanantis imaginem praesetulisse. Cur enim Julianus eam, ludibrio per Vrbem circumduci, ac infringi jussisset, si Apollonium Thyaneum, vel Imperatorem Hadrianum Vrbi Paneadi genibus flexae manus auxiliares porrigentem repraesentasset? Ceterum dissimulare nolo, alterum sublati simulacri auctorem a S. Asterio praetendi, qui apud Photium rem ita enarrat [1]. *Aenea statua sanantem honoravit, hoc donum beneficio non indignum putans; et statua illa per multos annos duravit ad redargutionem eorum, qui Evangelistis mendacium adscribere audebant, et Statua ad nostra usque tempora servata fuisset, ut utrumque ostenderet, et Dei miraculum, et mulieris gratum animum, nisi Maximinus ille, qui ante Constantinum Romanorum Imperator fuit, impius idolorum cultor, et Christo in Statua invidens, aeneam statuam sustulisset, etsi rei factae memoriam auferre non potuit. Ecce igitur Statua quidem non apparet. Evangelium vero miraculum illud ubique praedicat, et* Haemorroussa *ab Oriente ad Occidentem celebratur: et laboravit in vanum, qui materiam sensu comprehensibilem sustulit. Statua enim erecta, et apparens tacebat inanime miraculi monumentum; sed fama opus cum verbo assumens, quotidie Vrbes, et vicos percurrit, beneficium Domini depraedicans*. Sed quamvis Asterius Sozomeno sit antiquior, tamen quum degeret Amaseae in Ponto, a Paneade longe dissitae, minus recte de hujus simulacri vicibus edoctus esse potuit, quam Sozomenus, Palaestina oriundus, et ibidem institutus. Quid vero, si idem Eusebius, qui post Maximini persequutionem suam historiam digessit, contrarium disertis verbis affirmavit,

1 Cod. CCLXXI.

Digitized by Google

uti post eum quoque praestiterunt Rufinus, et Sozomenus? Itaque palam est, Asterium facinus, quod Julianus Apostata perpetravit, Maximino perperam tribuisse, et non modo Eusebii, Rufini, et Sozomeni, sed etiam Philostorgii auctoritati repugnare, qui omnium postremus apud Photium in excerptis ex ejusdem Hist. Ecclesiastica ita rem tradit. *Hanc igitur statuam, regnante Iuliano, Gentiles, qui Paneadem incolebant, ad impietatem incitati, a basi sua revulsam, funibus ad pedes circumligatis, per mediam plateam traxerunt; reliquum quidem corpus distrahentes confregerunt: caput vero inter trahendum a cervice disjunctum, nonnulli id, quod fiebat, aegre ferentes, clanculo abripuerunt, et quoad fieri potuit, conservarunt.*

Quae vero narrat idem Philostorgius de Statuae inscriptione, ea longe ante Juliani principatum accidisse puto. Nam si inscriptio Eusebii aevo superstes adhuc fuisset, eam profecto legere minime praetermisisset, quum certius ex ea explorare potuisset, quid re ipsa statua repraesentaret. Itaque cum Gothofredo dicam, ita jam Eusebii aetate literas illas vetustate oblitteratas fuisse, ut ne levis quidem suspicio esse posset, num ibi jampridem aliqua exstitisset inscriptio. Jam vero Philostorgii [1] narrationem audiamus, quam Nicephorus [2] etiam exscripsit. *Temporis lapsu memoria exciderat, et cujus ea effigies esset, et quam ob caussam fuerat collocata. Quippe Servator sub dio stans, nudusque, haud exigua corporis parte obrutus fuerat terra continuo ex superioribus locis, maxime vero pluviarum tempore ad statuam aggesta; quae literarum, quibus singula narrabantur, notitiam oblitteraverat. Quum igitur diligens fieret inquisitio, pars quidem Statuae, quae humo obru-*

1 hist. Eccl. l. vii. §. iii. 2 l. x. c. xxx.

ta est, effoſſa est; literae vero repertae sunt, quae totam rei seriem indicabant. Postquam haec Nicephorus in suam transtulit historiam, inscriptionem ab iis detectam fuisse subjungit, *qui ea herba curabantur, quique summa diligentia caussam tantae efficaciae inquisierant*. Quod quidem S. Artemii acta confirmant, dum eam *post tempus cognitam* fuisse narrant *ex miraculo herbae, quae illic nascebatur*; cujus *speciem nullum ex Medicis, aut Empiricis unquam novisse* tradit Sozomenus, qui de mirabili ejus virtute subnectit. *Neque vero mirum mihi videtur, quod nova quaedam, et inusitata beneficia hominibus contigerint, postquam Deus in terras advenit. Nam et alia plurima miracula per civitates, et vicos edita, a solis, ut verisimile est, indigenis celebrantur, qui earum rerum notitiam a majoribus suis traditam acceperunt, idque verum esse illico ostendam*. Eam profecto Philostorgius, et ex eo Nicephorus *adversus morbos omnes, ut alii praedicant, ac praesertim adversus tabem efficacissimum fuisse remedium* profitentur. Item Theophylactus eam profluvio sanguinis praecipue mederi refert, et Anonymus apud Combefisium *caecis ex utero matris visum restituere* posse narrat. Sed, quo magis mirere, ut prodigiosae illius virtutis, quae ex fortunato Servatoris fimbriae contactu promanavit, memoria veluti quaedam renovaretur, adjecit Rufinus [1], *herbam illam nihil omnino virium gerere, si, antequam aereae fimbriae summitatem crescendo contigerit, decerperetur*. Praeterea non solum herbam medica virtute praeditam fuisse dicit, sed praeterfluentis aquae etiam potionem, cui tamen prius intincta, et immersa fuisset, referens, *morbum depulsum esse haustu exiguo madefacti graminis*. Verum hujusmodi herbam, ejusque vim, una cum

1 lib. vii. c. iv.

eruderata Statuae inscriptione, penitus defecisse auctor est idem Philostorgius, qui ait. *Planta quidem ex eo tempore haud amplius visa est, nec ibi, nec alibi in loco*.

Sed tandem e propatulo, ubi hactenus expositum simulacrum fuisse vidimus, in Ecclesiae *Diaconicum*, quô translatum fuisse docent acta S. Artemii, et Philostorgius, silentibus licet Eusebio, et Asterio, quodammodo comitemur.

Hujusmodi translatio Johanni Pinio [1] parum arrisit, qui eam, sive ante Constantini aevum, sive post Juliani tempora referatur, suspectam putavit. Quod, etsi de tempore ante Constantinum facile assentiar, nunquam tamen de posteriori aetate dicendum esse concedam. Cur enim Philostorgio subscribam, *statuam tempore illo oblivioni traditam fuisse*, quum Eusebius, qui xxxv. annis ante Juliani Imperium scripsit, eam graphice delineavit, ipsique Paneadae incolae, teste eodem Philostorgio, *ad impietatem incitati, per summam injuriam a basi revulsam, funibus ad pedes circumligatis per mediam plateam circumduxerunt*? Cui, quaeso, credibile erit, eos in statuam ignotam adeo insaevire voluisse? Itaque, ut ad concordiam prima fronte pugnantia Philostorgii loca revocemus, dicendum est, quae de Statuae oblivione scripsit, ea dumtaxat de oblitterata jampridem ejusdem inscriptione esse intelligenda. Quis vero de ejusdem Statua in *Diaconicon* translatione amplius dubitare poterit, quum praeter acta S. Artemii, quae *Christianos eam accepisse, et in* Diaconico *posuisse* testantur, eam diserte tradat idem Philostorgius? Nonne enim ex eo discimus, nonnullos Statuae illatas injurias aegre ferentes, *clanculo* ejus partes *abripuisse*, et,

1 T. v. Iunii p. 278.

Digitized by Google

quoad fieri potuit, conservasse, ac restauratam in Diaconico *Ecclesiae collocasse, competentem ei curam, atque observantiam deferentes, nequaquam tamen eas colentes, et adorantes; neque enim fas erat aeneam, aut aliam quamlibet statuam adorare?* Quae quidem extrema verba, quum ab Eunomii sectatore profecta sint, qui SS. reliquias insane aversabatur, suisque discipulis in Apostolorum, et Martyrum Basilicas ingressum vetabat, nihili profecto facienda sunt. Etsi enim, ut apposite monent Hieronymus adversus Vigilantium, et S. Asterius [1], Catholici nunquam aeneam, aliamve materiam adoraverint, nunquam tamen in imaginibus, statuisque cujuslibet materiae Christum, et Coelites Sanctos, pio, et a majoribus tradito cultu venerari, ac colere, nefas sibi esse duxerunt. Quod quidem egregie demonstrat Chalcenterus nostrae aetatis Varro, Fr. Antonius Zaccaria, ubi agit de usu sacrarum imaginum in veteri Ecclesia [2].

Verum Sozomenus [3], quem Cedrenus fere exscripsit, de translatis statuae fragmentis agens, solius *Ecclesiae* meminit, ut etiam fecit Willibaldus [4], qui seculo VIII. Palaestinam peragravit, et hanc eamdem Christi Statuam sese in *Ecclesia* vidisse testatur. Quamobrem de qua Templi parte Philostorgius loquutus sit, quum *Diaconicon* nominavit, viri docti disputarunt. Valesius [5] enim hanc unam ex interioribus Ecclesiae partibus esse contendit, fortasse ob oculos habens allata Sozomeni, et Cedreni verba. Ac quod Gothofredus multa in eumdem Philostorgii locum adnotaverat, ac simulacrum non in Ecclesiam, sed in *Secretarium* Ecclesiae adjunctum, translatum fuis-

1 Auctar. I. ap. Combefis. col. 195. et 208.

2 T. IV. Hist. Litter. in epist. XI. ad P. Frova.

3 lib. IV. c. XXI.

4 T. II. Lect. antiq. Canisii p. 119.

5 ad Philostor. H. E. l. VII. c. III.

se existimaverat, id ab eo perperam factum addit; atque in hanc sententiam ea tantum de caussa descendisse, ne, si *Diaconicum* pro parte Ecclesiae accepisset, Christi fideles statuas, atque imagines Reparatoris nostri in Templis antiquitus habuisse viderentur, contra quam iis temporibus consuetudine receptum esse putabat. Qua in re Valesium, virum ceteroqui ingenio, et doctrina praestantissimum, parum vidisse, injuriaque Gothofredum erroris insimulasse, mihi quidem dubium non est. Longe enim alia Gothofredo ratio fuit, cur ita sentiret; disparitas nimirum, quae inter *Diaconicum bematis*, uti Graeci loquebantur, *Sacrarii* parietibus inclusum, et *Diaconicum magnum*, quod exedris Ecclesiae exterioribus adnumerabatur, intercedebat. Quamquam vero dissimulandum minime est, Gothofredum non satis enucleate totam rem explicuisse. Addendum enim erat, ut omnis criminandi ansa praecideretur, non ignorare se, aliud quoque *Diaconicum* intra Eccl. fuisse, sed Philostorgium de exteriore tantummodo loquutum fuisse. Hoc autem non fecisse, ni mea me fallit opinio, in culpa est. Sed tamen, una cum Binghamo [1], et Nat. Alexandro [2] fateamur, oportet, Philostorgii locum recte a Gothofredo explicatum; ac proinde Statuae veritatem, ac translationem *in Diaconicum magnum* procul dubio esse admittendam; quum primam ex antiquissima traditione descripserint Eusebius, Asterius, Iustinus, Sozomenus, Nicephorus, Rufinus, Cedrenus, aliique, alteramque acta S. Artemii, et Philostorgius. Ceterum, etsi eorum testimonia deessent, hujusce Simulacri, quod in facie mira claritate praefulsisse tradit Gregorius Turonensis, quodque revera

1 T. III. Orig. Eccl. p. 162. 2 T. V. hist. Eccl. p. 765.

exstitisse vel ipsi Ioh. Reiskius [1], Geor. Will. Overkamps [2], Franc. Budaeus [3], et Ioh. Reinardus Rusius [4] ostendunt, veritatem tuentur quodammodo veterum Christianorum monumenta, in quibus saepe, ac libenter hujusmodi historiam insculpebant, eodem prorsus modo, quo eam Eusebius adumbravit, nosque in hujusce Syntagmatis fronte delineandam curavimus, ut videre est apud Aringhium [5], et Bottarium [6], qui tamen [7] in monumento apud Phil. Bonaroti [8], quod modo in Porticu S. M. trans Tiberim adservatur, pro *Haemorrhoissa* Lazari sororem acceptam existimat.

Haec enim historia ad *Christi*, quem hujus universitatis conditorem, morborum depulsorem, mortis domitorem, et naturae dominum agnoscebant, divinitatem declarandam, ejusque potentiae, ac virtutis mirabilitatem confirmandam, quammaxime conducebat. Porro, quemadmodum auctor quaestionum ex veteri, et novo Testamento egregie profitetur [9], *ut ad fidem Dei accederemus, et filium ejus incarnatum, et crucifixum crederemus, non verbis suasum est nobis, sed rebus: vidimus enim mortuos suscitatos, leprosos mundatos, caeco nato oculos restitutos, daemonia ejecta, et* simul omnes infirmitates curatas. Atque in hujusmodi sententiam insignia sunt verba Phileae Thmui-

1 Exercitat. hist. de imaginibus Iesu Ch., quotquot vulgo circumferuntur, revisis, interpolatis, figuris aeneis, et multis accessionibus auctis, quibus exercitatio philologica de lingua vernacula Iesu Christi emendatior, et locupletata subjungitur. Ienae 1685. 4.

2 de imagin. Iesu Christi, quotquot vulgo circumferuntur, et de lingua vernacula Iesu Chr. Ienae 1685. 4. ibid. p. 1770, et Francof. et Lipsiae.

3 de Galilea rebus gestis, et miraculis Christi clara. Ienae 1718, et in ejus Misc. Sacr. P. III. p. 1156.

4 de Iudaea rebus gestis, et miraculis Christi clara. Ienae 1737.

5 T. II. Rom. Subt. p. 455, et 430.

6 T. I. Rom. Subt. p. 69. 78. 79. 137. 161. 184. 185, et T. II. p. 85. 92. 104, et T. III. p. 34.

7 T. III. p. 60, et 183.

8 Vetri Cemeter. c. v.

9 quaest. cxiv.

tarum Antistitis, qui Praesidi Culciano sciscitanti [1], *quomodo persuasus es de eo, quod Christus Deus esset? respondit, caecos videre fecit, surdos audire, leprosos mundavit, mortuos suscitavit, mutis loquelam restituit, et* infirmitates multas sanavit, *et alia multa signa, et prodigia fecit.*

Praeterea eamdem historiam Ambrosius [2], Augustinus [3], Anselmus [4], Petrus Chrysologus [5], et Teophylus Antiochenus [6], plura praeseferre mysteria docuerunt; quippe qui in eadem Muliere Ecclesiae typum, ac in sanguinis profluvio, quo laborabat, effusum Martyrum sanguinem agnoscunt. Adde Cassiodorum [7], qui in Christi vestis fimbria Ecclesiam expressam fuisse, ac *Haemorrhoissam* aegrotantem, quae ejus contactu e vestigio convaluit, Gentilitatem repraesentare, censet, quae in Ecclesiae sinum admissa, salutem invenit.

CAPVT IIII.

De Diaconico Bematis.

Hactenus de *Diaconico* Templis adjuncto disseruimus; nunc ad alterum ab eo secernendum, quod intra Ecclesiam exstabat, progrediamur. Statuit igitur Ducangius, Paullini maxime innixus auctoritate, quem in hac parte de-

1 Acta antiqua SS. Phileae, et Philoromi ex Cod. ms. Mazarin. graece cum vers. lat. et notis Franc. Combefisii. in ejus illustr. Christi Martyrum lectis triumphis. Pareis. 1660. 8. pag. 145. Acta S. Phileae, et S. Philoromi, aliorumq. MM. Alexandriae in Aegypto, auctore Gregorio coaevo, recognita a Rufino Presb. edita ex tribus mss. cum comment. praevio, et notis Godefr. Herschenii. in T. I. Febr. p. 459. Eadem ex variis mss. ad Bolland. edit. collata apud Theod. Ruinart. in Actis primor. MM. pag. 494.

2 lib. vI. in Luc. c. vIII. n. LVII, et in Serm. de Salomone c. v.

3 Serm. v. de temp.. et Serm. II. de Quadrag.

4 in c. IX. Matth.

5 Serm. xxxvI.

6 Comment. in Evang. l. vI.

7 in Psal. LII. v. II. V. Franc. Vavassor. in libro II. Theurgicon pag. 581. in ejus operum edit. Amst. 1709. fol.

Digitized by Google

scribenda tum apud Latinos, tum apud Graecos accuratiorem fuisse vidimus [1], intra *Bematis* ambitum, ac proprie circa absidam, duas antiquitus exstitisse Conchulas, *Diaconici*, et *Protheseos* nomine insignitas; propterea quod Diacones ex Exedra Templo adnexa, et a *Bemate* seclusa, et remota, seu a *majori Diaconico*, ad dextram vestimenta, vasa, et sacra Altaris ministeria, ad laevam vero veteris Instrumenti Codices, ac sacra Evangelia, ut ad Liturgiam peragendam in promptu essent, deferebant. Illa enim partim ad ornatum, partim ad Liturgiae usum, ac praecipue ad fidelium oblationes excipiendas inserviebant. Hinc, etsi desiit oblationum ritus, adhuc tamen ad veterem consuetudinem utcumque exprimendam, quum Antistites faciunt sacrum sollemne, paratur abacus multis instructa discis, ac pateris aureis, vel argenteis. Sic etiam, quum iidem in Altari sacris operantur, tabellis locum non esse cernimus [2], quibus ceteri Sacerdotes utuntur, quaeque libros exceperunt, Comitem nimirum, seu librum Epistolarum, Evangelium, librum Sacramentorum, quo potissimum Praefationes, et Canon Missae continebantur, dypticha, aliaque id genus. Haec autem loca iisdem *majoris Diaconici* denominationibus, apud antiquos promiscue venisse jam vidimus, atque in operis decursu demonstrabimus, quum cetera eorum nomina expendemus. *Diaconici* vero nomen illi praecipue *bematis* parti datum fuit, quae erat inter vela Sanctuarii, et vela Ciborii, sive Altaris, quaeque ἅγιον, ἁγίασμα [3], ἅγιον ἁγίων [4], τράπεζα, *mensa mystica*, *tremenda*, *sacra*, *incruenta*, ac nonnunquam *spiritualis*, *regia*, *divina*, *immortalis*,

1 pag. 159.
2 Galliciolius in Isag. Liturg. p. 198, et 23.
3 Eusebius lib. vII. c. xv.
4 ib. l. x. c. iv. p. 381. de Templ. Paullini.

ac coelestis appellabantur. Nam intra vela Episcopo, ac solis Sacerdotibus consistere licebat, quae *Bematis* pars inde Θυσιαστήριον, *locus Altaris*, aut ἱερατεῖον, seu *Presbyterium* appellata est. Quod spatii reliquum inde erat, *Diaconis* tantummodo permittebatur, ut ad utramque conchulam ire, et redire, ad munera, quae instituti sui ratio postulabat, obeunda libere possent. Ii vero, antiquioribus temporibus, stantes adstabant, ut liquet ex Const. Apostolicis, quas supra [1] innuimus, quaeque ita praescribunt. *In medio Eccl. sit Episcopi sedes, ad cujus utrumque latus consideant Presbyteri, et Diaconi* assistent *succincti, et expediti. Hi enim sunt ad Nautarum, et muralium Praefectorum similitudinem*. Id etiam praescripsit Concilium Nicaenum, cui adhaesit Canon xv. Conc. Arelatensis II. sub Siricio P. qui edixit, *ne liceret Diacono inter Presbyteros sedere in Secretario* [2]. Quae quidem si ad *majus Diaconicum* referenda sunt, eo tantum temporis spatio illinc secedere, Diaconis injunctum fuisse contendit Ducangius, quousque Sacerdotes, et Antistites de rebus Ecclesiasticis secum invicem deliberaturi essent, etsi eos etiam illuc quandoque admissos fuisse vidimus [3], ad Ecclesiae negotia pertractanda. Si vero de *minori Diaconico*, seu *Concha Bematis* libeat interpretari, ubi Sacerdotes sacra facturi, quamplurima, quae ad Sacrae Liturgiae mysteria spectabant, exequebantur, inter eos ob reverentiam, quae Sacerdotali ordini debetur, sedere Diaconis vetitum fuisse, sapienter existimat. Recte quidem; si Patres Conc. Arelatensis de *Bematis Diaconico* procul dubio loquutos esse,

1 pag. 177.

2 Ioh. Cabassutius. [Quisnam fuerit priscorum Episcoporum Senatus, ac Presbyterium? int. ejus Opp., et in T. II. disc. Populi Dei Fleury p. 124. edit. Venetae Fr. Ant. Zaccaria. Ioh. B. Graser de Presbyterio, et in eo sedendi jure Disputatio. Tridenti 1779. 4.

3 p. 543.

CCCC

exploratum non esset, quippe qui sequentibus verbis indicunt, *ne Corpus Christi, praesente Presbytero, tradere praesumant*. Quod certe in *Diaconico majori* extra Ecclesiam fieri non poterat. Ita sane sentiendum esse duxit Sirmondus, qui de eodem Can. Arelatensi haec pronuntiavit [1]. *Hic vero totus est ex Can.* XVIII. *Nicaeno, non ut in Synodo ipsa legitur, sed ut a Rufino interpretatus est Can.* XX. *Et ne Diaconi, inquit, Presbyteris praeferantur, neve sedeant in consessu Presbyterorum, aut illis praesentibus Eucharistiam dividant, sed illis agentibus solum ministrent. Si vero Presbyter nullus sit in praesenti, tunc demum etiam ipsis licet dividere*. Ex quibus consequitur, vetitum iis esse inter Presbyteros sedere, dumtaxat in *Diaconico Bematis*, seu *Presbyterii*. Hoc autem Simeonis Thessalonicensis auctoritate comprobatur, qui ait [2], *nulli licere in sacro synthrono sedere, praeterquam Sacerdotibus, ac ne ipsis quidem Diaconis*, quibus nonnisi in loco iisdem attributo, *qui Diaconicum* nominabatur, considere licebat. Verum, ut res clarius exponatur, alterum ejusdem Symeonis locum proferam, quem Goarus [3] etiam magno huic rei paullo diligentius constituendae, et stabiliendae usui esse posse arbitratus est. Is igitur ita scribit [4]. *In consessu Pontificum, et Sacerdotum, nulli alii sedere, neque ipsis Diaconis licet. His enim suus segregatus locus, qui et* Diaconicum *appellatur, assignatus est, ubi et eos sedere nullus prohibeat. Sicut Subdiaconis, et Lectoribus extra Tribunal circa soleam, qui et Lectorum tribunal vocatur, sedem habere concessum est*. Atque heic cum Goaro animadverte, *Diaconos* quandoque certo in loco seorsim ab Episcopo, et Presbyteris sedisse, etsi

1 in T. xI. Conc. Harduini p. 1734.
2 in lib. de Templo.
3 in notis ad Euchologium.
4 in lib. de Sacramentis.

intra Tribunalis ambitum admissos; Subdiaconos vero, una cum Lectoribus, extra *Bematis* cancellos fuisse collocatos. Verum, etsi Symeonis testimonium deesset, ipsi quodammodo parietes, seu toreumata eloquerentur, musiva, imagines, ceteraque id genus monumenta, ubi *Diaconos* in hac Tribunalis parte, tamquam addicta ipsis sede, depictos passim, atque insculptos videmus. Ipsi enim Altaris, portarumque sacrarum custodes antiquitus instituti erant, ut docent Const. Apostolicae [1]. *Diaconis* stantibus ad portam, *per quam viri*; *Subdiaconis ad eam, per quam mulieres ingrediebantur*; etsi alibi jubeant [2]. *Ianitores stent ad introitum virorum custodiendi caussa, Diaconissae vero ad mulierum*; quas iccirco S. Ignatius Theophorus, seu quivis alius sit auctor epistolae ad Antiochenos, ita compellavit. *Saluto Sacrarum Portarum Custodes Diaconissas*. Id etiam praeter Dionysium [3] refert Cyrillus Alexandrinus, ubi ait [4]. *Presbyteris concreditum est Altare, et quae intra velum continentur, quibus etiam dici convenit, et* custodiant Sacerdotium suum. *Diaconis vero illud*, custodient custodias populi, *quod praestant ubique, quum Altari adstant, foribusque Tribunalis praesident, et intra illud in* Diaconico, *ut in proprio sibi loco consident*. Quae quidem munia, ceteraque ad Diaconorum partes spectantia plures Scriptores illustrarunt [5].

1 lib. VIII. 2 lib. II. c. LII.

3 de Eccl. Hier. c. V.

4 lib. II. de adoratione.

5 Goarus. in not. ad Euchologium. Thomassinus. in vet. ac nova disc. T. I. p. 556. Morinus. Exercitatio de Diaconatu, ejus materia, forma, et officiis. in ejus Comment. de Sacr. Eccl. Ord. Amst. 1695. fol. P. III. p. 132. Sarnellius. in Basilicographia p. 103. Elias Amatus. Lettera, se gli Diaconi furon forse instituti per la sagra mensa, ovvero solamente per la comune? nelle sua lettere erudite. Genova 1714. 4. p. 87. Voogtius. in Thysiasteriologia p. 237. Andr. Quenstedius de Diaconis. in ejusd. Ant. Biblicis P. I. p. 88. Anon. Angli Diss. de Diaconis, latine versa a Ienckino Thomasio, suisque Diss. inserta p. 241, et Gaspar Zieglerus. de Diaconis, et Diaconissis veteris Eccl. Witteb. 1678.

Verum, ut ad Ducangium redeamus, etsi dissentientium Scriptorum opiniones de *majori*, et *minori Diaconico* conciliare egregie studuerit, rectamque, ac suam Patrum, et Conciliorum verbis sententiam reddere, tamen non satis totam rem, meo quidem judicio, illustrasse videtur. Ego vero sic sentio, ab eo nonnihil addi potuisse ad Conchularum usum declarandum, quae ex utraque Altaris parte exstabant, ac *Diaconici* nomen obtinebant, quaeque, tum *Diaconici*, tum *Bibliothecae* appellari quodammodo appendices, atque haberi jure, ac merito possent. In alteram Sacerdotes, quemadmodum animadvertit Cabassutius [1], sacrificio jam peracto, populoque dimisso, ad preces, clausulae loco, privatim faciendas se recipiebant. In alteram, statim post absoluta sacra, vel dum adhuc ultimus communionis versus concinebatur, Diacones vestimenta, vasa, et instrumenta referebant, ut auctor Chronici Alexandrini diserte testatur [2]. Recte igitur Henschenius, et Papebrochius praeclarum historiae passionis SS. xx. MM. locum [3], ubi *Diaconicon* nominatur, *pro ipsius tribunae latere* interpretati sunt, *ubi tempore Liturgiae, ex adverso Pontificis, Sacerdotumque residere Diaconi poterant*. Haec autem sunt Biographi verba. *Antrum nempe peramplum est, cui providentia Numinis eum situm contulit, ut in modum Eccl. conformatum nominis exinde obtinuerit appellationem. Etenim versus Orientem, velut concham habet; ad partem vero borealem recessus quidam penitus in speciem abditus occurrit, unde partem nonnullam reserantes Patres* Diaconicum *olim effecerunt, intraque illud* Cimeliarchium, *sive* Scevophylacium. Eadem legimus apud Cotelerium in vita Sabae

1 In notit. Eccl. Conciliorum p. 27.
2 Ed. 892.

3 In Tom. III. Martii Bollandiani pag. 173.

a Cyrillo Scythopolitano conscripta, quae sic habet [1]. *Adscendit, ubi columna ignis ostensa fuerat, invenitque antrum magnum, et mirabile, quod Ecclesiae Dei effigiem gerebat. Nam ad Orientem est quaedam concha a Deo condita, ad Aquilonem vero magnam aedem, instar* Diaconici, *reperit*. Ac paullo infra [2]. *Est autem super Eccl. illam a Deo aedificatam petra dura, seu praerupta, et excelsissima, super quam Pater noster Sabas sibi aedificavit Turrim, quumque adscensum occultum intra sanctum antrum, quasi in cochlea, invenisset, a* Diaconico *ad Turrim, in eo Canonis, sive officii gratia, reliquaeque administrationis, mansit*. Praeterea Codinus [3] Imperatorem juxta Concham, quae *Diaconicon* vocabatur, secedere consuevisse narrat, ut ibi M. Basilii precationes a Patriarcha praelectas exaudiret.

Ceterum nullo alio in loco *Diaconicum bematis* clarius indicatum existimo, quam in apophtegmatis Patrum apud Cotelerium, ubi tale Gelasii Abbatis factum describitur [4]. *Et hoc quoque multi e discipulis ejus retulerunt, aliquando pisce ad fratres allato, quum illum Coquus frixisset, portavit ad Cellaritam. Necessitate autem Cellaritam urgente, exivit e cellario, relinquens piscem humi in vase, mandans alumnulo B. Gelasii, ut custodiret ad tempus, donec ipse reverteretur. Puer vero gulae libidine tentatus coepit avide piscem manducare. Tunc ingressus Cellarius, et inveniens comedentem, ira concitatus puerum sedentem humi inconsiderate pede percussit; atque is, Daemone procurante, lethaliter pulsatus, deficiente animo interiit. Unde Cellarius timore correptus reclinavit eum in proprium stratum, et obtexit, atque abiens procidit ad pedes Gelasii, nuntians ei, quod contigerit. Ille ve-*

1 T. III. Monum. Graec. p. 243, et apud Surium d. 5. Dec. p. 158.
2 ibid. p. 244.
3 de Offic. Aulae Constant. c. XV. n. IV.
4 in T. I. Monum. Eccl. Graec. p. 340. Paris. 1677. 4.

ro postquam admonuisset, ne alii cuiquam diceret, jussit, ut vespere, quum omnes quiescerent, afferret puerum in Diaconicum, *poneret coram Altari, sicque abscederet. Tum ad* Diaconicum *profectus Senex stetit ad precationem; atque hora nocturna psalmodiae, congregatis fratribus, exivit Senex, asseclam habens adolescentulum; nec quisquam rem cognovit quamdiu vixit, praeter ipsum, et Cellarium.*

Itaque prae oculis habita *Diaconici majoris*, et *minoris* distinctione, etsi quaelibet ad utrumque spectantia, non ita ad vivum resecata sint, ut rei veritas postulabat, tamen haud ita, uti ceteris, difficile fuit Goaro, et Ducangio germanam assequi sententiam Canon. Synodi Laodicenae, et Conc. Agathensis, quos mirum est, quot in sensus detorserint eruditi. Ac quum fere omnes, qui de *Secretariis* nonnihil obiter attigerunt, utriusque Concilii verba pro arbitrio interpretentur, ac in diversa abeant, iccirco necessarium esse duco, ut praeter ea, quae supra attigimus, in iis explicandis, ac perpendendis modo etiam paullulum immoremur.

C A P V T V.

Quomodo sint interpretandi Can. xxI. *Synodi Laodicenae, et* LxvI. *Conc. Agathensis?*

Duae Concilii Laodiceni, ex xxxII. Episcopis Asianae Diaeceseos coacti, versiones Arabicae in regia Bibl. Parisiensi adservantur. Harum insignior, quae *translata* dicitur, libros Judith, Machabaeorum, Tobiae, Sapientiae, Ecclesiastici, ab Heterodoxis in dubium perperam revocatos, inter Canonicos recenset, ut referunt Claudius Ca-

Digitized by Google

pellanus, et Joh. Doujat [1]. Ejusdem Canones LIX, seu quod malunt Graeci, LX. de *disciplina*, cum versionibus Gentiani Herveti, Dionysii Exigui, Isidori Mercatoris in lucem edidit Wolfangus Gundlingius [2], qui singulis eorum suas observationes adjecit. Verum, quidquid ad eamdem Synodum spectare videtur, magnas apud eruditos controversias excitavit. Sive enim tempus, quo celebrata fuisse dicitur, sciscíteris, nonnulli cum Baronio, et Binio, eam Nicaena, et Sardicensi anteriorem putarunt. Verumtamen doctissimi Fratres Ballerinii, qui eosdem Canones ediderunt [3], luculenter ostendunt, inter Sardicensem, et CP, nimirum inter ann. CCCXLVII, ac CCCLXXXI. habitam fuisse. Idque ex eo praecipue sumunt, quod in Graecis exemplaribus, ac in versionibus Isidoriana, et Dionysiana, Laodiceni Canones ante CP. perpetuo describuntur. Si vero locum, quô coacta est, scire cupias, in Phrygia celebratam plerique contendunt. Ceterum iidem Ballerinii, tum ex graeco autographo, tum ex omnibus antiquis interpretationibus, apud Laodiciam Phrygiae Pacatianae habitam fuisse demonstrant. Sed qüum in dispositione civili, quae Sardicensis Synodi tempore vigebat, unica tantum Phrygia nominetur, ac Phrygiae Pacatianae nomen, nonnisi post ejusdem Phrygiae divisionem in duas, id est in Salutarem, et Pacatianam inductum fuerit [4], liquido apparet post Sardicense Concilium, et ante CP. habitum fuisse Laodicenum.

1 In Praenot. lib. II. c. X.
2 Norimbergae 1684. 4.
3 in T. III. Oper. S. Leonis P. I. de ant. Collect. Canon. p. XXI.
4 BinghamusT.III.de Phrygia Pacatiana, et Salutari pag. 487. Lequien Orb. Christ. Tom. I. p. 792. Mamacchi Orig., et Ant. Christ. T.I. p. 326. T. II. p. 124. Cellarius diss.VII. de Amoenitat. Geogr. et Itinerib. S. Paulli Apost. n. XV. p. 157, et Diss. II. de VII. Asiae Eccl. in Apocalypsi memoratis p. 449.

Digitized by Google

Inter Canones ab eodem Conc. praescriptos unus e celebrioribus fuit XXI, quo *non oportere* declaravit, *Subdiaconos licentiam habere in* Secretarium, *quod Graeci* Diaconicon *appellant, ingredi, et contingere vasa dominica*. Ejusdem Concil. sanctionem excepit Conc. Agathense in Gallia Narbonensi celebratum an. DVI, quod iisdem ferme verbis constituit can. LXVI. *Non oportet, insacratos ministros licentiam habere in* Secretarium, *quod Graeci* Diaconicum *appellant, ingredi, et contingere vasa dominica*. Sed antequam Goari, et Ducangii sententiam expono, qui, ut jam supra diximus, omnem difficultatem in utroque Canone explicando submoverunt, aliorum Scriptorum opiniones in medium proferendas esse arbitror.

Atque, ut ab antiquioribus exordiamur, Theodosii Balsamonis judicio, Patres Synodi Laodicenae, nil aliud Subdiaconis prohibere voluerunt, quam quod ad Diaconos pertinebat; nimirum ne aggrederentur, seu tangerent sacra vasa, quum Corpus, et Sanguinem Christi continerent. *Neque enim dixeris*, en Balsamonis verba, *non debere eos sacra vasa tangere, seu sacrum calicem, sacram patinam, quum sunt inanes. Eorum enim ministerium, et translatio magis eis convenit*. Zonaras una cum Harmenopulo, Canone Laodiceno Hypodiaconis interdictum fuisse putat, *Diaconorum munera obire, ac res sacras, panem scilicet, aut vinum, quae in sacrificio offeruntur, aut vasa, quibus haec excipiuntur, patellam nempe sacram, et Calicem contingere, quum nec usquam deferri per eos liceat*. Propterea Allatius, nescio qua ratione, ex allatis Balsamonis, et Zonarae locis, falso sibi persuasit [1], verbum *Diaconicum*, ibidem non pro loco, sed pro ministerio acci-

[1] in epistola ad Morinum de Templis Graecorum recentioribus.

Digitized by Google

piendum esse, germanamque Canonis sententiam fuisse censuit, ne ea, quae ad Diaconos pertinent, Ministri inferiores aggrederentur. Quod nollem, viro doctissimo excidisset. Quale enim, quaeso, reperiri ministerium potest, quod nullo in loco agi queat? Ac rursus, quidnam aliud Hypodiaconis a Conc. Canone vetitum fuisse, putandum est, quam ingressum in *Diaconicum*, qui Diaconis tantummodo permittebatur, sacrorumque vasorum contrectationem, quae ibidem ad sacrificium peragendum in usu erant? Verum, praeterquamquod nusquam *Diaconicon* pro munere, seu officio Diaconi usurpatum, apud Graecos Scriptores reperire licet, ut optime animadvertit Suicerus [1], ipse Zonaras [2], se pro loco illud verbum accepisse, ac procul dubio agnovisse demonstrat. Scribit enim, *Can.* xxI. *Conc. Laodiceni decernit, Hypodiaconos non habere locum in* Diaconico, *neque sacra contingere debere*. Ne multa. Res per se ipsa satis aperte loquitur, ut a me pluribus explicari, necesse non sit.

Beveregius [3] Conc. Laodiceni canonem de *Diaconico magno* ab Eccl. sejuncto, *procul dubio* (ipsius verba sunt) *quidquid alii in contrarium prodiderunt*, intelligendum esse existimat, idque firmare contendit allato Conc. Arelatensis II. edicto.

Isaacus Habertus [4], ubi loquitur de Hypodiaconis, Synodi Laodicenae auctoritate evinci putat, eos neque in *Diaconico*, neque in *Sacrario* locum habuisse, ex quo ait, aditum fuisse in *Diaconicum*, quod erat interius cubiculum.

Joh. Gaspar Suicerus [5] vasa, vestesque sacras usibus

1 in Thes. Eccl. Graecae T. I. 862.
2 ad Can. xxv. Codic. Eccl. Africanae pag. 416.
3 in Synod. M.
4 in lib. Pontif. Eccl. Graecae p. 49.
5 loc. cit. p. 862.

Digitized by Google

destinata in *Diaconico* reponi consuevisse, ex ejusdem Conc. canone desumit. Quod quidem manifesto declarat, sese de *Diaconico* prope Templum exstructo Conc. verba accepisse. Eadem pari quoque sensu interpretatus fuisse videtur Dominicus Macer [1], quum *Diaconicum*, *Aspastici*, seu *Salutatorii* loco, nominatum ibi esse opinetur.

Franciscus Florens [2] Diaconis in *Diaconico* sedere vetitum fuisse arbitratur, quod hujusmodi locus ad negotia ecclesiastica pertractanda destinatus esset; ac proinde pro *Diaconico* extra Ecclesiam sese Conc. Laodiceni verba explicasse demonstrat.

Jos. Vicecomes [3] disserens de veterum Christianorum reverentia erga sacras vestes, ostendit Conc. Agathensis testimonio, iis, qui sacris initiati non essent, sacra vasa contrectandi, aut *Secretarium* ingrediundi facultatem negatam fuisse, ubi vestes, ceteraque ad Eccl. supellectilem spectantia servabantur, quin hunc ipsum locum satis aperte distinguat, nec de tempore, quo hoc interdictum erat, animadvertat.

Lud. Cresollius [4] *Diaconicon* a Conc. Laodiceno memoratum, *locum ad Ecclesiae ministeria opportunum*, fuisse tradidit.

His omnibus, ut le Brunium [5], aliosque praeteream, suffragatus est Dominicus Georgius [6], qui utriusque Conc. verba de *Secretario* extra Ecclesiam intelligenda esse, fidenter pronunciat, ejusque sententiae subscribere non dubitavit Robertus Sala [7].

Contra vero Baronius [8] a veritatis scopo longe aber-

1 in Hierolexico p. 57.
2 in adnot. ad Ant. August. T. v. p. 548.
3 in Obs. Eccl. de Missae app. T. II. p. 20.
4 in Mystagogo lib. III. c. VIII. p. 458.
5 T. II. p. 115. T. IV. p. 311.
6 T. I. de Liturg. Rom. Pont. p. 63.
7 in adnot. ad Card. Bonae. T. II. p. 218.
8 T. VI. annal. Eccl. p. 139.

rasse illos affirmat, qui ejusdem Synodi locum de *Bematis Diaconico* non esse accipiendum, aperte professi sunt. Item Stephanus Durandus [1] Conc. Agathensis Canonem de *minori Diaconico* interpretatur, quod ita appellatum fuisse vult, quod, nonnisi Diacono, illuc ingredi liceret. Hujusmodi sententiam sequutus est etiam Sarnellius [2]. Maurini [3] vero e decreto Laodiceno nil aliud erui posse affirmant, praeterquamquod ingressum Hypodiaconis in *Sacrarium*, seu *Diaconicon* interdictum, quum sacra mysteria illic celebrarentur, tactumque vasorum initiatorum iis prohibitum, quum Christi sanguinem continerent, aut in supplicationibus sollemniter deferrentur. Eusebius Amort, qui Canonem Laodicenum, ex Diessensi Cod. vetustissimo, in *Diaconia* Subdiaconis locum prohibuisse scribit, haec adjecit [4]. *Per* Diaconiam, *seu* Secretarium, *vel quod idem est* Pastophorium, *intelligebant cubiculum, absis, seu Capella lateralis, ubi sacra vasa asservabantur. Ex opposita parte erat alia absis, Capella*, Sacristia, *seu* Secretaria, *ubi libri adservabantur, et poenitentes confitebantur*.

Sed, ut tandem aliquando ad Goarum, ac praecipue ad Ducangium, qui rem copiosius exposuit, redeamus, is praemissa *Diaconici magni* distinctione, ab altero *Bematis* intra Ecclesiam, in utrumque locum Diaconis liberum ingressum fuisse permissum demonstrat. Hypodiaconis vero, qui una cum Lectoribus in solea extra bematis Cancellos consistere debebant, *Sacrarii*, seu *Bematis Diaconici* ingressu, sacrorumque vasorum tactu, Patres Conc. Laodiceni interdicere voluisse, recte opinatur. Ne-

1 de rit. Eccl. Cathol. lib. 1. c. III. p. 35.

2 in Basilicografia c. xxxvII. p. 103. in Tom. vI. Liter. xvII. et in Tom. IX. p. 52. Spiegazione della parola *Hyperetes* del Conc. Laodiceno.

3 in not. ad S. Ambros. de officiis Ministrorum T. II. p. 69.

4 in T. 1. Element. Juris Canonici p. 53.

que enim vir eruditiſſimus adduci videtur poſſe, ut credat, hoc de *Diaconico majori* extra Eccleſiam eſſe intelligendum, quum eô quicumque Eccl. miniſtri penetrare poſſent, ac porro deberent, ut illinc ad Altare pro ſacra Liturgia peragenda, alternis procederent. Ac propterea eodem ſenſu interpretatur plane geminam Conc. Agathenſis ſanctionem. Nihil enim refert, mea quidem ſententia, quod in Can. Concilii Laodiceni, tùm ex Dioniſii Exigui, tum ex Iſidori Mercatoris verſione, *τὸ ὑπηρέται*, *Subdiaconi* latine reddantur, et hoc uno verbo differat a Laodiceno Agathenſe decretum. Siquidem compertum eſt, inter ſacros, et majores ordines Subdiaconos primis Eccl. ſeculis minime adnumeratos fuiſſe, proindeque eos inſacratorum numero adſcriptos [1]. Ceterum vel ipſis Subdiaconis *Sacrarium* ingrediendi facultas identidem impertiebatur in Galliarum quibuſdam Eccleſiis, quum Lupus Tricaſſinus, et Euphronius Auguſtodunenſis in epiſtola ad Talaſſium Epiſc. Andegavenſem anno CDLXI. perſcripta permiſerint [2], *ut Subdiaconi ad pacem inter ſe in* Sacrario *accederent*. Id in aliis etiam Eccl. iiſdem Subdiaconis conceſſum fuiſſe dignoſcitur. Nam Conc. Chartaginienſe Can. V, et Bracarenſe anno DLXIII. celebratum Can. X. eos e Lectorum conſortio diſtinguunt, ac jubent, *ne liceat cuilibet ex Lectoribus ſacra Altaris vaſa portare, niſi his, qui ab Epiſcopo Subdiaconi fuerint ordinati*. Quibus expoſitis, de recta, quam ſupra dedimus, intelligentia Canonum Conc. Laodiceni, et Agathenſis, amplius dubitari non poſſe, nemo inficiabitur.

1 Abb. Floriacens. in Apologetico p. 397. Morinus de Ordinat. P. III. Exerc. XI. XII. XIII. XIV. Bona Rer. Liturg. lib. I. c. XXV. §. IV. Cotelerius ad PP. Apoſt. T. I. p. 238. ad Conſt. Apoſt. II. 25.

2 T. IV. Conc. p. 1048.

CAPVT VI.

De cultu, quo veteres Christiani prosequebantur utrumque Diaconicum.

Quanta veneratione priscorum pietas *Diaconicum Bematis* prosequeretur, vel illud inditio esse potest, quod omnibus promiscue, infra Episcop., Presbyter., et Diaconor. Ordines, excepto Imperatore, ejus aditus, atque ingressus plane occluderetur. Singularis etiam fuit reverentia, quam pro *Diaconico majori* adhibebant. Siquidem illud inter praecipuas sacrarum aedium partes recensebant, ibique otiosos sermones de inanibus, profanisque rebus serere, piaculo adscribebatur [1]. Praeterea Graeci, ut in *Diaconico bematis* Episcopatum, Presbyteratum, et Diaconatum ante Altare conferebant, ita in *Diaconico majori* extra Sanctuarium [2] Subdiaconos, Lectores, aliosque inferiores Ministros ordinabant. Ibidem etiam, ut fusius observavimus, ubi de *Secretariis* fuit sermo, Synodi, et Concilia persaepe celebrabantur, atque eorum aditus fere semper non solum feminis, ac laicis [3], sed multo magis Haereticis interdictus erat. Quod manifesto patet ex Cod. Theodosiano, ubi legem habemus Arcadii, quae jubet [4], *Haereticos ex omnibus locis expelli, sive sub Ecclesiarum nomine teneantur, sive quae* Diaconica *appellantur, vel etiam* Decanica. Atque heic obiter mihi refer animum, si *Diaconicum* pro *Bematis* parte accipiendum semper esset, quod Allatius [5]

1 pag. 190. 432. 500. 501.

2 Amalarius de div. offic. lib. II. cap. VI. Ambrosius Comm. in Epist. ad Tit. Joh. Morinus de Sacris Ordinationibus. Edmundus Martene, T. II. de ant. Eccl. ritibus p. 31. et Alexius Aurelius Pelliccia de Christ. Ecclesiae, primae, mediae, et novissimae aetatis Politia T. I. p. 48.

3 pag. 432. 500. 501.

4 lib. XVI. tit. V. l. XXX.

5 loc. cit.

vult, supervacaneam certe in hac lege fuisse *Ecclesiae* a *Diaconicis* distinctionem; quae quum omissa non fuerit, satis argumento est, alia etiam *Diaconica*, seu *Decanica* fuisse apud antiquos, ab Ecclesia, ac proinde a *Bemate* seclusa, atque remota. Quapropter minime dubitandum est, etsi secus aliis [1] visum fuerit, Arcadium a *Diaconicis*, aeque atque ab Ecclesia, Haereticos arcere voluisse. In hanc rem vide, quae tradunt Theosterictus in vita S. Nicetae Hegumeni [2] Mediciensis in Bithynia, et scriptor vitae S. Arraentii Archimandritae [3]. Verum, quoniam sermo incidit de *Decanicis*, locus ipse me admonet, ut nonnulla de iis etiam opportune heic interseram.

C A P V T V I I.

De Decanicis, et Dicanicio.

Sunt, qui *Decanici* vocabulum, idem quod *Diaconicum* valere sibi persuaserint, illudque nonnisi corrupte ex eo derivatum opinentur. Aliis vero a graeca voce δίκη natum volunt, quod iccirco, latine quum loquuntur, *Tribunal* vertunt. Sed perperam utrique, ut Ducangius [4], et Binghamus [5] ostendunt. Et sane latinus interpres in supplicatione Basilii Diaconi ad Theodosium in Concil. Ephesino [6] τῷ δικανικῷ male reddidit *Tribunali*, quum etsi revera postmodum hac etiam appellatione donata sint *Diaconica*, eo tamen loco *Decanicum*, nihil aliud est, nisi

1 Ducangius in not. ad Paull. Silentiar. Binghamus. in Orig. Eccl. Mabillonius. in T. II. Mus. Ital. p. XII.
2 n. VIII. T. I. April. Bolland. p. 253. et apud Surium die 3. April. p. 32.
3 num. III.
4 in Gloss.
5 T. III. Orig. Eccles. lib. VIII. p. 265. et T. VIII. p. 49.
6 in T. III. Concil. pag. 447. in Conc. Ephes. par. I. cap. XXX. et in T. I. Conc. Hard. p. 1337.

Digitized by Google

Carcer perduellibus Ecclesiae vindicandis aedificatus, ac locus ita vertendus. *Pars a ministris comprehensa, atque in Carceres Eccl. abstracta, tali immanitate diverberata, exceptaque est in regia Civitate, qualis ne apud barbaras quidem nationes quandoque usitata fuit.*

Verum Ant. Bombardinus in *Tractatu de Carcere, et antiquo ejus usu ad haec usque tempora deducto* [1], *Decanici* vocabulum fortasse ortum fuisse putat ex Ephororum carcere, qui *Decas* appellabatur, ut narrat Plutarchus in Agide. *His auditis, Ephori morte damnatum, ut in* Decada *ipsum deducerent, praecepere. Est autem* Decas *in carcere locus, in quo morte damnatos strangulari consuetudo fuit . . . similis huic locus Tullianus Romae a Tullio Hostilio institutus, unde nomen accepit, noxiorum supplitio destinatus.* Quidquid vero de hujusce nominis origine sentiendum sit, una ex *Diaconici* partibus erat *Decanicum*, quod proprie ad reos Clericos honeste custodiendos destinatum erat, quodque *cella Secretaria*, ut supra vidimus [2], aut *Decania* interdum vocabatur. Ejus vero custodes *Decanos* quandoque nuncupatos esse putant Macri [3], et Iohan. Guil. Hoffmannus [4]. Quum enim, uti Ducangius [5] observat, prisci Ecclesiae Pontifices nil unquam haberent antiquius, quam suam in Clericos [6] auctoritatem, ac jurisdictionem tueri, ne forte in crimine deprehensi, una cum Laicis, eodem carcere detinerentur, ac ne inclementius a profanis Judicibus in eos ageretur, illos in Ecclesiarum

1 Patavii 1713. 8. et in T. III. Thes. Poleni p. 731. c. avil. de Decanico, seu Carcere reorum Ecclesiasticorum.

2 pag. 81.

3 in Hierolexico p. 204.

4 de Decanis, et Decanissis Commentatio. Vitemb. 1739. 4.

5 in Comm. ad Paull. Silentiarium p. 594.

6 Se il Vescovo possa imporre la pena de' flagelli a' suoi Cherici delinquenti? fra le lett. Ecclesiastiche di Pomp. Sarnelli. T. I. p. 94.

Decanicis , quae *Diaconica* , *Secretaria* , *Catechumenia* , aeque denominabantur, detinere satius duxerunt, quousque, poenitentia iis imposita, quam ἐπιτίμιον vocabant, ac rite peracta, sua crimina expiassent. Hoc autem in dubium vocari non potest. Cavit enim Conc. Matisconense I. can. VIII. *Nullus Clericus alium Clericum ad Iudicem secularem accusare, aut ad caussam dicendam trahere quocumque modo praesumat .... quod si quis Clericus hoc adimplere distulerit, si minor fuerit, uno de quadraginta ictus accipit, si vero honoratior*, triginta dierum inclusione *mulctetur*. Quae quidem reclusio, immuratio nuncupatur in VI. libro Decretalium [1]. *Quum pro haeresi fuerit Curiae seculari relinquendus, aut immurandus*. Atque alibi [2]. *Religiosi etiam sunt* immurationis *poena, vel alia gravius puniendi, quam Seculares, si inventi fuerint in haeresi, vel consimilibus delinquisse*. Item Synodus Francica sub Bonifacio V. praescripsit, *Clericus, vel Monachus in fornicationem lapsus, post tertiam verberationem* in carcerem *missus, ibi poenitentiam agat*. Praeterea statuit Conc. Liptense coactum anno DCCXLIII. sub Zacharia Pont. et Childeberto III. Francor. Rege can. VI. ut *Clerici, et Moniales fornicantes*, carcere, *jejunio in pane, et aqua, et flagellationibus plecterentur*. Id etiam manifeste comprobatur ex epistola Alexandri III. ad Rotrodum Archiep. Rothomagensem [3]. *Si Clericus aliquis pro suis culpis a ministerialibus Praelatorum Ecclesiae captus fuerit, non patiaris eum custodiae publicae mancipari, aut in carcerem Laicorum retrudi, sed potius in domo tua, vel alterius Ecclesiasticae personae ejus custodiae locum facies congruum provideri, ubi secundum qualitatem, et quantitatem delicti debeat custodiri*. Quod vero Alexander in Episcopi

1 c. I. de Haeresi. 2 c. VIII. Haer. 5. *Sacerdotes.* 3 in Conc. edit. p. 159.

domo praestandum esse monet, Gregorius II. in *Secretariis*, et in *Diaconicis* fieri solitum fuisse declaraverat in insigni epistola ad Leonem Isaurum, initio Conc. Nicaeni II. conscripta, ubi ut, quantum esset in ferendo de plectendis reis judicio inter Pontifices, ac Imperatores discrimen ostenderet, *si quispiam*, inquit, *te offendet, domum ejus publicas, et spolias, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longe a liberis, et ab omnibus cognatis, et amicis suis amandas. Pontifices non ita: sed ubi peccarit quis, et confessus fuerit, suspendii, vel amputationis capitis loco, Evangelium, et crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque, tamquam in carcerem, in* Secretaria, *sacrorumque vasorum* Aeraria *conjiciunt, in Ecclesiae* Diaconica, *et in* Cathecumena *ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigilias, et laudationem ori ejus indicunt. Quumque probe castigarint, probeque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini Corpus impertiunt, et sancto illius sanguine potant, et quum illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum, insontemque transmittunt.*

Quae quidem poenitentium *inclusio*, sive *Incarceratio*, fieri plerumque solebat in capite jejunii, ut animadvertit Martene [1], finemque accipiebat in Coena Domini. Verum nescio, cur Ducangius [2], etsi recte Baronio [3], Wolfio, et Meursio restiterit, qui *Catechumena* fuisse putarunt Porticus Ecclesiae superiores Catechumenorum stationi destinatas, tamen locum fuisse putaverit mulieribus assignatum ad sacram Liturgiam auditu excipiendam. Quod quidem, etsi quadrat locis Conc. Trullani [4],

1 T. I. de art. Eccl. rit. p. 746.
2 in Glossario, et in Paull. Silent. p. 550.
3 ann. DCLVI. num. LVIII.
4 c. XCVII. T. VI. Conc. p. 1183.

edicti Leonis Imperatoris [1], et Paulli Diaconi [2], nunquam certe ad allata Gregorii II. verba referendum est. Ac propterea haud levis suspicio suboritur, Conc. CP. Joh. Comneni tempore, anno MCLXV. [3] *in dextris Catechumeniis S. Alexii* celebratum, iis esse accensendum, quae in *Secretariis* habita fuisse memoravimus. Cur enim cum Binghamo [4] opineris, in locum, ubi solerent mulieres ad audiendam Liturgiam considere, coactum esse? Diserte autem videmus in Conc. Coloniensi an. MCCLXX [5], *Carcerem Canonicalis disciplinae* Decanicum *nuncupari*; itemque praecipi a Conc. Lambethensi an. MCCLXXI, quod *quilibet Episcopus in suo Episcopatu habeat unum, vel duos Carceres pro Clericis flagitiosis deprehensis in crimine, vel convictis, juxta censuram canonicam detinendis*. Eadem statuit Conc. Aurelianense Canone v, ad quem provocat Gussanvillaeus in animadversione ad Epistolam Gregorii M. [6] ad Cyprianum Diaconum, ubi verba, *quos etiam dedit Maximianus Episcopus in custodia retinendos*, de *Decanico* reis detinendis destinato intelligenda esse pronuntiat. Praeterea eadem notione *Decanicum* accepit Gothofredus in Comment. ad memoratam Arcadii, et Honorii legem, qui an. CCCXCVI statuerunt [7], non licere Haereticis, quicquam damnati cultus exercere in *Decanicis*, hujusmodi verbis. *Cuncti Haeretici procul dubio noverint, omnia sibi loca hujus Vrbis adimenda esse, sive sub Ecclesiarum nomine teneantur, sive quae* Diaconica *appellantur, vel etiam Decanica*. Ibi enim diserte pronunciant, *Diaconicum*, seu *Decanicum praebuisse usum quemdam carceris, et custodiae Ecclesiasticae*, quod non

1 Novell. LXXIII.
2 Hist. Miscell. lib. XXIII.
3 apud Allatium de consens. Eccl. lib. II. c. XI. p. 645. et c. XII. p. 68.
4 T. III. p. 201.
5 cap. I.
6 lib. V. epist. XXXII. p. 259.
7 lib. III. de Haer. et in T. VI. Part. I. Opp. Gothofredi p. 164.

assequutus videtur Mabillonius, qui ad haec verba, inquit [1]. *Quid* Decanicorum *vocabulo, intelligat, non satis constat. Nam hoc loco, ut alicubi alias, Carceres significari haud simile veri est*. Quid vero vetat, cur opinemur, Arcadium, quum lege lata, Haereticis varia Vrbis loca interdiceret, *Diaconica* indigitare voluisse, altero *Decanicorum* nomine, quo vulgo designari consueverant? Item apud Julianum Antecessorem statuitur [2], ut *exequutor litium constitutus, in* Decanicis *Ecclesiarum recludatur poenas competentes luiturus*. Quae quidem sanctio iisdem fere verbis legitur in Capitularibus Karoli [3], et confirmatur a Justiniano, ubi ait [4]. *Et retrudantur in locis, quae* Decanica *nuncupantur, poenas competentes passuri*; ut mirum non sit, quamplures auctores [5] summa consensione *Decanicum*, pro loco custodiae, seu *Carceris* ecclesiastici habuisse.

Quis itaque Fl. Florenti subscribat, qui [6], etsi fateatur in *Decanicis* Clericos immorigeros, ac sontes, custodiae caussa, quandoque fuisse adservatos, male tamen ex eo *Decanica* fuisse Carceres desumi contendit, quod Ecclesia primis seculis, ut sibi persuasit, jurisdictione carens, *Carceres* habere non potuit? Quod certe quam falsum sit, luculenter ostenditur a C. P. Bianchi [7].

Et sane hujusmodi *Carcere* instructum fuisse puto *So-*

1 in Comment. in Ord. Rom. p. xiI.

2 Constit. LXXIII.

3 lib. v. cap. xxv.

4 Nov. xxix. iiI. in fin.

5 S. Isidorus. in Glossario cap. xxxix. p. 38. Pithaeus. Antonius Augustinus. in Epitome Novellarum Justiniani. Balusius in not. ad Julianum Antecessor. Cpolitana pag. 378. Mornarius ad lib. iiI. Cod. de Haereticis, et Manicheis. Meursius in voce ΚΑΤΗΧΟΥΜΕΝΑ in Lexico Graeco Barbaro T. iv. edit. Florent. p. 428. Cujacius ad Novell. LXXIX. Ducang. in Comment. ad Paullum Silentiarum p. 59, et in Gloss. Macer in Hierol. p. 204. de la Cerda c. xxxix. Adversar. p. 38. Mabillonius. in comm. praevio T. iI. Mus. Ital. p. xiI.

6 pag. 299.

7 Della Potestà, e della Politia della Chiesa. Roma 1745. T. V. 4.

cretarium Lateranense, pari modo, quo certe in *Secretario Vaticano Carcerem* fuisse demonstrabimus. Scribit enim Anastasius in Stephani III. vita [1], *eum in teterrima custodia inclusit, quae vocatur* Ferrata, *in Cellario majore* (cujus quidem custos *Cellarius* dicebatur [2]), *et post modicos dies ipsum de eadem* custodia *ejicientes Waldipertum Presbyterum, eumque projicientes in terram, juxta transennam Campi Lateranensis, ejus effoderunt oculos, et linguam ipsius crudeliter, ac impie absciderunt*. Macer, et Vignolius *Ferratam* hanc custodiam in subterraneo Patriarchii Lateranensis exstitisse generatim pronunciant. Verum, quum ageretur de puniendo Presbytero, facile adducor, ut credam, eum in carcerem *Secretarii Lateranensis* fuisse conjectum. Idem profecto sentiendum esse arbitror de Carceribus Monachorum [3], quorum nonnulla in *Sacrarii Decanico*, instar aliorum, constructa esse debuerunt. Quumque ibidem sontes Monachi latere cogerentur, Carcer ipse in Statutis Cisterciensibus *Laterna* vocatur. Ibi enim legitur [4]. *Lusores Monachi .... per quinque dies sint in custodia, vel* Laterna, *quousque fuerint absoluti*. Atque haud scio, an celeberrima illa Anonymi Valesiani verba [5], *tunc Albinus, et Boethius ducti in custodia ad Baptisterium Ecclesiae*, explicanda sint de *Sacrarii Decanico*, quod prope *Baptisterium* Ticinense, seu Calventianum esse debuit? Verum, quum in Viros seculares animadvertendum esset, admodum incerta, et obscura res est; de qua praeter Scriptores a

1 T. II. p. 146. §. XV.

2 Macri in Hierolexico p. 139.

3 Confer S. Joh. Climacum. Joh. Mabillonium. Reflexions sur les Prisons des Ordres Religieux. T. II. Opusc. posthum. Balutium. T. II. Capitular. p. 1088, et Christ. Frid. Ayrmannum. Commentatio historico-juridica de Monasterio carcere ad antiquitates monasticas, jurisque civilis, et Ecclesiast. varia capita illustranda pertinens. Francof. et Lipsiae 1747. 4.

4 ann. MCCXLVI. Tom. VI. Misc. Balut. pag. 505.

5 ad calcem Amm. Marcellini.

Mazzucchellio [1] laudatos, consule Joh. le Clerc [2], Abb. Gervaise [3], Guidum Ferrari [4], mihique suavissima necessitudine conjunctissimum Hier. Tiraboschium [5], hominem omnium rerum, quod de Q. Scaevola a Cicerone dictum accepimus, disciplina eruditissimum.

Restat nunc, ut nonnihil adjiciam de *Dicanicii* vocabulo, quod apud Syropulum occurrit, qui narrat, *Patriarcham inter cetera, quae ad pompam sui, versus Papae Palatium, processus commendandam providit jussisse, ut sibi Dibambulum, et* Dicanicium *praeferrentur*. Hujusce vocis interpretationem a Possino accipiamus, qui esse docet [6] Dicanicium, *aliquid simile baculis illis, aut contis argenteis, specie clavarum* [7], *quas praeferri vidimus Cardinalibus, qualium Graecis Patriarchis usitatorum meminit Chronicon CP. his verbis. Propriis manibus dedit ipsi* Dicanicium *magni pretii, sive virgam argenteam circumauratam*.

CAPVT VIII.

De ceteris Diaconici, et Diaconii significationibus.

Antequam hunc locum absolvam, addendum est, ne cui forte inter legendum antiquos auctores offendiculo sit, preces quasdam pro variis personis, et rebus, seu verius pro pace obtinenda compositas, quas veteres εἰρηνικά, idest *pacifica*, nos vero *collectas* vocamus, *Diaconica* quandòque nuncu-

1 Scrittori Italiani T. v.

2 La vie de Boece. dans la Bibl. choisie. Tom. xvI. pag. 192.

3 Histoire de Boece. avec l'Analyse de tous ses ouvrages, des Notes, et des Dissertations histor. et theol. a Paris 1705. 12.

4 Diss. xvI. Int. Dissert. pertinentes ad Insubr. antiquit.

5 Storia della letterat. Ital. T. III. p. 47.

6 Possinus in Observ. ad Pachymer. p. 474.

7 De clavis argento caelatis, Cardinalibus praeferendis V. Pancirol. in Thes. lib. I. cap. LXXXV. Macrum in Hierolexico. Piazza Gerarchia Cardinalizia. p. 5. Sarnelli della mazza d'argento de' Cardinali, nel T. I. delle Lett. Eccl. p. 18.

pari. Nam, uti eleemosynarum collatio, quae a *Diaconis* colligebantur, et in pauperes alendos, ac sustentandos distribuebantur, *Diaconia*, testibus Paullo [1], et Cassiano [2], vocabatur, ita et hujusmodi preces hoc nomine donatae esse videntur, quod a *Diaconis* decantarentur. Siquidem *Diaconi*, inquit Conc. Aquisgranense sub Stephano, et Ludovico Pio congregatum [3], *voces tonitruorum sunt, et clara voce in modum praeconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendo genua*. Aperte autem in Liturgia Praesanctificatorum dicuntur *Diaconica*, *quia a Diaconis recitabantur*, et in Graècorum Euchologio [4] occurrunt Diaconica *S. Sabae pro Baptismo . . . . . postquam vero Diaconus* Diaconica *haec compleverit . . . . dicto* Amen *superioris officii, incipit Diaconus haec* Diaconica . . . . *Sacerdos dicit orationem secreto, Diacono memorata* Diaconica *recitante*. Itemque pro *ritu in ordinatione Subdiaconi, et Episcopi servando*, *Diaconica* pronuntiantur [5]. Neque vero praetereundum est, in Responsoriali, et Antiphonario Rom. Eccl. apud Thomasium [6] preces haberi ita inscriptas. *Incipit Iaconia Clericorum*, quae in ejus appendice [7] *Diaconia* appellatur. Sic autem exequiarum officium vocabant, quod a Clericis circa defunctorum corpus persolvendum erat. Quod patet etiam ex Nicolai III. constitutione [8], ubi agens de Denariis, qui Canonicis erant distribuendi, nominat eos, qui *dantur pro Iaconia, seu Diaconia defunctorum*. Porro ad rem confirmandam, Cl. editores luculentum proferunt testimonium Orationalis Bas.Vat. [9], ubi haec habentur. *Post celebrationem Missae stant quatuor Sa-*

1 ad Corinth. cap. VIII. et IX.

2 Collat. XVIII. c. VII. et XXI. c. I. VIII. et IX.

3 Can. VII.

4 Martene in T. I. pag. 232. et 233.

5 ibid. p. 266. T. II.

6 T. V. Oper. p. 165. V. Galliciolium in Isagoge Liturgica p. 260.

7 ibid. p. 232.

8 T. I. Bull. Vat. p. 182.

9 n. II. litt. f

cerdotes praeparati juxta feretrum cum turibulis; et alii Clerici in Rota cum luminaribus, et dicantur hae Diaconiae. *Requiem aeternam*. Id etiam constat ex iis, quae exhibent Statuta MSS. Eccl. S. Laur. Rom. [1] in capite inscripto, *de divisione* Jaconiae, *id est lucri exequiarum, et funerum. Quando Canonici fuerint invitati ad funus extra Eccl.,* Jaconia *dividatur inter euntes*. Facile est igitur percipere, *Diaconiae*, et *Iaconiae* vocabula qua de caussa ad statas preces pro justis funebribus significandas fuerint usurpata, quod sese Vezzosius [2] nunquam detegere potuisse profitetur. Id enim nominis iis datum, seu quod *Diaconi* eas concinerent, seu quod hujusmodi libros conservarent.

Superest nunc, ut animadvertam, Placentae solum, *Diaconium* vocatum esse, ut Suidae auctoritate docet Bulengerus [3]; et *Diaconicon* etiam a Graecis vocari librum ecclesiasticum, quo omnia, quae ad *Diaconi* munus obeundum in agenda re divina requirebantur, et eorum singula officia, uno veluti fasce, connectebantur, uti docet Allatius [4], qui putat illud idem esse, quod βιβλιον τῶς Διακονιας appellatur a Joh. Euchaitarum Episcopo. Ac propterea συναπται aliquoties appellabantur. Sic etiam *Martyrologia* interdum *Sacraria* dicta fuisse vidimus [5], itemque alios libros Liturgicos eodem nomine venisse tradit Ordinarium MSS. S. Petri Aureae Vallis, ubi de benedictione fontium, ait [6]. *Fiat totum illud mysterium, videlicet cruces, et signacula, prout habetur in* Sacrario, *sive Collectario, ubi etiam habetur, qualiter ponatur, et deponatur Cereus in fontes, et de fontibus. Nam liber continens benedictiones, seu sacrationes,* Sacrarium *dicebatur*.

1 in T. II. Carpentier p. 796.
2 T. V. edit. oper. Thomasii p. 765.
3 de Conviviis in T. XII. Thes. Graev. p. 145.
4 Diss. I. de libris Eccles. Graecorum.
5 pag. 327.
6 Carpentier T. III. p. 637.

CAPVT VIIII.

De Scevophylaciis.

Nunc, ut institutum ordinem prosequamur, qui nos quodammodo manuducit ad varia *Diaconicorum* nomina agnoscenda, de *Scevophylaciis* disseremus. Hoc nempe unum erat ex iis, quibus promiscue *Diaconicum* primitus appellari solebat. Quum enim ibidem, uti dictum est, sacra supellex, seu, ut utar trito Ecclesiasticis scriptoribus vocabulo, sacra *ministeria* adservarentur, inde factum est, ut etiam σκευοφυλάκιον quandoque nuncuparetur, quod idem est, ac *vasorum Custodiarium*, uti vertunt Anastasius [1], et eruditissimi Constantini Porphyrogennetae interpretes [2], seu *Conclave vasorum*, quod vel in Templo Hierosolymitano memoratur, una cum *Conclavi occultorum donorum*, in Misna Shekalim [3]. Quae quidem denominatio licet pluries pro *Diaconico* generatim, et absolute usurpata fuerit, nihilominus persaepe etiam strictius pro interiori illa *Diaconici* parte accipiebatur, in qua sacra κειμήλια custodiebantur, nimirum vasa aurea, et argentea, vestes sericae, ac lineae, candelabra, aliaque id genus, quorum frequens fit mentio apud Nazianzenum, Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Paullinum, aliosque. Haec autem cimelia, seu potior eorum pars alicubi, non modo ad sacrarum aedium ornatum inserviebant, sed etiam ad Imperatorum ostentationem, qui gazam pretiosiorem, in Templorum *Scevophylaciis*, tamquam in tutiori loco, servabant, ibique, ut discimus ex Leo-

1 Hist. Eccl. p. 35.

2 de Caeremon. Aulae Byzantinae p. 45.

3 Tom. II. edit. Surenusianae pag. 194.

ne Gramatico [1], peregrinis Legatis ostendebant, ac identidem depromebant, ut iisdem Palatia sua instruerent, aut etiam quandoque Circum exornarent, quod Alexandrum Leonis Fratrem praestitisse, auctor est Teophanes [2].

Quod vero *Scevophylacium* idem esset, quod *Diaconicum*, ex eo quoque evinci potest, quia non solum vestes, et vasa sacra ibidem reponerentur, verum etiam sacri codices, quemadmodum, ubi egimus de *Secretariis*, *Vestiariis*, et *Diaconicis* factum fuisse demonstravimus [3]. Id enim luculenter declarant istiusmodi verba Conc. Oecumenici vI, seu iiI. CP. [4] *Postquam dissigillatus fuisset codicillus, accipiens Petrus Deo amabilis Diaconus, et Notarius SS. Archiep. Constant. ipsum authenticum librum, qui est de* Scevophylacio, *id est de repositione vasorum sacrorum hujus S. M. Eccl. membranaceum, tectum ex argento*. Rursus testatur Auctor Chronici Alexandrini, sacram supellectilem, statim ac sacra absoluta erant, vel dum adhuc ultimus communionis versus caneretur, in *Scevophylacium*, ex quo prius fuerant deprompta, referri consuevisse. Reddo ejus verba [5]. *Institutum est psallere, postquam ab omnibus sacra mysteria percepta sunt, quum per Clericos referenda sunt in* Scevophylacium *pretiosa flabella, disci, calices, atque alia sacra vasa, postquam e mensulis, et distributionis reliquiae, et omnia in sacram mensam sunt reposita*. Atque uti illuc reportabantur sacra instrumenta, ita et Sacerdotes, et Diaconi illuc redibant, ut sese togis suis ibidem exuerent, et privatis precibus indulgerent. Ac sane miror, a Binghamo [6], allatum Chronici Alexandrini locum pro *minori Scevophylacio*, seu *Diaconico Bematis* acceptum fuisse,

1 pag. 85.
2 p. 284.
3 p. 247. 82. 95. 109. 128. 130. 177.
4 p. 1202. edit Hard. act. 2.
5 p 390.
6 T. III. Orig. Eccl. p. 249.

ffff

quum, si quid video, de altero Eccl. conjuncto intelligi omnino debeat, nisi velis, coram populo, juxta Altare, sacra ministeria perpetuo fuisse adservata. Porro illae eaedem precationes, quae a Liturgia S. Marci [1], exacto sacrificio, ἐν Διακονικῷ peragendae praescribuntur, in Liturgia Chrysostomi [2] ἐν σκευοφυλακίῳ faciendae praecipiuntur. Ac praecipue in Liturgia Jacobi [3] una precum formula hoc titulo inscripta occurrit. *Oratio, quae dicitur in* σκευοφυλακίῳ, *postquam dimissus est populus*. Quin etiam apud Cotelerium, inter Canones Synodicos Nicephori Cpolitani statutum legimus [4], *quod non oporteat in prece* Scevophylacii, *seu* Sacrarii *facere consignationem super sacrum calicem*. Quae quidem a Beveregio [5], Goaro [6], et Binghamo [7] animadversa, argumento fuerunt, quo recte statuerent, tam *Bema*, quam *Diaconicum majus*, *Scevophylacii* nomen promiscue obtinuisse.

Verum, priusquam de *minori Scevophylacio* disseramus, nonnihil dicendum est de magno Aedis Sophianae *Scevophylacio*. Ibi enim praeter candelabra, cruces, calices, peristromata aurea, et argentea, aliaque ad sacram supellectilem spectantia, quae in aliorum Templorum *Scevophylaciis* adservabantur, discimus ex Anonymo [8], duos praeterea reconditos fuisse lectos, a Studio, et Stephano dono datos, ut majori pompa, ac celebritate nobilium, seu honoratorum virorum funera iisdem efferrentur, contra quam de inferioris coetus ordinibus fieri solebat, quorum cadavera in lectis deferebantur, quos major Ecclesia CP. subministrabat. Eidem enim ad hunc usum

1 in Bibl. PP. T. II. p. 41.
2 ibid. p. 88. 3 ibid. p. 23.
4 T. III. p. 446.
5 in Synodico T. II. p. 76.
6 in Euchology. p. 17.
7 T. III. Orig. Eccles. p. 250.
8 apud Ducangium in not. ad Philostorgium, et in CP. Chr. l. III. §. LXXXII. p. 77.

Constantinus M. [1], et Anastasius Imp. mille, et centum officinas adsignaverant in frequentioribus foris Vrbis positas, quae ab ea locabantur, ut ex earum redditu funerum plebis sumptus facere posset. Verum in *Scevophylacio* CP. tertium quoque adservabatur feretrum, duobus aliis multo nobilius, pretiosiusque, quod χρυσοπάσιον vocabatur, utpote auro ubicumque perlitum, atque exornatum. Hoc autem pro iis tantum inserviebat, qui peculiari quadam pompa, atque apparatu Procerum funus ducere vellent, quod aere proprio facere cogebantur [2]. Hujuscemodi lectorum aureorum, qui quattuor hominum humeris adsportabantur, forma apud Ducangium observatur, qui graphice delineari curavit S. Caesarii funus [3] ex archetypo Cod. MSS. operum S. Gregorii Nazianzeni, quod in Bibl. Regia adservatur.

Hactenus de *majoribus Scevophylaciis*, quae inter exedras extra sacras aedes positas numerabantur. Nunc ad *minora Scevophylacia* progrediamur. Hujusmodi appellatione *Bematis* quoque *Diaconicum* indicare solebant, quô vestes, vasa, et sacros codices, ut ad Liturgiam peragendam in promptu essent, deferebant. Ibidem panis etiam eulogicus, post oblationem in prothesi factam, ad finem usque Liturgiae asservandus praeparabatur, itemque aqua in Theophaniis benedicta, quae inde quoque a Diacono inter Liturgiae sacra Poenitentibus a communione repulsis propinabatur. Verum fatendum est, multo frequentius *Scevophylacii* titulum *majori Diaconico* obtigisse.

1 ex L. IV. et XVIII. c. de Sac. Eccl. ex Justin. Nov. LIX. et ex Leon Nov. XII.

2 V. Julianum Antecessor. Const. LIII, et Ducange in *Lectus*.

3 V. ejus vitam ex Orat. X. S. Gregorii Theologi, cum comm. praevio, et notis Johannis Bollend. in Tom. III. Februar. pag. 502.

CAPVT X.

De munere Scevophylacis, et Chartophylacis.

Posteaquam vidimus, ubi situm, quibusque usibus destinatum esset *Scevophylacium*, praestat inquirere, cui tradita ejusdem esset custodia, quoque is nomine appellaretur. Porro in Ecclesia Graecanica florebat munus, ac dignitas, quae σκευοφυλαξ nuncupabatur, quod idem sonat, atque *vasorum Custos*, cui in saciam supellectilem omne arbitrium, et potestas erat. Ejusdem fit mentio apud Symeonem Thessalonicensem [1], et apud Balsamonem, qui ait [2]. *Sacrorum cimeliorum curam habet M. Scevophylax*, Occurrit non semel *Scevophylax* in Hist. Miscella [3], itemque Guillelmus Bibliothecarius ejusdem meminit, ubi narrat [4]. *Ibi a Paullo librorum custode, Ioseph vasorum custode, simulque Basilio Sacellario, ecclesiasticis induti vestibus salutati.*

Hujusmodi munus *Diaconis* collatum fuisse produnt Acta Conc. Oecumenici vII, seu Nicaeni II, ubi legitur [5]. *Dixit Demetrius Deo amabilis Diaconus, et Scevophylax S. CP. Ecclesiae* [6]; itemque acta Conc. Florentini, quibus inter ceteros subscripsit [7] *magnus Scevophylax Diaconus Theodorus Xanthopulus*. Georgius Codinus Curopalata in Eccl. CP. munerum recensione haec habet [8]. *Magnus* Scevophylax, *seu vasis custos sua potestate habet Eccl. vasa, seu supellectilem. Sedet cum aliis* vI. *Officialibus in S. Synodo cum Pa-*

1 lib. de Templo

2 in Nomocan. Photii tit.II. cap. II.

3 vII. Syn. act. iv.

4 in Hadriano II. P.

5 p. 126.

6 De S. Demetrio Scevophylace brevis notitia. in T. II. Januar. Bolland. p. 636.

7 T. IX. Conc. p. 430.

8 de Officiis, et Officialibus M. Eccl. et Aulae Constantin. in T. XV. Opp. Gretseri.

Digitized by Google

triarcha. Heic autem innuit *Exocatacaelos*, *Oeconomum* nempe, *Sacellanum*, *Chartophylacem*, et *Sacello Praepositum*, quibus Georgii Xiphilini tempore etiam *Protecdicus* [1] accensebatur. Itaque uni ex iisdem, qui *M. Scevophylax* dicebatur, sacrorum vasorum custodia tradebatur, ut etiam Voigtius [2] animadvertit. Hunc autem *Diaconum* fuisse probat etiam Georgii Pisidae exemplum [3]. *Fuit is*, utar iisdem editoris Jos. M. Quercii verbis, *in aede S. Sophiae Diaconus, et* Scevophylax, *quibus titulis occurrit insignitus in Cod. Vat.* 1126. *Equidem scio circa haec tempora Clerum CP. tantum excrevisse, ut Heraclius sua sanctione in Novellis* 1I. 4. *cum Diaconos, tum alios Ordines in immensum auctos, ut jam eis assignatae* ἕδραι, *vel sedes vix sufficerent, ad certum numerum redigere decreverit. Quare mirarer minus Georgium Pisidam in Eccl. Maj. receptum fuisse, si inter Diaconos tantummodo fuisset cooptatus; sed cum* Scevophylax *etiam fuerit, majorem plane injicit nobis de se opinionem. Nam* Σκευοφύλαξ *cimeliorum, vel vasorum Ecclesiae custos, tertia erat post magnum Oeconomum, et magnum Sacellarium dignitas inter* Ἐξωκατακοίλους, *vel majores Ecclesiae Officiales,* ἄρχοντας *quoque propterea appellatos, ut videre est in Codino de Offic. CP. lib.* 1. *qui in ipsa Ecclesia, et in publicis consessibus Patriarchae semper assistebant, et Episcopos, ipsosque Metropolitas praecedebant.* Scevophylacis *munia recenset Allatius de utriusque Eccl. cons. lib.* III *cap.* 8. *Magnus vasorum custos, Pontifice celebrante, ad fores* Sacristiae *stat, quodcumque fuerit opus, sive vas, sive sacrum librum, cereos, aut ornamenta ex ea depropturus. Commisa est etiam illi Episcopatus* Sacristia,

1 Comnenus in Praenot.Mystag.376.Goarus ad Euchol. p. 291. Cangius in Gloss. Graeco p. 409. Macri in Hierolexico.

2 in Thysiasteriologia p. 271.

3 Corporis Hist. Byzantinae nova Appendix, opera Georgii Pisidae, Theodosii Diaconi, et Corippi Africani Grammatici complectens. Romae 1777. fol. p. 18.

Digitized by Google

et omne vas Eccl. Habet insuper viduatas Episcopo Ecclesias suae sollicitudini commendatas, sicut et sacra quaeque ad eas spectantia. Assidet praeterea judiciis, (quae in Tribunali in interiori vestibulo *Diaconici* exercebat,) *et jura, quoslibetque census Eccl. obvenientes in Clericorum utilitatem asservat, donec inter se illos distribuant. Sed quum plures tunc essent in Eccl. Sophiana* Scevophylaces, IV. *enim erant ex ipsius Heraclii praescripto Presbyteri, Diaconi* VI, *Lectores* II, *non admodum facile quis concedet, Georgium nostrum inter eos, qui eadem dignitate donati essent, primas tenuisse, et M.* Scevophylacem *a nobis nullo bono jure vocari contendet.*

Ceterum, etsi [1] Heraclius definierit *Scevophylaces Presbyteros* IV, *Diaconos* VI, tamen frequentius *Presbyteros* hac dignitate, quae maximi momenti reputabatur, ornatos fuisse haud diffitebor. Nam in Synodo Mopsuestena, cujus acta relata sunt in Conc. v. Generali [2], *Scevophylaci* cuidam injungitur, *ut promat dyptica sacra Ecclesiae*. Atque hunc *Presbyterum* fuisse constat, aeque ac alterum, de quo sermo fit in collatione Catholicorum cum Severianis sub Justiniano. Adde acta Conc. Chalcedonensis, ubi legitur [3]. *Memnon Presbyter, et Sacrorum vasorum* Scevophylax *custos dixit*. Item Theodorus Lector [4] Macedonium quemdam CP. Eccl. Presbyterum, et *Scevophylacem* ad Episcopatum ab Imperatore evectum fuisse narrat. Codex membranaceus Bibl. Benedictinorum B. Mariae Florentiae, qui continet libros v. historiarum Polybii [5], *absolutus est manu Stephani Hieromonachi, et* Scevophylacis, *seu Thesaurarii venerandi Prodromi benedictae Petrae, mensis Octobris die* II. *Indict.* 10. *anno* 6925. *Christi* 1417. Praeterea *SS. Dionysius*

1 apud Gretserum in Codini Curopalatae lib. II. p. 138. 2 act. v.
3 an. CCCCLI. p. 151. 4 l. II. p. 559.
5 ap. Montf. in Palaeograph. Graec. p. 77.

Digitized by Google

Presbyter, et Vasorum Custos SS. Ascalonitarum Eccl. occurrit in Joh. Moschi Prato spirituali apud Cotelerium [1], ubi semel, atque iterum [2], *Timothaei Presbyteri SS. magnae Eccl. Cpolis, et vasorum Custodis purissimae Deiparae in Chalcopratiis* fit mentio, qui scripsit ad Joh. *Presbyterum*, et *Scevophylacem* S. Deiparae in Chalcoprateis librum [3], *de differentia eorum, qui adcedunt ad purissimam nostram fidem, seu de variis Haereticis, eorumque in Ecclesiam recipiendi formulis*. Item legitur [4], quod *Anastasius videre valde desiderabat Arsenium, cujus fidei credita erat custodia sacrorum vasorum S. Resurrectionis*. Sic Georgius Perdiccas *Scevophylax Imperatorii Cleri* interfuit Pseudosynodo CP. Palamitarum an. MCCCXLIII, una cum Theodoro Perdicca, magnae Eccles. CP. a supplicationibus. Joh. Cantacuzenus unum ex iis fortasse nominat, ubi narrat [5]. *Imperator duobus Episcopis selectis ..... totidemque aliis de Cleri Byzantini Principibus, Cabasila nempe sacrarum aedium, et* Perdicca *Sacrorum vasorum Praefectis, eos in Monasterium Mamantis Martyris ad Patriarcham mittit*.

Quum vero ille idem, qui sacra *cimelia* custodiebat libros quoque liturgicos adservaret, hinc quandoque etiam *Chartophylax*, seu *Custos Archivorum* vocabatur, ut Joh. Morinus [6], Suicerus [7], et Ger. Henr. Goetzius [8] de Eulampio, ad quem Photius scripsit, atque utroque titulo appella-

1 ie Monum. Graec. T. I. p 437.

2 T. III. p. 377. et p. 420.

3 Latine in prioribus Bibl. PP. editionibus. Graece inter Joh. Meursii varia divina. Lugd. Bat. 1619. 4 et apud Combefis. in auct. Nov. T. II. V. Bibl. ritualem Fr. Ant. Zaccaria in T. III. p. 27.

4 in Monum. Graec. T. I. p. 248.

5 Hist. lib. IV. p. 857.

6 Exercitatio de IV. antiquis dignitat. quibus jurisdictio ab Eccles. tributa est, Archipresbyteris, Archidiaconis, Oeconomis, Defensor. secundum Graecos, et Latinos, atque etiam de Graecor. Chartophylace. in Comment. de sacr. Eccl. Ordin. pag. 213.

7 T. II. Thes. Eccl. p. 272.

8 de Chartophylacibus veteris Eccles. in ejusd. miscell. Histor. crit. c. I. Vit. 1658.

vit, scite animadverterunt. Porro Janningus [1] edidit encomium S. Luciliani, et Soc. MM. Byzantii, auctore *Photio Scevophylace*, et *Logotheta*. Atque, ut mittam, quae de Palatina *Chartophylacis* dignitate tradunt Paullus Diaconus [2], et veteres inscriptiones [3], sic Anastasius ecclesiasticum ejusdem munus describit [4]. *Chartophylax interpretatur chartarum custos. Fungitur autem officio* Chartophylax *apud Eccl. CP., quo Bibliothecarius apud Romanos*. Et sane libros Eccl. *Chartophylacis* curae traditos fuisse probant acta Synodi vI, [5], quae libros repositos fuisse declarant ἐν χαρτοφυλακίῳ τοῦ πατριαρχείου, quod in vII. Synodo appellatur [6] βιβλιοθήκη τοῦ εὐαγοῦς πατριαρχείου. Nam Gregorius M. Archivum [7] *Chartophylacium* nuncupavit, quod etiam *Chartarium*, *Chartalium*, *Chartophylactum*, *Chartularium*, *Chartilogium*, et *Regestum* appellatum fuit [8]. Gregorii *Chartophylacis* meminit Ioh. Cantacuzenus [9]; et Theophanes Chronographus [10] memorat *Constantinum M. Eccl. Chartophylacem*, Irenes ad Abimelech Legatum, ac vices recenset *Davidis Hormisdarum Palatii Chartophylacis*, qui interfectus occubuit [11]. Exstant Nicephori *Carthophylacis* epistolae II. ad Theodosium Monachum *de ligandi, et solvendi potestate*, a Ioh. Oecolampadio latine redditae [12]. Combefisius [13] edidit opera Georgii Eccles. CP. *Chartophylacis*, deinde

1 in T. I. Junii Bolland. p. 274. ex ms. Bibl. Vat. graece, cum versione latina, commentario, et notis.

2 l. xvII. Hist. Misc. p. 528. post Theoph.

3 apud Gruterum p. 587. n. II. Ducang., et Gutherum de offic. Dom. Aug. l. II. c. xxI, et in T. III. Thes. Sallengre p. 510.

4 ad vIII. Synod. act. II.

5 Act. I. pag. 17. et act. XIII. pag. 152. edit. 1618.

6 act. I. p. 486.

7 lib. vII. epist. cxxvIII.

8 V. Hier. Fabrum in Mem. Ravennat. P. I. p. 9. et 10. Maffei Istoria diplomat. Mantova 1727. 4. p. 97.

9 p. 155. 10 p. 399. 11 p. 247.

12 Basileae 1518. 4. et in Micropresbytico. Basil. 1550. fol. p. 129. et inter monum. PP. orthodoxographa, ibid. p. 1569. fol. p. 858. T. I. et in Bibl. PP. Lugd. T. XII. pag. 526.

13 T. I. Auct. nov. Gr. lat. Bibl. PP.

Digitized by Google

Arch. Nicomediensis ; et Cotelerius [1] publici juris fecit epistolam ad Antiochenos de jejunio conscriptam a Theodoro Balsamone M. E. CP. Diacono , *Nomophylace* , et *Chartophylace* , primo Blachernarum , sive aedis B. Virginis , quam extra Vrbis muros ad Blachernas prope mare condidit Pulcheria Augusta , Praeposito . Atque hinc a Guil. Cave ingens illa sua Scriptorum Ecclesiasticorum collectio [2], cui deinde Paralipomena Paullus Colomesius [3] adjecit , *Chartophylax Ecclesiasticus* inscripta fuit .

Ceterum ad *Chartophylacis* Constantinopolitani munus non modo Archivi administratio spectabat , verum etiam judex erat omnium matrimonialium , aliarumque omnium caussarum , quae inter Clericos verterentur . Itaque *dextra Patriarchae manus* appellabatur , et Patriarchalis Cardinalis . Magno enim Concilio praeerat ; neque ullaé Patriachae sententiae ratae habebantur , nisi *Chartophylacis* subscriptione , et sigillo munitae , ac roboratae , quod etiam *Bullatorium* dicebatur , et collo appensum ferebat , ut auctor est Balsamon , qui ait . *Patriarchale sigillum pendebat e pectore* Chartophylacis , *ut erat consuetum* . Idem aurea tiara in SS. Notariorum supplicatione utebatur ; isque unus Patriarchali equo uti poterat . Praeterea absque ejus venia , et approbatione, nemo sive Praesul , sive Clericus , aut ecclesiastico conventui admissus , nemo ad Praesulatus , seu Monasteriorum Praeposituras , aut ad Ordines provectus , ac nullius epistola unquam a Patriarcha recepta . Quae quidem omnia adeo ad *Chartophylacem* pertinebant , ut Ioh. Episcopus Citri [4] affirmare non dubitaverit , haec munera alteri demandare nec

1 T. II. monum. Eccl. Gr. p. 492.

2 Londini 1685. 8.

3 Lipsiae 1687. 8. et Londini editio II. aucta eodem anno .

4 in respons. ad Constantin. Cabasilum Dyrrachii Episc.

gggg

ipsi [1] Antistiti licuisse. Ejusdem munia, ut alia praeteream testimonia, paucis ita complectitur Codinus [2]. *Custos chartarum induitur, et stat ad sacras januas, pronunciatque in sacrosancta Communione verba haec.* Sacerdotes accedite. *Offert Archiepiscopis suffragium Episcopi. Adest etiam in omnibus judiciis, decernens ex persona Patriarchae. Sub eodem etiam, dato Arrhabone, initorum sponsalium curam habet, et nomen Sacerdotis, qui nuptiis benedictionem impertiri debet, scribit.*

Quae quum ita sint, nescio, cur Georgius, qui de variis nominibus, quibus sacri Ministerii Praefecti designabantur, disserere professus est [3], ne verbum quidem de *Scevophylace*, et *Chartophylace*, faciendum duxerit.

C A P V T XI.

De Cimeliarchiis.

Jam vero ad alteram *Diaconicorum* denominationem, de qua nos dicturos recepimus, gradum facimus. Hic idem nempe locus Κειμηλιαρχεῖον interdum quoque vocabatur. Quod quidem vocabulum statim indicat locum, ubi reponebantur cimelia, quique a Latinis *Sacrorum vasorum Aerarium* dicebatur, seu locus, ut vertit Rocca, *ubi res pretiosae, et in deliciis habitae recondebantur*. Quidquid enim in supellectile pretiosius erat, *cimelium* vocabant. Plura hujusce usus dabit exempla Anastasius in vitis Pon-

1 Pachimeres lib. III. c. XXIV. Balsamon in Melet. de Chartophyl. contra Proteptícum, et ad Photii Nomocanonem Tit. 8. c. 1, et alibi passim. Meursius in Glossario. Gretserus ad Codinum. Goarus ad Euchologium Graecorum. Ducangius. Macri. Albertinus Barisonus de Archivis in T. I. Thes. Poleni p. 1119.

2 De Chartophylace, seu de Chartarum Cust. p. 313, et apud Pachimerem p. 150.

3 Tom. I. Liturg. Romani Pontificis p. XXXIX.

Digitized by Google

tificum; quippe qui Honorium *renovasse* scripsit [1] *omnem* cimeliam, *et* cimelia *aurea, et argentea condonasse*. Praeterea in S. Vitaliano ait [2]. *Sed et vasa sacrata, vel* Cimilia *sanctarum Dei Ecclesiarum tollentes, nihil dimiserunt*. Et in Severino [3]. *Sigillaverunt omne Vestiarium Eccl., seu* Cimilia *Episc.* Item in Adriano I. [4] *Eccl. B. Petri, et Paulli exornare fecit ejus Sanctitas, et cuncta eorum* cimelia, *et ornatus in hanc civitatem Roman. introduxit*. Atque alibi passim [5]. Non absimile est, quod habet Conc. Chalcedonense. *Episcopus habens vasa argentea sacrata usque ad libras* cc., *poculum gemmatum, quod donatum erat Eccl., non reposuit inter* Cemelia. Sic Eusebius [6] narrat, Constantinum Templa *Cemeliis argenti, et auri, et velis variis ornasse*. Quod et de Constantio Imper. tradidit Chronicon Alexandrinum. *Donaria multa, et* Cemelia *aurea, et argentea, ingentia, gemmata, auro tectas pallas Altaris Sancti obtulit*. Atque in hanc rem Socrates memoriae tradidit, quod [7] *discos, pocula, multa* cemelia, *aurea, et argentea, quae ex gratitudine, et benevolentia eorum pertinent, Ecclesia possidet*. Eodem vocabulo usus est Adam Bremensis, ubi ait [8]. *B. vero Remigii* Cimilia *cum ingenti honore servavit Bremae*. Idem leges apud Arnulphum [9]. *Praecipue in thesauris, et* Cimiliis *omnibus, quibus incomparabiliter affluebat*. Adde Paullum Warnefridum [10], Prudentium, Paullinum, aliosque, ubi egimus de *Thesaurario*, memoratos.

Itaque *Secretarium principale*, uti glossae loquuntur [11], ubi sacra vasa, ac pretiosior Templi gaza servabantur,

1 T. I. p. 243.
2 T. I. p. 269.
3 T. I. p. 249.
4 T. II. p. 180.
5 in Sergio num. XIII. T. I. p. 302. in Leo. III. T. II. p. 303.
6 lib. III.
7 lib. VII. cap. II.
8 cap. XV.
9 in Hist. Mediol. apud Murator. T. IV. pag. 9. col. 1.
10 lib. V. Hist. Longobard. c. XI.
11 l. XX. cod. de agric. in Nov. LXX. c. IV.

Cimeliarchium persaepe dicebatur. Profecto Gregor. M. in Epist. ad Theodorum Episc. Lilybitanum monet [1], ut *res, quae apud eum*, (scilicet Paullum olim Episc. in Monast. ob scelera contrusum) *inventae sunt, in* Cimeliarchio *Eccl. suae servare modis omnibus studeat*. Atque alibi ejusdem loci ita meminit [2]. *De sex vero Centenariis, qui in* Cemeliarchio *Ravennati Eccl. fuerant commendata, sicut vestra testatur epistola, ab Excell. Exarcho in quotidiana militum praefectura sunt mutuati*. Praeteream verba Gregorii II. ad Leonem Isaurum in vII. Synodo. Item Leontius Episcopus, in vita S. Ioh. Eleemosynarii Patriarchae Alexandrini in Aegypto, scriptum reliquit [3]. *Veniens in honorabile* Cimeliarchium *misit statim fere* xx. *hebdomadarios quaerentes jam dictum mali modi clericum*. Ac paullo infra [4]. *Consedente eo una dierum in honorabili* Cimeliarchio *cum quibusdam Clericis, et sermonem animae utilem movente*. Paria sunt illa, quae in Cod. Justiniani legimus [5]. *In* Cimeliarchio *S. Eccl. illius civitatis*. Atque alibi [6]. *Iidem redditus deponantur in aede sacra, vel in* Cimeliarchio *civitatis*. Ac demum, ne diutius in hac voce expendenda, quae satis per se loquitur, immoremur, *Cimeliarchium* idem esse, ac *Diaconicum*, et *Scevophylacium*, in historia passionis SS. xx. MM. aperte vidimus [7].

1 lib. I. epist. cxxx. lib. II. Ind. xI.

2 epist. XLIX. lib. x.

3 in T. II. Januar. Bolland. p. 503, et apud Surium die 23. Januar.

4 ibid. p. 514. p. 385.

5 lib. vII. tit. LXXII. leg. ult.

6 Ibid. l. xI. tit. XLVII. l. xIx.

7 p. 248.

CAPVT XII.

De Cimeliarcha, Chimiliarcho, Cimeliophylace, Kimiliarche, Crisonphylace, Naophylace, Hierophylace, et Canstrisio.

Qui *Scevophylacii* custodes, *Scevophylaces* denominabant, *Cimeliarchii* Praefectos, *Cimeliarchae* nomine, aut aliis huic ferme geminis designabant. Quum enim cautum in Ecclesia semper fuerit, ne sacra supellex domi, aut a profanis hominibus, sed in aede sacra, et a sacris Ministris diligenter, ac fide servaretur, hinc ejusdem custos *Cimeliarcha* vocabatur, quod idem est, ac *thesauri, et cimeliorum custos*, a κειμήλιον *supellex pretiosa*, quae magna cura reponitur, et asservatur, et ἄρχω *prior sum*. Hinc pro ipso Oeconomo indicando hoc vocabulo leges utuntur, ubi habent [1], *Viros reverendissimos Oeconomos, vel* Cimeliarchas *S. Ecclesiae, in qua pecuniae deponuntur*. Ac paullo infra. *Praesentibus non tantum Tabulariis, sed reverendissimo* Cimeliarcha, *apud quem superfluae pecuniae deponendae sunt*. Collationi, quae sub Justiniani principatu facta est Cpoli anno DXXXIII, subscripsit [2] *vir venerabilis Eusebius Presbyter, et* Cimiliarcha *SS. majoris Eccles.* In Chalcedonensi Conc. [3] Κειμηλιοφύλαξ occurrit, et de *Davide Diacono* fit mentio [4] ἀπὸ κειμηλιοφυλάκων *ex custodibus vasorum sacrorum*. Praeterea apud Andream Floriacensem in lib. IV. miraculorum S. Benedicti laudatur [5] *Helgaudus ab ipsis cunis ejusdem S. Sedis monachus, et* Chimiliarchus, *sanctorumque ossium custos, ac provisor*. Item in legibus Justinianeis [6], ubi sermo fit de dignitate illius, qui res

1 Cod. de bonis, aut jud. I. cum apud
2 T. xI. Concil. p. 1160.
3 Act. x. p. 648. T. IV. Concil.
4 ibid. p. 653.
5 in T. I. Gloss. Carpentier p. 943.
6 Novel. xI. et l. x. ſ. Sin autem de bon.

pretiosas, atque etiam Eccl. pecuniam custodit, *custos sacrae supellectilis*, persaepe *Cimeliarcha* nuncupatur. Sic in actis Synodi Mopsuestenae [1], *Ioh. Presbyter*, et *Cimeliarcha* semel, atque iterum nominatur. Accipe locum insigniorem ejusdem Synodi habitae anno DL, cujus haec sunt verba [2]. *SS. Episcopi dixerunt. Reverendissimus sacrorum custos vasorum ipsius SS. Eccl. afferat ad considerationem nobis, et recitationem hujus sacra dypticha, in quibus S. memoriae Sacerdotum istius optimae civitatis scripta continentur vocabula.* Joh. Presbyter, et Cimiliarcha *dixit*, *secundum jussionem vestrae Sanctitatis inter* sacra vasa, *quae a me servantur, habentes dyptica ista protuli, et ad recitationem porrigo*. Praeterea legimus apud Evagrium [3], *Anastasium Imp. confessionem fidei deposuisse apud Macedonium, cui custodia credita erat venerandorum cimeliorum*, et apud Sozomenum [4], Juliani aevo, Theodorum Antiochiae Presbyterum φύλακα τῶν κειμηλίων Juliani aevo interfectum fuisse, quod vasa custodiae suae credita persequutoribus tradere recusaverit. Hinc a Graecis ad Latinos manavit usus, sacrorum vasorum custodes *Cimeliarchas*, seu *Custodes sacrorum cimeliorum* vocare. Celebris est ille Tertulliani locus [5]. *Pastor, quem in calice depingitis, S. Laurentius, custos erat Cemelii*. Quemque iccirco S. Leo *immaculatum Sacrarii Praesulem appellat*. Verum in illustrioribus Italiae Ecclesiis vel ipsum *Cemeliarchae* nomen jamdiu in usu fuisse scimus. Vetera enim acta Eccl. Mediolanensis duos ibidem *Cemeliarchas* fuisse testantur, alterum in Metropolitana S. M. Majoris, alterum in Ambrosiana. Ad hunc vero in primis spectabat, ut tradit Puricellus [6]

auct. jud possid. Cod. lib. vII, et l. XLI. Cod. de Sacros Eccl.

1 T. v. Conc. p. 495.

2 ibid. p. 494.

3 lib. III. c. xxIII.

4 lib. v. c. vIII.

5 lib. de pudicitia c. xx.

6 p. 791.

tenere claves ornamentorum, et palliorum Eccl. S. Ambrosii, et librorum, et planetarum, et ornamentorum, maxime Canonicorum, et imperare custodibus, ut occludant, et aperiant Ecclesiam, et recipere ducenas libras olei, quas dat D. Archiep., et libras XXIV. *cerae, et libras duas incensi, quam ceram, et incensum dat similiter in anno D. Archiep., et facere ornare Eccl., et Altaria S. Ambrosii diebus congruentibus, et aperire, vel facere aperiri Altare* (majus scilicet, et aureum) *vel per se, vel per nuncium suum, et recipere oblationes, quae fiunt in Eccl., et dividere per Canonicos, et assignare, sicut tenetur*. Porro apud eumdem Puricellum in vita S. Simpliciani Episc. Mediolanensis [1] legitur, quod *addidit magistros cum octo pueris Eccl. Mediolanensis, necnon octo Lectores minores cum Schola S. Ambrosii, et cum* Cimiliarcha, *numero xx. inter masculos, et feminas, ad munus offerendum in persona totius populi*. Hic idem *Cimeliarcha* quandoque dictus fuit *custos thesaurorum* D. Ambrosii, ut produnt literae Paulli Sacerdotis, et Gebehardi Virorum religiosorum Eccl. Ratisponensis anno MXXIV [2], *ad Martinum Presbyterum, et thesaurorum S. Ambrosii Custodem* inscriptas. Verum *Ardericus Vicedominus, et* Cimeliarcha *Eccles. Mediolanensis* [3] subscripsit anno MCXLI. definitioni factae, a Roboaldo Mediolanensi Archiepisc. de controversiis inter Bergomates Canonicos S. Vincentii, et S. Alexandri, et Algisius Pirovanus *Cimeliarcha* nominatur anno MCLXXII. apud Corium in hist. Mediolanensi. De hoc illustri munere loquitur Panvinius [4], qui nonnullos e *Cimeliarchis* Eccl. Mediolanensis ad Cathedram Archiepiscopalem evectos recenset.

1 in T. III. Aug. Bolland. p. 582.
2 in T. I. Mus. Ital. Mabill. P. II. p. 95.
3 apud Vghell. T. IV. p. 656.
4 in Chr. Eccl. an. MCLXXII. et MCCIL.

Suos etiam *Cimeliarchas* habuit Ecclesia Bergomensis: Nam Adalbertus Antistes anno CMXXIX. *Cimeliarchae S. Vincentii* [1] curandum decrevit, *ut arderet perpetuo lampas ante Altare SS. Trinitatis*. Frequentior autem in Eccl. Neapolitanae monumentis [2], *Cimeliarchae* occurrit mentio, quem Macer [3] animadvertit habuisse privilegium deferendi baculum in celebrationibus divinorum officiorum, et in pompis sollemnibus. Quum enim Neapolis Graecorum olim fuerit Colonia, et graecas huc usque denominationes tenacissime retinuerit, iccirco putat Vincentius Riccardus [4], *Cimeliarchae* titulum, sacrorum vasorum Custodi libentius ibidem tributum fuisse. Et sane *Iohannes Archipresbyter, et* Cimeliarcha *S. Neapolit. Eccl.* [5] subscripsit literis Sergii Neapolitani Archiep. datis an. MCLXXXIII, ac rursus definitioni ejusdem Sergii anno MCLXXXIII. Exstant praeterea Epistolae [6] Petri, et Ayglerii Archiepiscoporum ejusdem Eccl. ab Aegidio, et Petro *Cimeliarchis* subscriptae, itemque epistolae [7] Anselmi Archiep. Neapolitani *Aegidio Cimeliarchae*, et *Clericis Congregationis Salvatoris*, et Petri Archiep. Neap. electi *Cimeliarchae, et Fratribus Congregationis S. Salvatoris*. Item Henschenius in lucem protulit vitam S. Joh. Episcopi Neapolitani, auctore Joh. Eccl. Neapolitanae *Cimeliarcha*, ex Cod. MSS. ejusdem Eccl. [8].

Denique haec eadem vox feminino genere usurpata occurrit in Annalibus Benedictinis, ubi exhibetur [9] *epistola ad Hazecham Sanctimonialem, Vrbis Quidilmae Kimiliarchen*. Alia duo hujus officii nomina inter se ferme si-

1 apud Vghellium. T. IV. p. 616.
2 Pyrrhus in T. I. Siciliae Sacrae p. 493. Sarnelli In Basilicogr. p. 108.
3 in Hierolexico p. 139.
4 in Comment ad Orat. I. S. Procli p. 80.
5 apud Vghell. T. VI. p. 148.
6 Ibid. p. 162. 170. 174.
7 ibid. p. 156. et 159.
8 In T. I. Aprilis p. 34.
9 T. IV. p. 21. num. I.

milia exhibent hist. miraculorum S. Maurilii Episc. Andegavensis, et S. Gaugerii Episcopi Cameracensis, quorum prima haec narrat [1]. *Aderat cum Praesule supradicto* Chrisonphilax *Thesaurarius, cum aliis Officialibus clientibus*. In altera vero legimus [2]. *Vir Domini Gaugericus a somno Custodem Eccl. Bandegisilum excitavit. Ad haec* Naophylax *properato consurgens*.

Huc etiam trahenda est altera *Hierophylacis* denominatio. Nam ut *Sacristias* a Syn. Valentina *Hierophylacia* nuncupatas fuisse, jam supra [3] animadvertimus, ita et ἱεροφύλαξ, nimirum sacrarum rerum custos, *Sacrista* appellatus fuit [4]. Sic etiam ἱερομνήμων Diaconale munus dicebatur in Eccl. CP. [5], cujus erat Patriarcham Pontificalibus vestibus induere, preces in libro indicare, in Throno locum electis, ac consecratis adsignare, et contacium orditionis consuetum praecinere. Altero vero nomine ille idem, qui sacra Patriarchae paramenta custodiebat, eique ad ea suscipienda praesto erat, turibulum deferebat, populumque aqua rite piata lustrabat, Κανστρήσιος vocabatur [6]. Quod quidem nomen a graeca voce Κάνστρον, id est *turis acerra*, nonnulli ortum putant, alii vero a Κάνεον *Canistrum*, in quo sacras vestes Patriarchae porrigebat.

1 ep.Surium die 12. Sept. p. 134. in T. iv. Septembr. Bolland. pag. 76. et apud Carpentier T. I. p. 1203.

2 T. iI. Aug. p. 642. et apud Carpentier T. iiI. p. 5.

3 pag. 433.

4 in Macri Hierolexico.

5 apud Hoffmennum in Lexico universali, et Ducangium in utroque Gloss.

6 in Macri Hierolexico.

CAPVT XIII.

De Mesatorio, Mitatorio, Mitatoricio, et Mutatorio.

Multiplex *Diaconicorum* usus multiplices itidem iis denominationes induxit, quae adeo eruditorum ingenia exercuerunt, ut de singulis eorum vocabulis acriter inter se dissidere coacti sint. Verumtamen nullum aliud eos ita defatigavit, quam illud *Mitatorii*, cujus vim, et significationem explorare aggredior.

Jac. Goarus in suis adnotationibus ad *Euchologium*, *Metatorium* opinatur fuisse cubiculum ad latus Altaris, mensis instruendis opportunum, ubi mensa frugalis identidem apponebatur fessis a labore Cantoribus, et Ministris; ac proinde *Minsatorium* a *μίνσος mensa* scribi, et dici oportere contendit. Goari sententiam amplexari videtur Allatius [1], *Secretariorum* non solum usui, sed etiam nominibus fere semper infensus. Bulengerus [2], cui de la Cerda [3] subscripsit, *Metatorium* fuisse putavit locum, ubi peregrini ab Episcopo excipiebantur, quemque alio nomine *Aspasticum*, seu *Salutatorium* dictum fuisse docet, ac in Episcopalium aedium vestibulo situm, ubi hospitium advenis praebebatur. Ducangius [4] a *metato* originem deduxisse arbitratur; quo quidem vocabulo aedem, et domicilium latini Scriptores designabant [5]. Interdum etiam

1 de Templis Graecor.

2 in System. Opusc. c. xv. p. 78.

3 in Adversar. c. xxxI. p. 27.

4 in Paull. Silentiar. p. 595.

5 Gregorius Turonensis. lib. III. Hist. cap. vII. lib. v. cap. xix. XL. lib. vII. c. vI. xxix. lib. vIII. c. II. XLIV. lib. ix. c. vI. l. x. c. LV. de Mirac. l. I. c. XLIV. lib. II. cap. xxI. xxiv. lib. II. de Miracul. S. Martini c. xI. lib. iv. cap. xxI. de Vitis Patrum c. vIII. Anonymus in vita S. Stephani Abb. Obazinensis. n. iv. in T. III. Septemb. Bolland. p. 175., et S. Machutis Episc. Macloviensis. cap. xiv. in Bibliotb. Floriac. Ioh. a Bosco. Lugd. 1605. p. 485. apud Surium d. 15. Nov. pag. 349, et in

pro universo domus ambitu sumebatur, ut videre est in diplomate Stephani III. ann. DCCLV, ubi legitur [1]. *Igitur quia petistis a nobis, quatenus .... domum positam juxta Monasterium B. Martini cum inferioribus, et superioribus suis cum* metatu *suo, et horticello .... vobis ad tempus emissa praeceptione concedere deberemus*. Frequentius vero hoc vocabulo stationem indicabant, ubi hospitium publice dabatur iis, qui publicorum negotiorum caussa iter conficiebant, uti liquet ex lege civili [2], ubi, ut apud alios scriptores [3], *metati* vocabulum hac significatione frequenter occurrit. Hinc Sidonius [4] *metatoriam paginam* vocavit epistolam, quam parandi hospitii caussa, quasi *metandis* castris, ad amicum, quum ad eum properaret, praemiserat. Xylander in notis ad Cedrenum ingenue fatetur, veram hujusce vocis notionem se nunquam assequi potuisse, sibique nihilominus persuasit, quamdam quasi profanam Templorum partem *Mitatorium* fuisse, quô iis etiam pateret accessus, qui a sacrorum usu arcerentur. Suicerus [5] *Mitatorium* idem, ac *Diaconicum* esse putat, sed cum Goaro suspicatur, corruptum *Misatorii* vocabulum a *Minsatorio*, seu *mensa*, quam tamen rectius ipse non ad cibos, sed ad res alias in usum rei Liturgicae reponendas erectam esse existimat. Binghamus [6] vero, haud difficulter adducitur, ut credat, Musculi conjecturam cete-

Actis SS. Ord. Bened. Secul. I. pag. 217. Aimoin. de vita S. Abbonis Floriacensis. c. xx. l. II. Hist. c. al. apud Surium d. 13. Nov. p. 322. in Actis SS. Ord. Bened. Sec. vI. P. 1. pag. 30, et in Pithoei Scriptor. Hist. Francor. pag. 526. Francof. 1594. Flodoardus. l. I. c. xx. l. II. c. III. l. IV. c. x.

1 apud Felibian. Hist. S. Dionys. p. xxvIII. et in T. I. Bull. Vatic. p. 12.

2 in Nov. Theodosii de Metatis, et in Cod. Just. eod. tit.

3 S. Gregorius M. l. vII. Ind. epist. CIX. S. Athanasius. de Imag. Berytensi. Passio S. Basilei Episc. Amasaei. n. vIII. aliique a Meursio laudati in Gloss.

4 lib. vIII. ep. xI.

5 in Thesauro voce *μετατώριον*.

6 T. III. p. 267.

ris esse anteferendam, qui *Mitatorium* pro latina voce *Mutatorio* prave lectum, ac pronuntiatum esse conjecit, quae *apodyterium*, seu *vestiarium* significavit, ubi Clerici, ac Sacerdotes habitum suum mutant.

Porro fuit locus in prima regione Vrbis a Sexto Rufo, et Publio Victore indicatus, qui *Mutatorium Caesaris* vulgo dicebatur. ac imperite *Imitarium Caesaris* ab Anonymo appellatur apud Montfauconium [1], qui *in clivo sub hodierna S. Balbina situm* fuisse censuit [2]. Quidam [3] vero, etsi putant fuisse privatas aedes ad secessum, et delicias, quas pro anni tempore mutaret Caesar, alii tamen [4] pro loco accipiunt, ubi Caesar profecturus ad bellum, togam paludamento mutaret, et saga militibus distribueret. Atque ita explicandam censent veterem inscriptionem apud Gudium [5]

C. IVLIO . PSEBIO . C. L.
PROCVR. MVTATORII CAESARIS.

Sed, ut profanos Scriptores praeteream, Tertullianus memorat [6] *mutatorium indumentum*; ac pro vestium mutatione *mutatorii* vocem absolute adhibitam fuisse probant vitae S. Ysarnii Abbatis S. Victoris, et S. Ludovici Regis. In illa enim scriptum est [7], *captivos omnes, si adhuc forte non transierint, balneis, et dapibus recreatos, novis* mutatoriis *decoratos absque ullo dolo reddi jubent*. In altera legimus [8]. *Piam etiam fraudem adhibuit, qua plures ad crucem sumendam induceret*. Hanc ita commemorat Mat-

1 in Diario Italico p. 159. 294.
2 ibid. p. 301.
3 Albertinus de mirab. nov. et vet. Vrb.
4 Bellor. Fragment. Vet. Rom. tab. xI. et in T. iv. Thes. Graevii p. 15.
5 p. 199. n. vII.
6 de resurrect. Carn. c. LVI.
7 Tom. vI. Septemb. Bolland. die xxiv. p. 748.
8 T. v. Aug. Bolland. d. xxv. p. 391.

thaeus Parisius [1]. *Appropinquante vero, et imminente praeclarae Dominicae Nativitatis festivitate, qua* mutatoria *recentia, quae vulgariter novas robas appellamus, Magnates suis domesticis distribuere consueverunt*. Ita, ut Poſsinus animadvertit [2], *Vestimenta quaedam insigniora comparata potius ad speciem, quam ad vulgarem usum, mutatoria* S. Hieronymus interpretatur [3]. Ceterum vel ipsam Suiceri opinionem, qui una cum Ducangio [4], Beveregio [5], et Macro [6] *Metatorium* pro *Diaconico* accepit, rectam esse demonstrant memorata [7] Euchologii verba, quae sunt hujusmodi. *Descendit SS. Patriarcha in* Mesatorium, *sive* Diaconicum, *et egreditur in S. Altare, sive bema dextra parte*. Verum haud satis intelligo, cur Ducangio in mentem venerit, Goarum coarguere, quod Euchologii verba de *majori Diaconico* interpretanda esse duxerit, quum ibidem concham *Bematis* dumtaxat designatam esse contendat. Atqui, si ex aliquo loco erui potest, *Diaconicum majus* ab altero *bematis* sejunctum esse, ac distinctum, hic certe, mea quidem sententia, quam qui maxime, comprobare videtur. Siquidem ibi cernimus, Patriarcham *Diaconicum* prius ingressum, ex eo egredi, et per dextram Templi partem Altare versus iter peragere, quousque haud modicam soleae viam, quae a *Diaconico* usque ad Altare intercedebat, metiretur. Illud certe inficiari nemo poterit, non minus Euchologii verba *Diaconicum*, de quo loquimur, ab Altari separatum, ac dissitum ostendere, quam supra allatum [8] Symeonis locum de Episcopi consecratione, ubi Episcopo ad *Bema* progredienti a

1 p. 463.

2 ad Pach. lib. c. 2. p. 459.

3 ex IV. Reg. v. 5, et 22. Isaiae III. 22, et Zachariae III. 4.

4 loc. cit. p. 594.

5 T. II. Synod. M. p. 96.

6 in Hierol. p. 57.

7 p. 542.

8 ibid.

Diaconico, quod extra aedem situm erat, per soleam transeundum esse colligitur. Et sane Cedrenus, ut jam innuimus [1], in vita Leonis Imperatoris Basilii Macedonis filii inquit. *Imperatori Patriarcha introitu Templi interdicebat, quamobrem per dextram partem in* Mitatorium *intrabat*. Et paucis interjectis. *Publice in magnam Eccl. progrediente, et in* Mitatorium *veniente*. Eadem legas apud Leonem Grammat. de S. Nicolao CP.Patriarcha [2]. *Eamdem vero Zoem declaravit Augustam Imperator, quam ea propter Eccl. liminibus Patriarcha prohibuit, ut exinde pariter dextra Eccl. parte, via consueta penitus relicta, ad* Mitatoricium *usque pertransiret.*

Verum CC. interpretes Constantini Porphyrogennetae [3] plures fuisse locos opinantur, qui *Mitatorii* nomen obtinerent. Ac primo inquiunt, *Mitatorium* reperiri, ubi erat *Cyclium*, seu minor concha *absidis* ex parte australi, idemque Sacerdotum usui unice destinatum. Alterum vero *Mitatorium* Imperatori, et Proceribus assignatum supra Narthecem fuisse contendunt. Id enim ex eo argumentantur, quod in *Metatorium* duplicem aditum fuisse putant, alterum versus Orientem e Cyclio, per quem veniens Imperator e Tribuna eô se conferebat, alterum versus Occasum, per quem e Narthece, et Nao *Metatorium* ingrediebatur. Quod quidem confirmant Cedreni auctoritate, qui de Leone Imp. scripsit, *devitata Tribuna, eaque non calcata*.

Praeterea Reiskius his non contentus, tria exstitisse docet in sacris aedibus cubicula inter se contigua, ac propterea saepe inter se confusa, quae Imperatorum usibus dicata, *Mitatorii* nomine veniebant. Praeter enim triclinium, ubi Imperator meditationi, aut sacrorum libro-

1 pag. 546. 2 in Chronogr. p. 483. et in T. III. Maii Boll. p. 510. 3 p. 85.

Digitized by Google

rum lectioni vacabat, aut publicas didascalias ex ambone recitatas audiebat, quodque *Metatorium* appellabatur, ut de eo, quod in aede Sophiana Justinianus excitavit, testatur Anonymus Combefisianus, alterum erat triclinium, ubi Imperator cum Patriarcha, et Proceribus identidem convivabatur. Tertium denique fuisse putat ab aliis seclusum, ubi Imperator sese vestibus induebat, aut etiam cubabat, si forte apud Ecclesiam pernoctare luberet.

Ejusmodi autem, et in hunc finem exstructa fuisse videtur exedra Ecclesiae adjuncta, cujus meminit Anastasius in Gregorio IV. [1] *Fecit etiam juxta Accubita pro quiete Pontificis, ubi post Orationes matutinales, vel Missarum officia ejus valeant membra soporari, hospitium parvum, sed honeste constructum, et picturis decoravit eximiis*. De hoc eodem loco Valesius accipienda esse duxit, quae Theodorus Anagnostes literis consignavit [2]. *Ii, qui insidiabantur Euphemio, persuaserunt cuidam, ut e regione* Metatorii, *districto gladio, caput Euphemii feriret*.

Recte igitur, tametsi, in reddenda hujusce appellationis ratione, tantopere dissentiant Scriptores, Ducangius varios *Metatorii* usus in unum collegit, statuitque [3] *amplum fuisse triclinium, in quo et Imperator diversari, si quando a publicis curis vellet secedere, et pietati vacare, et Diaconi considere, et Synodi peragi, clerici delinquentes includi, sacra Ecclesiae vasa, ministeria, et vestes adservari, atque adeo ipse Aedituus, vel qui Templi conservandi curam habebant, habitare poterant*.

1 T. III. p. 29. 2 lib. I. Eclog. p. 559. 3 in Paull. Silent. p. 595.

Digitized by Google

CAPVT XIIII.

De Gazophylaciis, et Corbane.

Quum nostri instituti ratio postulet, ut omnes denominationes, quibus promiscue *Diaconica* apud veteres appellari consueverint, singillatim, atque ex ordine sint discutiendae, non modo de iis habendus est sermo, quae usitatiores fuerunt, verum etiam de ceteris, quae vel raro sunt usurpatae. Hujusmodi erant *Gazophylacii*, et *Corbanis* vocabula, de quibus nunc disputabimus.

Nemo est, qui ignoret, Hebraeos in mulierum atrio, et in porticu, arcas, seu *Gazophylacia* habuisse, quò quilibet pro sua liberalitate pecunias inferret prope Templi portam, quae a latere Atrii Israelis Aquilonari exstabat, atque iccirco, ut nonnulli observant, *Porta Corban, sive oblationis* vulgo audiebat. Propterea Johannes [1] narrat, Jesum in *Gazophylacio* versatum, dum coram eo fuit adducta mulier in adulterio deprehensa; itemque Marcus [2], ubi refert disputationem a Christo habitam cum Pharisaeis, et Herodianis, tunc ipsum sedisse tradit, *contra* Gazophylacium, *ubi adspiciebat, quomodo turba jactaret aes in* Gazophylacium, quam inter, beatam illam Viduam laudavit, quae illuc duo minuta projecit.

Ex quibus patet, in exteriori Templi parte fuisse situm; quippe ex Rabbinorum sententia apud Ligfoot, feminis vetitum erat, ulterius procedere. Sed varia fuerunt apud Judaeos *Gazophylacia*, ut prodit insignis Zonarae locus, qui haec enarrat [3]. *Romani vicinis aedificiis frustra parci existimantes, ipso Templo ardente, omnibus ignem*

1 cap. VIII. n. XX. 2 c. XII. n. XLI. 3 in Annalib. Paris. 1686. T. I. p. 302.

injecerunt, qui etiam Gazophylacia *comprehendit, in quibus infinita pecuniae multitudo reposita fuit, infinitae pretiosae vestes, et alia ornamenta*. Nam praeter *Gazophylacium* ad populi oblationes recipiendas destinatum, quae partim ad restaurationem Templi, et Atriorum, partim ad ea paranda, quae cultui divino oportebant, erogabantur, alia duo commemorant scriptores apud Hebraeos. Primum scilicet, quod *Musach* [1] appellabant, ab Achaz Rege aedificatum, ubi Reges die Sabbati in Templum ingredientes, oblationes ponebant. Alterum *Corbona* vocabatur, quod stipem Sacerdotibus, et Templi ministris elargitam continebat. Profecto apud Ezechielem legimus ex Hieronymi interpretatione [2]. *Et erat subter* Gazophylacia *haec introitus ab Oriente ingredientium in ea de Atrio exteriori*. Atque alibi. *In latitudine autem parietis Atrii in via Orientali, quae erant ante septum, et quae ante aedificium erant* Gazophylacia. Quorum quidem locorum, quae *Corbonae, cistulae corbanicae, cornua*, et *conclavia* [3] quoque dicebantur, atque erant arculae, seu cistae quaedam coni formam exhibentes, ac proinde etiam *Tubae* appellatae, angustiores superius, inferius dilatatae, explicationem dabunt interpretes, ac praecipue Albertus Menon Verpoortennus [4].

Christiani veteres, aeque ac Judaei, sua habuerunt *Gazophylacia*. Quot vero haec essent, ac quo loco posita, nunc inquirendum. Duo pro populi oblationibus receptacula fuisse constat; alterum extra sacras aedes, quod proprie *Gazophylacium* vocabatur; alterum intra Ec-

1 IV. Reg. 16.

2 42. n. 9.

3 Maim. in Misna Shekalim T. II. edit. Surenhusianae p. 197, et in T. VI. Thes. Hebr. Vgolini pag. 435. IV. 483. V. 1035. VIII. 1218. IX. 660. 664. 663.

4 Diss. de scriptis Ezechielis divini Vatis. In Fasciculo Diss. p. 107. Coburgi 1739. 8.

clesiam, quod *Sacrarii*, sive *Corbonae* nomine distinguebatur. Atque hinc Conc. Chartaginiense IV. praecipue cautum voluit [1], *ne oblationes dissidentium fratrum*, *neque in* Sacrario, *neque in* Gazophylacio *recipiantur*. Cujus quidem Concilii verba de hujusmodi locis interpretanda, recte opinatur Binghamus [2]; qui tacite hinc sententiam nostram confirmavit, duo exstitisse *Secretaria*, unum intra apsidem, alterum extra Ecclesiae ambitum. Oblationes enim, quae primitus tam pro sacrificio conficiendo, quam pro sacrorum ministrorum subsidio conjunctim ad Altare afferebantur, deinde separatae sunt, ut tradunt Rhegino Abbas Prumiensis [3], et Hincmarus Rhemensis [4]. Siquidem eae, quae Cleri beneficio destinatae erant, ante sacrum, aut saltem ante Evangelii lectionem offerebantur, et in distincto loco recondebantur, quem *Gazophylacium* vocabant. Quae vero ad sacrificii usum spectabant, panis nempe, et vinum, in *Sacrario bematis* collocabant.

Jam vero Patrum testimonia de utroque *Gazophylacio* in medium proferamus. Chrysostomus, postquam populum Antiochenum diserte monuit, ut privatim quaedam pro pauperibus seponeret, ita pergit [5]. *Hoc itaque modo uniuscujusque domus Ecclesia fiat*, *sacratas opes inter se conservans*. *Enim vero* Gazophylacia, *quae in Templis sunt*, *illorum symbolum gerunt*. S. Augustinus de eo pluries mentionem fecit. Ait enim [6]. *Si aliquid vultis Clericis dare omnibus*, *quod vultis*, *offerte*, Gazophylacium *adtendite*, *et*

1 T. II. Conc. p. 1207, et apud Ballerinios in T. III. Oper. S. Leonis p. 662.
2 Tom. III. Origin. Eccl. pag. 248, et pag. 269.
3 l.l. de Eccl. disc. c. LXXII. LXXXIII.
4 Capitular. I. aet. XVI.
5 de div. Novi Testam. locis Hom. XXII. de eleemosynâ, et collatione in Sanctos.
6 de div. Serm. CCCLVI. num. XIII. T. V. Op.

omnes habebimus. Ac rursus alio loco [1]. *Quid est* Gazophylacium? *arca Dei, ubi colligebantur ea, quae ad indigentiam Servorum Dei mittebantur, nempe Clericorum uno sub tecto, Deo inservientium*, quos etiam Basilius [2], *Servos Dei* appellat.

Hunc eumdem locum, quem Tertullianus [3] *arcam*, et Paullinus [4] *Mensam* vocarunt, Cyprianus [5] *Corban* appellavit. Ita enim coarguit locupletem matronam, quod sine ulla oblatione coenam Domini participaret, imo partem potius de sacrificio sumeret a pauperibus oblato: *Locuples, et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quae* Corbonam *omnino non respicis, quae in Dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Quis autem heic Cyprianum de *Gazophylacio* loquutum esse dubitaverit? Nam Papias diserte pronunciat. *Corbona*, Gazophylacium, *ubi pecunia Sacerdotum erat, et interpretatur oblatio, et, ut dicitur in historia super actus Apostolorum*, Corbonan *erat Arca, in qua reponebantur donaria Sacerdotum*. Item Vgutio. *Corban interpretatur oblatio, idest* Gazophylacium, *ubi divinae oblationes reponuntur*.

Verum praestat alias etiam hujusce vocis significationes aperire. Nam apud Arabes, et Cophtos Jacobitas [6] *Corban* tria significabat. I. Sacrificium. II. quosdam parvos panes benedictos, non consecratos, sive eulogias, quas populo post sacrum distribuebant. III. Panem ipsum sacrificalem, cujus figuras exhibuit Berlendus [7]. In hujusmodi *Corban* duodenas Cruces imprimebant, XII. Apostolos exhibentes, quas inter media, et omnium maxima, Jesum

1 in psal. LXIII. 2 epist. CCCLXXII.
3 in Apologet. c. XXXIX.
4 Serm. XXXIV. sive declamat. de Gazophylacio p. 303.
5 de oper. et eleemos. p. 203. edit. Rigeltii.
6 Ludolphus in Lex. Aethiop. pag. 159. Gualt. per. in Matth. c. XVII. p. 176.
7 de oblationibus p. 15.

Christum repraesentabat, et in ejus ora, literis Cophtis, *Agios, Agios, Agios, Kyrios* inscribebant [1]. Sed in primis *Corban* hebraice generatim thesaurum significabat, ut explicat Josephus, qui ait [2]. *Sacer thesaurus, quem* Corban *dicunt*. Id etiam probant verba Chronici integri apud Prosperum Tironem Aquitanum, ubi haec narrantur [3]. *Pilatus sacrum thesaurum, quem* Corban *Iudaei vocant, in Aquaeductum Hierosolymorum expendens, foecundae seditionis praebuit semina. Ab hoc tempore innumerae calamitates Iudaeorum gentem oppresserunt*. Qua de re audiendus est etiam Cedrenus, qui haec literis tradidit [4]. *At Pilatus, odio in Iudaeos stimulante, quum sacrum thesaurum*, Corbonam *ipsi nominabant, diripuit, tum multos eorum interfecit; quin et Caesaris aetate, quorumdam sacrificia, ipsorum sanguine miscuit*.

Id etiam erat *nomen generale cujusvis doni, vel donarii, quod offertur Deo* [5], *aut hominibus*, praesertim tamen oblationis, seu victimae, ut legimus apud Marcum [6], Corban *quod est donum*. Scribendum tamen est, ut monet R. Bechai [7], XIII. *oblationum species fuisse: quinque illarum farina purissima constabant, e. g. oblatio similae, oblatio in clibano* I. *Sartagine*, I. *craticula cocti, et placenta tenuis; atque hae omnes nomine* Corban *veniebant. Octo vero illarum erant animalium, e. g. holocaustum, oblatio pro peccato, oblatio pro delicto, confessionis sacrificium, pacificum, primitiae, decimae, Pascha*. Alteram hujusce vocis explicationem profert R. Abar-

1 Wansleb Hist. Aethiop. le Brun Expl. de la Messe T. II. p. 479. Paris. 1657, et in T. XI. Thes. Graevii pag. 285.

2 lib. II. de Bell. Jud. c. VIII.

3 Chronicon integrum ab Adamo ad Romam captam a Genserico Wandal. Rege, in duas partes tributum, opera, et studio Phil. Labbè. in Bibl. nova mss. T. I. p. 6.

4 T. I. p. 192.

5 Sanc. Pagn. in Thes. L. S. p. 2538. Forster in Dict. Hebr. p. 745.

6 c. VII. n. II.

7 Comment. in Pentat. f. 126. c. III.

benel, cujus haec sunt verba [1]. *Est* Corban, *quod non involvit mactationem, nempe oblatio avis, nulla enim ibi est mactatio. Mincha quoque vocatur* Corban, *neque tamen illa rei viventis est, in quam cadat mactatio*. Atque in hanc rem alibi monet [2]. *Nomen Sebach, et* Corban *non sunt Synonima. Omne enim Sebach est* Corban, *sed non viceversa. Ecce quum ita sit*, Corban *adhuc generalius est nomen, quam Sebach, quia illud dicitur de omni re mactata, et Sacrificio Altari imposito, etiam de ave, et Mincha, licet illi non competat nomen Sebach*.

Idem nomen iis, qui sese Deo devoverant, inditum fuisse scribit Josephus [3], qui agens de voto, et ritibus Nasiraeorum, nonnulla de iis subjunxit, qui *Corban* iccirco dicebantur, ac pecuniam ab iis, qui dimissionem e sacro ministerio expetebant, solvendam esse tradidit. Id etiam diserte colligimus e Cedreni loco, qui ita habet [4]. *Qui voto concepto se ipsos Deo consecrant, Nasiraeì appellantur, hique comam alunt, et vino abstinent. Hi quum comam tondent, sacrificio adhibito eam, Deo offerunt, Sacerdotum opera. Et qui se Deo donum* (Corban *id hebraice dicitur*) *nuncupant, ii, si liberari officio velint, pecuniam Sacerdotibus dependunt, mulier siclos* xxx, *vir* L. Ex his igitur recte Baronius pronuntiavit [5]. *Nasiraei voto obligati, nominabant se ipsos* Corban, *h. e. Dei donum, ut Iosephus affirmat, quod sic seipsos Deo dicassent*.

Quumque magna votum inter, et Sacramentum cognatio intercedat, Judaei sese vota, et juramenta sa-

1 Comm. in leg. p. 126. c. 11, et in Leviticum fol. 229. V. Ioh. Frischmuthi Diss. de unica Messiae pro reatu se tradentis hostia. ad psal. XL. 7. in T. I. novi Thes. Theol. Phil. p. 624.

2 Comment. in Lev. V. Hackspan. in Not. ad Lev. c. 11. p. 421. Saubert. de Sacrif. p. 14. c. 1.

3 L. IV. Antiq. c. IV. p. 95.

4 pag. 69.

5 T. I. ad an. LIII. n. 35. p. 543.

crosancta, et inviolabilia reddere putabant, quoties dicecerent, *juro per Corban, hoc mihi sit Corban*, ut Aug. Calmet [1] adnotavit. Atque hinc nonnullis visum est τὸ Κορβᾶν in Tyriorum legibus pro Iudaeorum Sacramento accipiendum esse, ubi Ioseph [2] ex Theophrasto memorat, peregrinum omne jusjurandum lege apud Tyrios fuisse vetitum, inter quae et κορβᾶν appellatum commemorat, quod apud solos Iudaeos inventum docet. Recte autem Geor. Frid. Meinhardus [3] Heinsio [4], qui *Corban* peculiare apud Tyrios fuisse contendit juramentum, quod Judaeis deberent, et Cheitomaeo [5], qui hoc ex Theophrasto Josephum notasse affirmat, minime subscribendum putat. Id enim Josephi verbis aperte adversari demonstrat, qui nunquam scripsit, hoc peculiare juramentum, quod Judaeis debuerint, Tyrios habuisse, sed potius lege vetuisse, ne quisquam Tyrius peregrino juramento uteretur, ac propterea *Corban* inter peregrina, quippe quod solis Judaeis peculiare dicitur, Tyriis vetitum.

Eô redeamus jam, unde digressi sumus. Quae de *Gazophylacio* ab aliis audivimus, Baronius confirmat, qui ait [6]. *In Ecclesiis erant* Gazophylacia, *in quibus oblatae pecuniae recondebantur, quae a Cypriano* Corbona *nuncupantur*. Atque hanc interpretationem sequuti sunt etiam Rosweidus [7], Ducangius [8], Berlendus [9], aliique [10]. Frustra igi-

1 In c. v. ver. v. S. Matthaei T. vii p. 175.

2 contra Ap. lib. I. p. 927.

3 Corban sive Δῶρον Ἄδωρον ad Matth. xv. 5, et Marc. vii. 11. pag. 139. in T. II. Nov. Thes. Theol. Phil.

4 In Exercitat. 5. c. xi. p. 54.

5 in notis ad Theophrastum. Confer Drusium ad voces N. T. p. 52. Selden. I. N., et G. p. 838., et Lev. 27. 2. 3. Salmas. de Foen. Trapez. pag. 222. Schmid. in Fasc. Disp. Theol. Phil. p. 564.

6 Ann. XLIV. n. LXIX.

7 in not. ad serm. xxxiv. Paullini.

8 in Gloss. et in not. ad Paull. Silentiar.

9 de oblationibus p. 172.

10 V. Interpretes ad Matth. xv. 5, et Marci vii. 11. Grotium lib. II. de jure belli, et pacis cap. xiii. Scaligerum in trihaeres. c. ix. Drusium de tribus selectis Hebraeor. c. II. 17. Sebast. Schmidium in

Digitized by Google

tur Basnagius [1], cui post Binghamum [2] satisfecit Berlendus [3], Cyprianum de ipsa oblatione, non de loco, ubi eadem ponebatur, loquutum fuisse contendit, inquiens, sese *Baronio assentiri non posse de significatione* Corban, *quod arcula, in qua pecunia congerebatur, non designatur a Cypriano hac voce* Corbona, *sed donum ipsum a Fidelibus oblatum*. At eum injuria Baronio dicam dixisse demonstrat Principum Sacerdotum responsio Judae proditori data [4], *non licet nos mittere in* Corbonam, quam recte Dom. Macer [5] significare adnotavit, numos [6] ob Christi proditionem Judae numeratos, et ab eo projectos, *non licere in locum ponere, in quo oblatio poni solet*.

Huc autem transferebantur eae tantum oblationes, quae Altari inserviebant. Contra vero in altero *Gazophylacio* recondebantur oblationes ad Episcopi domum adsportandae pro Cleri, ac pauperum subsidio, prout antiqui canones praecipiebant hujusmodi lege [7]. *Exceptis tempore opportuno novis granis, sive spicis frumenti, sive uvis, non sit licitum offerri aliquid ad Altare; nisi oleum ad sanctam lucernam, et thymiama, id est, incensum, tempore divinae oblationis. Alius vero omnis fructus εἰς οἶκον domum* (hanc forte *Gazophylacium* fuisse conjicit Binghamus [8]) *mittatur primitiae Episcopo, et Presbyteris; non autem ad Altare. Constat autem, quod Episcopus, et Presbyteri dispartiunt Diaco-*

fasc. disput. Theologic. p. 584, et Georg. Eliezer Edzardum ad Avoda Sacra c. II. pag. 293. 295.

1 Exercit. in Baron. p. 597.

2 T. II. p. 264.

3 de oblationibus p. 18.

4 apud Matth. cap. xxvII. 4. I. V. Ioach. Krackevvitz de Iuda proditionis mercedem paciscente. Rostochii 1704.

5 in Hierolex. p. 187. Geor. Schvvartzen de pretio, quo Servator noster aestimatus est, ad Matth. xxvII. 9. 10. in T. I. Thes. Theol. Phil. Amst. 1702. p. 210.

6 Ioh. Frischmuth de xxx. argenteis ad c. xI. 12. 13. Coll. Matth. xxvII. 9. ib. p. 1031.

7 Can. Apost. II. IV. V. apud Coteler. Patres Apost. T. I. p. 437.

8 T. III. Orig. Eccl. p. 269.

Digitized by Google

nis, *ceteriſque Clericis*. Rem comprobat insignis Poſsidii locus, qui in vita S. Augustini memoriae consignavit [1], *de neglecto a fidelibus* Gazophylacio, *et* Secretario, *unde Altari neceſsaria inferuntur*, *aliquando in Eccleſia loquens admonebat*. Querebatur nimirum, quod haud amplius Christiani eſsent ſolliciti de duplici oblatione exhibenda pro ſacrificii uſu in *Secretario*, seu *Bematis Diaconico*, et pro ſacrorum ministrorum ſubſidio in *Gazophylacio*. Joh. Salinas in ſcholiis ad haec Poſsidii verba *notum eſse* ait [2], *aliud antiquis fuiſse Gazophylacium*, *aliud Secretarium*. Quod etsi aliquatenus verum ſit, ita tamen abſolute, ac generatim pronunciari nequit, quum unum pro altero perſaepe acceptum ſit. Ac neque mihi convenit cum eodem interprete, qui has diverſitatis cauſsas aſsignat, quod *Secretarium* Conclave eſset, in quo vaſa ſacra, aliaque ad ſacrificium ſpectantia, omniſque ad Templi cultum, et ornatum neceſsaria ſupellex adſervabatur; *Gazophylacium* vero eſset locus in Atriis Templorum, ubi eleemoſinae pauperibus diribendae reponebantur. Id enim de atriis Templi apud Hebraeos, nunquam vero apud Christianos; qui licet haberent duo *Gazophylacia*, neutrum in ſacrarum aedium Atriis exstitiſse vidimus. Heic enim non est ſermo de arculis eleemoſynariis ad fores ſacrarum aedium, collocatis, instar earum, quas antiquitus poſitas fuiſse narrat Plutarchus [3] in quibuſdam Templis Ethnicorum, in quae ingredi nefas erat, niſi aere, argentoque ante fores oblato. Porro Steph. Eddius narrat [4], S. Wilfri-

1 in vita S. Augustini c. VIII. p. 85. apud Surium in vitis SS. d. 28. Augusti p. 302. in append. ad T. x. Opp. Augustini edit. Antuer. 1700. fol. et in Tom. VI. Augusti Bolland. c. v. p. 437.

2 in vita S. Augustini a Poſsidio scripta pag. 85.

3 in Praeceptis politicis.

4 in vita S. Wilfridi cap. LIX. in actis SS. Ord. Bened. Sec. IV. P. I. p. 671.

dum Archiepisc. Eboracensem *praecepisse Claviculario* Gazophylacium *aperire*, cujus custodia eidem tradita erat.

Verum, quum Hieronymus adnotaverit [1], id quod ab Aquila, et Symmacho *Gazophylacium*, et *Exedra* dictum est, LXX. interpretes *Pastophoria* reddidisse, iccirco de his etiam pauca delibare, nostra, ac Lectoris intererit. Illud tantum nunc addam, apud Alcuinum *Gazophylacii* vocabulum translata significatione occurrere. Scribens enim ad Paullinum Patriarcham Aquilejensem, eum ita rogat [2]. *Ne quaeso obliviscaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini; sed in aliquo memoriae* Gazophylacio *reconde illud, ac profer eo tempore opportuno, quo panem, et vinum in substantia Corporis, et Sanguinis Christi consecraveris.*

CAPVT XV.

De Pastophoriis.

Pastophorii vocabulum varie usurpatum reperitur. Nam, ut Papias ait, Pastophoria *graece, latine Thalami dicuntur*. Atque alibi. Pastophoria, *Atria Templi*, Gazophylacia, *cellae parvae*. In excerptis vero additur, *Alviale Templi, vel Safurium*, seu, uti Graevius legendum monet, *Sabarium*. Alia vero notione ita memoratur in Chronico Mosonensi [3]. *Locus enim non tam naturali munitione firmus, quam humano labore, et opere manuali factus, modo aggere terrae, modo* Pastophorio, *interdum, ubi opportunum erat, roboratus, non faciles praebebat accessus*. Ac recte Cu-

1 in Comment. in Ezechiel. xl. 17. p. 640. edit. Basil. p. 935. edit. Paris. et Tom. iv. pag. 318. et T. v. p. 490. 504. edit. Vallars.

2 in epist. cxxiI, et apud Canisium in Thes. Monum. T. iI. p. 446.

3 p. 633, et in Spicileg. Dacherii T. viI. p. 623, et apud Steph le Moine in epist. de Melanophoris in T. iI. Thes. Pol. p. 592.

Digitized by Google

perus [1] heic munimentum significari arbitratur, quod Maurini [2] ex cratibus confectum fuisse conjiciunt, quibus Pastores includunt oves nocte, ut a Luporum incursibus tutae sint, unde forte *Pastophorium* nuncupatum fuisse putant.

Sed, ut in ea *Pastophorii* significatione, quae ad nostram rem facit, immoremur, glossae Isidori declarant, *Pastophorium* esse Atrium Templi, aut *Sacrarium*. Et sane locum, ubi sacrae vestes, et vasa reconduntur, a Radevico [3] indigitatum fuisse monet Sianda [4], quum scripsit, *Vulpes, et Lepores* Pastophoria *Ecclesiae, et officinas Canonicorum ingressae*. Quapropter Card. Bona [5] *Pastophorii* vocem unam ex iis fuisse putat, qua veteres *Secretaria* indicabant. Ceterum Binghamus [6] generalius fuisse nomen conjectat, quo non modo *Diaconicum*, et *Scevophylacium*, sed etiam omnium Ministrorum, et Custodum Eccl., qui *Paramonarii*, *Mansionarii*, et *Martyrarii* vocabantur, domicilia innuerent. Nam *Pastophorii* denominatio praecipue adscita videtur ex LXX. interpretum versione veteris Instrumenti Ezech. XL. 13, ubi pro cubiculis Sacerdotum, et Levitarum, quae exterius Templi atrium in circuitu ambiebant, adhibetur. Quocirca Eucherius Lugdunensis, inquit. *In Ezechielis extrema parte, in visione civitatis, in veteri translatione habetur* Pastophoria, *in nova* Gazophylacia, *id est cellulas* ac Hieronymus; hunc locum ita illustrat [7]. *Pro thalamis triginta, quos vertere LXX. sive* Gazophylaciis, *atque Cellariis, ut interpretatus est Aquila, Symmachus posuit* ἐξέδρας ..... *quae habitationi Levitarum, atque Sacer-*

1 T. v. Iulii Bolland.
2 in Gloss. Ducang.
3 l. IV. de gestis Frid. c. XIII.
4 in Onomastico.
5 lib. I. rer. Liturg. c. XXIV. n. II.
6 T. III. Orig. Eccl. p. 268.
7 p. 640.

dotum fuerunt praeparatae. Idemque alio loco ait [1]. *Eductus est in* Gazophylacium, *sive, ut Symmachus, et LXX. transtulerunt, exedram, vel ut Theodosio* παστοφόριον, *quod in thalamum vertitur*. Occurrit etiam in lib. 1. Machabaeorum [2], ubi legitur. *Ecce contriti sunt inimici nostri; adscendamus nunc mundare sancta, et renovare ..... et viderunt sanctificationem desertam, et Altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata. Sicut in saltu, vel in montibus, et* Pastophoria *diruta*. Ac paullo infra. *Et ornaverunt faciem Templi coronis aureis, et scutulis, et dedicaverunt portas, et* Pastophoria, *et imposuerunt januas*. Item a Josepho de bello Judaico *quarta Turris supra* verticem *Pastophoriorum* condita describitur. Atque hujusmodi nomine indicatas fuisse puto aedes Summi Pontificis, Saganes ejus Vicarii, seu Pontificis secundarii, ab Hebraeis ad festum expiationis potissimum constituti, Syncelli Sacerdotis, decem Otiosorum Synagogae, Levitarum, Nethinaeorum, qui iisdem famulabantur [3], ac demum *Azanitorum*, id est Synagogae Ministrorum, qui *Lectorum*, *Cantorum*, et *Aedituorum* vice fungebantur, ut docte demonstrat Petavius [4]. Quid plura? Jac. Rhenferdius [5] *Tectum Sabbathi*, cujus in libro Regum fit mentio, *Pastophorium* fuisse credit, e quo signum ineuntis, elapsique Sabbathi datum fuit ab uno Sacerdotum, in intimo Templi Atrio; etsi Karolus Henric. Zeibichius [6] nullum Atrium gentium in Templo Hierosolymitano exstitisse, evincere studuerit.

1 com. in Ezech. XLII. 1. p. 652.

2 c. IV. n. 36.

3 Frid. Adolph. Lampe. Schediasma de Nethinaeis. in Tom. I. Miscell. Groning. Fascic. III. p. 463. Fasc. IV. p. 539. Ioh. David Baierus. Dissertat. de Nethineeis Levitarum famulis. Altorfii 1745. 4. Dan. Pfeffingerus. in T. XIII. Thes. Ant. Hebr. Blas. Vgolini p. 958.

4 in notis ad Epiphanium p. 58.

5 Conjectura de Festo Sabbathi ad II. Reg. XVI. 18. Franequerae 1717, et in ejus Opp. Philol. p. 770. Trajecti ad Rhen. 1722. 4.

6 Dissert. de Atrio gentium e structura

Apud Christianos vero hujusmodi loca eidem usui, atque in Templo Judaico, destinata, *Pastophorii* nomen mutuata sunt, ubi nempe erant aedes ab Episc., ac Clericis habitatae, uti ex altero Hieronymi loco Schelstratus evincit. Ait enim [1]. *Quid* Pastophorium *significet, adserit D. Hieronymus in Isajam* [2], *quod nimirum sit thalamus, in quo habitat Praepositus Templi. Thalamus autem idem heic omnino est, quod habitaculum; unde apud Esdram sic legitur; exsurgens Esdras in* Pastophorium *Ionathae, et hospitatus illic, non gustavit panem, nec bibit aquam. Quo ex loco satis manifeste colligitur, quid* Pastophoria *olim significarunt*. Haec autem egregie confirmant illa Rufini verba [3]. *Extrema totius ambitus spatia occupant exedrae, et* Pastophoria, *domusque in excelsum porrectae, in quibus vel aeditui, vel hi quos appellant* αγνευοντας *Castos, manere soliti erant*. Atque hinc Christianus Sonntag [4] disserens de *Aedicula salutatoria*, hanc a nonnullis *Pastophorium* nuncupatam fuisse refert, *forte quod* παστοι *thalami, aut etiam cubiculi referret Schema*. In hanc rem insignem sane locum exhibet appendix Vitae S. Brunonis Confessoris, ubi Templum Carthusianorum, aedesque adjectae *Pastophorium* nominantur hujusmodi verbis [5]. *Totius tandem sollemnitatis coronidem adjecit ipse SS. Princeps Elector, et Archipraesul, qui post octavas proxima Dominica Carthusiam visitavit, S. Eucharistiam percepit, hospitatusque ea nocte in* Pastophorio. Quare haud satis intelligo, cur Macer [6] Hieronymum Fabrum [7] im-

Templi Hierosol. exterminando, cum Conr. Ikenii observatione. in Symb. liter. Bremens. T. II. p. 73.

1 in Concil. Antioch. p. 186.

2 lib. VII. Comment. cap. XXII. pag. 318. Tom. IV.

3 lib. II. Hist. Eccl. c. XXIII.

4 V. p. 404.

5 in Surii Vitis SS. d. 6. Oct. p. 89, et in T. III. Octobr. Bolland. p. 774.

6 in Hierolexico p. 196.

7 in Hist. Ravenn. p. 10.

Digitized by Google

probandum esse duxerit, qui *Pastophorium* pro *Sacrario* accepit.

Haec autem de *majori Diaconico*, cui sacrorum ministrorum domicilia conjuncta erant, commode accipi posse vides. Verum longe aliter interpretanda sunt, quae legimus apud Clementem, qui in Constitutionibus Apostolicis duo aedificia ab utroque Eccl. latere designat ad extremitatem orientalem construenda, quae *Pastophoria* appellat [1]. *Sit aedes oblonga ad Orientem versus, navi similis; utrimque* Pastophoria *in Orientem*. Horum vero usum aperire plerique scriptores putarunt alia ejusdem Clementis verba, quae sunt hujusmodi [2]. *Quumque universi, et universae communicaverint, accipientes Diaconi quae supersunt, inferant in* Pastophoria. Ex his enim Durantus [3] *Pastophoria* arculam, in qua pyxis cum oblata reconditur, fuisse putat, Hieronymi auctoritate subnixus, qui ait [3]. *Sacrarium, in quo jacet Corpus Christi, qui verus est Ecclesiae, et animarum nostrarum Sponsus, proprie thalamus*, παστοφόριον *appellatur*. Eadem de *Pastophoriis* protulit Bellarminus, inquiens [4]. *Apostoli vas illud, in quo Sacramentum asservandum recondebatur*, Pastophorium *dixerunt, quod in eo Sacramento vere Christus sit, qui est verus Templi Praepositus*. Id tamen Robertus Sala [5] tropologice dumtaxat admitti posse arbitratur, quum apud Hebraeos, et Graecos, quemadmodum vel Alexius Aur. Pelliccia [6] animadvertit, *Pastophoria*, nil aliud, quam cellam, aut cubiculum significent, et pateat ex ipso Clementis loco, *Pastophoria* fuisse aedificia ad utrumque Templi latus. Rectius itaque hunc explicavit Joh. Karolus Bovius Episco-

1 lib. II. c. LVII.
2 l. VIII. c. XIII.
3 de ritib. Eccl. lib. I. c. VI. n. VIII.
4 in c. XL. Ezechielis.
5 in adnot. ad Bonae oper. T. II. p. 218.
6 in Christ. Eccl. Politia T. III. p. 42.

pus Ostunensis [1]. Pastophoria, inquit, *existimo fuisse tabernacula quaedam, quasi armaria in fronte Templi, utrinque posita, in quibus Eucharistia, vestes, et vasa sacra condebantur*. Porro plures Scriptores [2] *Pastophoria* a Clemente indicata, conchas, seu cubicula fuisse docent ex utroque absidis latere a Paullino descripta. Hanc eamdem sententiam multo ante inierat Baronius [3], qui tamen, dum eam Hieronymi [4] auctoritate fulciri opinatus est, non satis videtur Hieronymi mentem adsequutus; quippe quae tantum valeat ad alteram *Pastophorii* significationem declarandam, ac longe ab ea diversam, quam Clementis loca praeseferunt. Quam quidem distinctionem si prae oculis Raynaudus [5] habuisset, illorum partes sequutus esset, qui *Pastophoria* a Clemente memorata pro *Diaconico bematis* acceperunt. Et sane eos a vero neutiquam aberrasse probant, quae apud Saxium de B. Ludovico Alamando Archiep. Arelatensi, et Cardinali memorantur in hunc modum [6]. *Arcam argenteam reliquiis SS. praecipue S. Trophimi nobilem, quam Gisbertus dedicarat, in* Pastophorio, *seu aedicula, supra majus Altare inclusit, et singulis annis in festo S. Trophimi exhibendam coram populo mandavit*. Haec enim idem Saxius procul dubio, *de abside, seu superiori curvatura principis fornicis, sub qua positum erat primarium Altare*, intelligenda esse docet.

1 ap. Salam T. II. Op. Card. Bonae p. 218.
2 Morinus. de sacris Ord. P. III. p. 1330. Cabassutius. in notit. Eccl. Concil. p. 17. le Brunius. in explic. rit. Miss. T. II. p. 45. de la Cerda. in Adversar. Sacr. Sarnellius. in Basilicogr. p. 108. Catalanus Tom. II. Pontif. p. 12, et T. I. Ritual. p. 247.
3 T. I. H. E. p. 452.
4 in Ezech. c. 42.
5 T. v. Op. p. 500.
6 T. v. Septembr. Bolland. p. 437.

EXPLICITVM EST SYNTAGMA

DE SECRETARIIS VETERVM CHRISTIANORVM

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google